


SL





Carpiniensis
Societas: Bouda.
ACADEMICVS.

ENS NATURALE,
PER
QUÆSTIONES PHILOSOPHICAS
CONTROVERTENS.

Nuper

Thesibus ex Universa Philosophia,
In Alma Archi-Episcopali
UNIVERSITATE TYRNAVIENSI
SOCIETATIS JESU
A PERILLUSTRI AC ERUDITO DOMINO
LADISLAO KORLATKÓY

DE LABS,
AA. LL. & Philosophiæ Magistro.
PRÆSIDÈ
R. P. LAURENTIO
TAPOLCSANI.

è Societate Jesu

DISPUTATIS, PRÆFIXUS.

Nunc ab Authore revisus, & auctus.

Honori ejusdem

SPECTABILIS DOMINI
LADISLAI
KORLATKÓY

DE LABS, Hæreditarij in Korlath,
S. C. R. Majest. Consiliarij, Inclyt. Comit. Pofoniensis,
& Nitriensis Tabulæ Judiciariæ Assessoris, inscriptus,
& in lucem denuò datus. Tyrn. Annò 1726

Typis Academicis Societatis Jesu, per Fridericum Gall,

Faint handwritten text at the top of the page, possibly including a date and a name.





SPECTABILIS DOMINE,
DOMINE GRATIOSISSIME.



*Enuo in lucem prodire
meditatur Academicus, ut
in plenum enitatur meri-
diem, non alterius, quàm
Tui nominis claritate opus
illi erat Spectabilis Domine; ne hanc Tu
illi communicatam nolis, nihil vereor: du-
dum ille Tuus fuit. Nec magnum quid-
piam (& si id favorem longè maximum
esse intelligam) abs Te mihi petere vide-
or, dum posco ut Academico nomen Tu-
um præfigi sustineas, postquam illi inge-
nium consecrâsti. Liber is ipse est,
quem viginti ab hinc annis Tuo are pu-
blici*

blici juris primùm fecisti ; eam est com-
plexus scientiam , quam tum palàm in
arena Academica propugnâsti. Pervolvè
si lubet incuriosò quantumvis oculò , &
quavis in pagina gloriæ Tuæ monimen-
ta , literariæ victoriæ trophæa offendes : Le-
ges alibi Philosophicæ scientiæ placita , quæ
Te palàm tuente salva constiterunt , & , si
animi Tui modestia admiserit , veteranum
Te inter ipsos tyrocinii philosophici annos
fuisse agnosces ; recurrent illico animo fe-
stivæ acclamations , quibus tum frequens
auditor ingenii Tui præstantiâ , respon-
dendi promptitudine , Scientiæ ubertate
attonitus Te prosecutus est ; alibi leges
ea quæ privatis in circulis , aut singu-
lari acuminine tuebaris , aut argutis ra-
tionibus adadto in deditioem æmulo im-
pugnabas ; ubique deprehendes , quæ ca-
pacissimâ mente exhausisti. Erat nempe
jam tum Academicus hic , breve scientiæ
Tuæ compendium : minùs in eo legeba-
tur , quàm Tu ingenio complectereris.
At qui eâ ætate Te non æquavit , quan-
tum is jam Te minor est. Comparâsti Tibi
dum

dum ad huc juventutem ageres, ea animi
decora, quæ viro ornando sufficerent; ju-
ventutem egressus in ipso annorum flore
virtutum prærogativas perduxisti ad se-
nium. Maturitatem consilii, rerum tra-
ctandarum peritiam, insignem patriarum
legum scientiam, non annorum numerò, sed
singulari mentis vigori debes. Amor ju-
stitiæ, recti decorique cura, excelsitas ani-
mi, religio in Superos, unà tecum adoleve-
runt. Atque hæc, ut ut maximè velles,
Tibi duntaxat Te vivere non sinunt.
Non poterat tantarum splendor virtutum
non advertere patriam, non poterat non
Respublica Te privatis parietibus invide-
re, sibi se non satis æquam putabat, nisi
Te publico admoveri curaret. Tribuunt
tantum Tuis consiliis Comitatus, ut bini
Senatorem Te suum esse juberent, plures
optarent; ipsæque jam per plurimos digni-
tatum gradus, si quanta in Te merendi
necessitas, tanta foret admittendi volun-
tas; ad minorum bene gestorum laudem
jungis, recusatarum dignitatum gloriam,
& bis omnes mereris, dum mavis deberi,
(* 3) quàm

quàm dari ; quacūque gessisti Te parem
invenerunt, quæ recusasti etiam majorem
Te faciunt. Denique ut laudes Tuas
dicam compendiō, & argumentum longè
maximum integritatis, & sapientiæ Tuæ
adducam: probasti sic Augustissimo Cæsari,
Regique singulares eruditæ mentis, vir-
tutumque dotes, ut à Consiliis Regni sibi
Te esse vellet. Leges isthac fortasse non
sine fastidio: pro ea quæ es, modestiâ ani-
mi ; at memineris laudes Tuas nondum
à me dictas, delibatas tantum. Irasci fo-
lio huic non potes, nisi communi famæ
irascaris, illa mihi verba in calamum
sugessit. Quid de Nobilitate generis, &
vetustate dicam ? illam Tu quotidie in-
credibili ornamentorum Tuorum luce illu-
stras, geminasque. Quid de suavissima
comitate morum, quid de magnifica libe-
ralitate ? hac Tu me etsi dudum obera-
tum habes, non tamen in dies obstringere
desinis, quin & unâ mecum genus omne
Tyrnaviensium Musarum obnoxium Ti-
bi fecisti ; debet Tibi feriantis Palladis
Domus, magnam nominis sui partem, quod
Te

*Te Macenate meliori nunc jure apelle-
tur Albanum, in quo jucundiora Autum-
ni otia obtinere; quidni igitur in quali-
cunque grati animi monumentum suos Ti-
bi labores severior Pallas hoc in Academi-
co dedicet. Nomen itaque Tuum, quod
Tua Munificentia dudum candidis pa-
rietibus, grata debitaeque memoria nostris pe-
ctoribus inscripsit, libello huic quantum-
vis tenui, inscribi patere, major is erit
simul ut Tuis esse coeperit. Denique Aca-
demicum hunc pignus obsidemque submis-
sum ab Academia pro egregia spei filiolo,
puta, quem hoc primum anno Palladi de-
vovisti, et si potes, benignum illi oculum
nega. Sic Te Superi semel, iterumque in
filio (cui in laudes dixisse sufficiat, al-
terum Te esse) quam diutissime sospitem
felicemque velint.*

Ita vovet

Honoris Tui studiosissimus

L. T. S. I.

(* 4)

Facul-

Facultas , & Approbatio R. P. Provincialis.

EGo infra scriptus , per Provin-
ciam Austriæ Societatis JESU Præ-
positus Provincialis , potestate mi-
hi facta , ab A. R. P. Nostro , MICHAELE
ANGELO TAMBURINO Præposito Ge-
nerali , Facultatem concedo , ut Liber cui
titulus : ACADEMICVS Ens naturale
compendiosè disputans , à Patre LAU-
RENTIO TAPOLCSANI è Societate
JESU conscriptus , & à Revisoribus
Ejusdem Societatis lectus , & approbatus
typis mandetur. In cujus rei fidem ,
hanc facultatem manu mea subscripsi , &
figillò officij mei munivi. Tyrnaviæ 27.
Junij Annò 1726.

L.S.

MAXIMILIANUS GALLER.

INDEX



INDEX

QUÆSTIONUM

Partis Primæ.

D isputat : I. De natura & objecto Logicæ	Pag.
Sect. 1. Quid <i>Logica</i> sit ?	1.
Sect. 2. <i>An</i> & qualis <i>Scientia</i> sit <i>Logica</i> ?	5.
Sect. 3. Quid sit <i>Logica</i> docens quid utens ? & quomodo inter se distinguantur ?	11.
Sect. 4. Qua necessitate sit necessaria <i>Logica</i> ad alias <i>Scientias</i> acquirendas ?	19.
Sect. 5. De objecto <i>Materiali</i> <i>Logicæ</i> .	24.
Sect. 6. De objecto <i>formali</i> <i>Logicæ</i> .	31.
Sect. 7. De objecto <i>attributionis</i> <i>Logicæ</i> .	34.
Disputatio II. De Ente <i>possibili</i> & <i>Impossibili</i> .	38.
Sect. 2. Solvuntur <i>objectiones</i> .	45.
Sect. 3. <i>Utrum</i> <i>essentia</i> & <i>existentia</i> <i>entis</i> distinguantur <i>realiter</i> ?	57.
Sect. 4. <i>An</i> <i>Impossibile</i> sit <i>cognoscibile</i> ?	62.
Sect. 5. De Ente <i>rationis</i> <i>chymarico</i> .	65.
Sect. 6. De Ente <i>rationis</i> <i>minus</i> <i>rigoroso</i> .	74.
Sect. 7. De Ente <i>Negativo</i> .	78.
Sect. 8. De Ente <i>Præscindente</i> à <i>differentijs</i> .	84.


Ibidem

I N D E X.

	Pag.
<i>Ibidem</i> <i>Ens formaliter sumptum respectu differentiarum suarum est univocum.</i>	82.
Disputatio III. De Ente Uno & distincto.	
Sect. 1. <i>Quid sit Identitas?</i>	91.
Sect. 2. <i>In quo consistat formaliter di- stinctio realis,</i>	93.
<i>Ibidem.</i> <i>Distinctio realis non consistit in duplici Hæccitate.</i>	95.
Sect. 3. <i>Utrum distinctio realis consistat formaliter in hæccitate?</i>	101.
<i>Ibidem.</i> <i>Quid sit differre specie.</i>	102.
Sect. 4. <i>De distinctione Scotistica.</i>	104.
Sect. 5. <i>De distinctione Virtuali Intrinseca.</i>	113.
Sect. 6. <i>De Præcisionibus seu Distinctione Rationis.</i>	119.
Disputatio IV. De Ente Universali.	
Sect. 1. <i>Utrum Universale Metaphysicum vel Logicum detur independenter ab Intellectu?</i>	129.
Sect. 2. <i>Utrum præter Intellectum aliqua alia Potentia faciat Universale?</i>	136.
Sect. 3. <i>Utrum in actuali prædicatione maneat universale Logicum?</i>	139.
Sect. 4. <i>An ab omnibus quinque prædicabi- libus possit abstrahi ratio com- munis univoca?</i>	143.
Sect. 5. <i>De Definitione Generis Logici, Specie, & Individuo.</i>	146.
<i>Ibidem.</i> <i>Species Immultiplicabilis an foret universalis?</i>	149.
<i>Ibidem.</i> <i>An ab omnibus Individuis possit ab- strahi ratio communis univoca?</i>	150.

I N D E X.

	Pag.
Disputatio V. De Ente Vero & Scito.	
Sect. 1. In quo consistat Veritas Propositionum	152.
Sect. 2. An aliqua propositio possit transire de vera in falsam?	155.
Sect. 3. Utrum de futuris contingentibus detur determinata Veritas?	159.
Sect. 4. De Ente scito. Quid sit syllogismus, & que natura ejusdem constitu- tivorum?	162.
Ibidem. Utrum præmissæ causent conclu- sionem?	163.
Ibidem. Utrum actus conclusionis attingat objectum præmissarum?	164.
Ibidem. Utrum posito assensu præmissarum necessitetur intellectus ad assen- sum conclusionis?	165.
Sect. 5. Utrum præmissæ sint certiores ipsa conclusione?	168.
Sect. 6. An in eodem Intellectu circa idem objectum materiale possit componi simul scientia, opinio, & fides?	170.



Partis Secundæ.

	Pag.
Disputatio I. De Ente Principiante.	
Sect. 1. Quæ, & quot sint Principia corporis naturalis?	175.
Quando Privatio principiet?	179.
Sect. 2. Quid sentiendum de sententia Chartesij.	181.
Sect. 3. De Principio materiali. Utrum ma- teria prima sit pura potentia exclu- dens omnem actum?	185.
Utrum	

I N D E X.


<i>Utrum appetat formas semel corruptas?</i>	Pag. 187.
<i>Utrum appetat formas Nobiliores præ ignobilioribus.</i>	190.
<i>Utrum spoliari possit omni formâ substantiali?</i>	192.
<i>An Conservatio materiae spoliatae foret supernaturalis?</i>	195.
Sect. 4. <i>De Principio formali. An forma substantialis sit tota quidditas compositi?</i>	198.
<i>An in eadem numero materia possint esse duæ formæ substantiales simul?</i>	199.
Disputatio II. De Ente modali & Relativo.	
Sect. 1. <i>Definiuntur Modi.</i>	205.
Sect. 2. <i>Probatur Indifferentias rerum debere tolli per aliquid superadditum.</i>	209.
Sect. 3. <i>Probatur hoc superadditum non posse esse solam entitatem absolutam.</i>	213.
Sect. 4. <i>Ex Doctrina generali infertur Ubicationem esse entitatem modalem.</i>	216.
<i>Item. Durationem.</i>	219.
<i>An possibilis sit ubicatio & duratio indivisibilis?</i>	222.
<i>Infertur Actionem productivam, & unionem in composito physico esse entitates modales.</i>	227.
Sect. 5. <i>An possibilis sit modus ad modum in eodem genere?</i>	229.
Sect. 6. <i>Utrum unio in composito substantiali sit substantialis, & in quo subiectetur?</i>	232.
Sect. 7. <i>Utrum unio distinguatur ab actione eductiva formæ?</i>	234.
Sect. 8. <i>Utrum totum distinguatur à partibus simul sumptis?</i>	237.
	Sect 9.

I N D E X.

	Pag.
Sect. 9. De Ente relativo,	241.
Sect. 10. In quo consistat Relatio tran- scendentalis.	250.
Sect. 11. Resolvuntur nonnulla quaesita circa Relationem in communi.	251.
Disputatio III. De Ente Infinito, continuo, aeterno:	
Sect. 1. An Ens infinitum categorema- ticè sit possibile?	258.
Sect. 2. Utrum detur creatura perfectissima vel imperfectissima?	270.
Sect. 3. De Ente Continuo.	272.
Sect. 4. De Ente aeterno.	286.
Sect. 5. An Caeli sint corruptibiles, & utrum moveantur ab intrinseco?	296.
Disputatio IV. De Ente alterato, raro, replicato, & projecto.	
Sect. 1. De Ente alterato.	300.
Ibidem. Intensio qualitatum fit per addi- tionem gradus ad gradum.	300.
Ibidem. Gradus Intensionis sunt hetero- genei.	305.
Sect. 2. De Ente raro.	309.
Sect. 3. De Ente replicato.	313.
Ibidem. Ubicatio, & alia accidentia essen- tialiter affixa loco replicari non possunt.	316.
Ibidem. Res replicata potest plus quàm non replicata.	318.
Sect. 4. De Ente projecto. Datur aliquando quies positiva in pun- cto reflexionis projectorum perpendi- culariter sursum.	321.
Disputatio V. De causis Entium.	Sect. 1.

I N D E X.

Sect. 1. <i>De duplici actione totali.</i>	Pag. 325.
Ibidem. <i>Idem se ipsum causare non potest.</i>	329.
Sect. 2. <i>Quæ sit causa productiva substantiæ & accidentium?</i>	330.
Sect. 3. <i>An una creatura possit creare aliam?</i>	337.
Sect. 4. <i>An DEUS immediatè concurrat ad omnes effectus creaturæ?</i>	341.
Sect. 5. <i>De Prædeterminatione physica.</i>	348.
Ibidem. <i>Refutatur recens sententia R. P. Placidi Rentz.</i>	350.
Ibidem. <i>Præmotio physica non potest se tenere ex parte actus secundi. à p:</i>	358.
Sect. 6. <i>Quis determinet creaturas liberas ad individuum?</i>	374.
Ibidem. <i>Ostenditur DEUM non esse causam peccati electivam.</i>	376.
Sect. 7. <i>An educibile possit creari? vel crea- bile educi?</i>	380.



Partis Tertiæ.

Disputatio I. <i>De Ente vivente in communi.</i>	Pag.
Sect. 1. <i>Quomodo intelligendæ particula: Actus primus corporis?</i>	385.
Sect. 2. <i>Quomodo intelligenda particula: Organici?</i>	389.
Sect. 3. <i>Quomodo intelligendæ particula: Potentiâ vitam habentis.</i>	391.
Sect. 4. <i>De subjecto operationum vitalium.</i>	394.
Sect. 5. <i>De Pluralitate animarum in eodem vivente.</i>	397.
	Sect. 6.

I N D E X.

	Pag.
Sect. 6. <i>Utrum anima viventium sint divisibiles?</i>	400.
Sect. 7. <i>Partes animarum divisibilium an sint homogeneae.</i>	404.
Disputatio II. <i>De Ente vegetante & sentiente.</i>	
Sect. 1. <i>De Nutritione & augmentatione.</i>	406.
Sect. 2. <i>De Potentijs animae sensitivae, & modo percipiendi objecta sua.</i>	409.
Disputatio III. <i>De Anima Rationali.</i>	
Sect. 1. <i>Utrum anima rationalis sit Immaterialis?</i>	419.
Sect. 2. <i>De Immortalitate animae rationalis.</i>	422.
Sect. 3. <i>An omnes animae rationales sint ejusdem perfectionis?</i>	429.
Sect. 4. <i>An omnes potentiae animae rationalis distinguantur ab anima.</i>	430.
Sect. 5. <i>Resolvuntur quaesita quadam circa Intellectum.</i>	432.
Ibidem. <i>Quid sint species Intelligibiles? & quomodo fiat Intellectio ab Intellectu creato?</i>	433.
Ibidem. <i>Utrum Intellectio producat per actionem à se distinctam?</i>	437.
Ibidem. <i>Cur Intellectio vocetur, verbum mentis?</i>	439.
Sect. 6. <i>De potentia volitiva. An sit possibilis actus pura fuga?</i>	440.
Sect. 7. <i>De actionibus Liberis Potentiae volitivae. Quid sit voluntarium liberum?</i>	443.
Ibidem. <i>An possibile sit voluntarium liberum sine omni actu positivo?</i>	445.

I N D E X.

<i>Utrum possit voluntas inter duo equalia bona eligere unum pra alio.</i>	Page 449.
<i>Ibidem. Utrum voluntas possit eligere minus bonum in consortio majoris</i>	449.
<i>Se&t. 9. An possibile sit aliquod Ens intellectivum, quod non sit simul volitivum?</i>	491.
<i>Ibidem. An voluntas possit ferri in incognitum?</i>	492.
<i>Ibidem. An cognitio essentialiter praequiratur ad actum voluntatis?</i>	493.
<i>Se&t. Ultima De Ente Immateriali increato.</i>	494.





P A R S I.

LOGICO-METAPHYSICA.

Disputatio Proœmialis Logica.
De Natura, & Objecto Logicæ.

S E C T I O I.

Quid Logica sit.

Dico Primò. Logica, seu Philo-
sophia rationalis bene definitur : Facul-
tas operationum intellectûs directiva,
ut eæ rectæ sint. Bonitas definitionis
patet ex eo : quia convenit omni & soli.

Dices. Non potest Intellectus per actus suos
proprius dirigi ad rectè eliciendas operationes,
& tamen dirigeretur, si definitio Logicæ esset bo-
na, ergo. A. pr. Intellectus est potentia necessaria,
ergo sicut potentia auditiva vel visiva, quæ sunt
potentiæ necessariæ, non possunt dirigi per actus
proprius, ita nec Intellectus. 2dò. Potentiæ ne-
cessariæ, ut nutritiva, vegetativa &c. per
alios actus non sunt dirigibiles, ergo nec Intellectus.

3tiò. Logica non potest esse directiva operatio-
num Intellectûs, quia hæ necessariò sunt bonæ
A
vel

vel malæ, ergo non sunt indifferentes ad bonitatem vel malitiam, & per consequens nec ad rectitudinem, R. N. A. ad prob. D. Intellectus est potentia necessaria reflexiva super se ipsam & suos actus C. A. non reflexiva N. A. & C. ad 2dum C. anteced. N. C. quia illæ potentia, nutritiva & vegetativa, sunt ita necessariae, ut in nullo exercitio operationum suarum sint immediatè subjectæ Imperio voluntatis. Intellectus autem non est talis potentia necessaria. Ad 3tium N. A. operationes enim Intellectûs solummodo acceptæ intrinsecè, prout jam à parte rei positæ, sunt essentialiter bonæ vel malæ. Non autem consideratæ extrinsecè in causa. Hæc igitur quia indifferens est, ut bene vel malè, seu rectè vel irrectè operetur, dirigi potest, ut potius eliciat præceptis conformes, quàm disformes; & quia quòd est causa causæ, est causa causati, hoc ipso quòd Logica sit directiva Intellectûs, qui est causa operationum, est directiva operationum saltem extrinsecè seu in causa. Utrum autem etiam intrinsecè, & quomodo à Logica dirigi possint operationes, dicemus infra, ubi de objecto.

Dico 2dò. Logica dividitur in naturalem, & Artificialem. Nomine artificialis intelligitur: Collectio Præceptorum, quorum ope juvatur Intellectus ad eliciendas infallibiliter operationes rectas. Utraque ex parte materiæ est triplex. Analytica scilicet, Topica, & Sophistica. Secundùm quas omnes partes est Virtus Intellectûs. Prob. 1mò. Logica 2dum omnes has tres partes est scientia, sed scientia juxta Aristotelem l. 6. Eth. cap. 3. §. 4. est Virtus Intellectûs, go. M. Sect. seqv. probabitur. Prob. 2dò. Virtus Intellectûs juxta Aristotel. 3tio. Eth. Est habitus, quo affirmando vel negando

do semper anima (hoc est intellectus) verum dicit. Sed Logica adum omnes tres partes est talis habitus ; Præcepta enim Logicæ tam Analyticæ , quàm Topicæ , & Sophisticæ , sunt infallibilia , & non nisi ratione materiæ , seu extrinsecè differunt , sed per præcepta infallibilia anima semper verum dicit , ergo.

Dices. Juxta Aristot. Virtus est dispositio perfecti ad optimum , sed Logica adum partem Topicam , & Sophisticam , non est talis dispositio ; adum partem enim Topicam disponit ad syllogismos probabiles , qui aliquando sunt etiam falsi ; secundum Sophisticam ad syllogismos fallaces , qui semper sunt falsi. ergo cum melior sit infallibilitas quàm probabilitas , & veritas quàm falsitas , Logica secundum has partes non disponit ad optimum. *B. C. M. N. m.* ad hujus prob. *D. A.* Logica secundum partem Topicam disponit ad syllog. probabiles , qui sunt tales solummodo secundum materiam *C. A.* qui sunt tales secundum formam *N. A. D.* etiam secundam partem anteced. secundum Sophisticam disponit ad syllog. fallaces docendo eos facere *N. A.* docendo eos vitare , utpotè incorrectos *C. A. & N.* Consequ. Nequè enim putes hoc Præceptum : si vis facere Sophisma , accipe 4. terminos , esse præceptum Logicæ Sophisticæ. Solum namquè est Logici abutentis Præceptis. Præcepta namque Logicæ propria cognoscuntur ex fine , quem intendunt , qui si sit idem cum fine scientiæ suæ , est præceptum talis Doctrinæ , secus si finem diversum intendat Præceptum. Cum igitur finis quem Logica intendit , sit recta operatio Intellectûs , & syllog. 4. Terminorum sit operatio incorrecta , præceptum docens talem syllogismum facere non est Logicæ proprium. Unde Sensu eor-

rum, qui ajunt Logicam esse Virtutem Intellectûs adûm partem Sophisticam, et si adûm hanc doceat facere Sophisma, eò quòd hoc ipsum doceat infallibiliter, displicet. Quia ex Doctrina hac sequeretur finem Logicæ non solùm esse docere, seu dirigere Intellectum, ut operationes faciat rectas, sed etiam irrectas; quod est contra definitionem ejusdem. Nequè dicas: scire pingere monstra est Virtus Intellectûs. Ergo etiam scire facere Sophisma. *ꝛ.* enim: concedo totum; Nequè enim nego esse Virtutem Intellectûs scire Sophisma facere, sed N. quòd hoc doceat Logica Sophistica. Finis enim Logicæ non est, docere facere qualemcunque operationem Intellectûs, sed docere facere operationem rectam, non contrariam præceptis Logicæ. Sophisma autem semper est operatio contraria præceptis Logicæ, v. g. Medium concludere nescit.

Pro reliquis Nota *Imò.* Dum S. Thom. dixit Virtutem esse, quæ facit bonum habentem, intellexit: quæ facit habentem bonum in aliquo genere boni, non verò in omni. Logica autem adûm omnes partes, facit in aliquo genere bonum se habentem, cùm instruat intellectum per præcepta infallibilia elicere operationes rectas. *add.* Textus S. August. *Virtus, est quâ nemo malè utitur*, intelligendus est: quæ non habet ullius præcepti requisiti ad bene operandum defectum.

Dico *3tiò.* Logica est propriè ars. Prob. Juxta *Aristotel. lib. 6. Eth. cap. 4.* ars est habitus cum vera ratione effectivus, sed Logica est talis habitus, siquidem cum vera, hoc est infallibili ratione efficit operationes Intellectûs, ergo.

Dices. Logica nullum relinquit opus post se permanens, go non est ars propriè sumpta, *ꝛ. C. A. N.*

A. N. C. neque enim requiritur ad artem propriam talem, ut relinquat opus post se permanens; hoc enim solummodo habent artes mechanicæ, non quia artes, sed quia mechanicæ sunt, seu factivæ.

SECTION II.

An, & qualis Scientia sit Logica?

Dico Imò. Sumendo scientiam prout illam sumpsit Aristoteles 6. Eth. cap. 3. § 1. Poster. cap. 1. Quòd sit Notitia certa & evidens per causam, hoc est demonstrationem comparata; Logica adùm omnes 3. sui partes est scientia. Prob. Logica circa objectum suum habet certas, & evidentes cognitiones per demonstrationem comparatas, go in sensu præfato est Scientia. A. patet. Quia ex his principijs: Præmissæ certæ & evidentes generant conclusionem certam. Si aliqua ex præmissis solum probabilis est, conclusio ex illis sequitur solum probabilis. Item Syllogismus 4. Terminorum non concludit rectè. Deducit certas & evidentes cognitiones. ergo

Dices contra 1. Aristot. 1, cap. 2. ait Rhetoricam esse partem Dialecticæ seu Logicæ. Et c. 4. asserit: si quis Rhetoricam aut Dialecticam ut scientias docere conatur, naturam illarum interimere conatur. 2dò. Logica plurimos actus habet solum opinativos, ergo quemadmodum syllogismus ille, cujus vel una ex præmissis est probabilis, non dicitur Scientificus, sed probabilis, ita Logica cum multos habeat actus solum opinativos, dici nequit scientia. 3tiò. Bonum ex Integra causa, malum ex quolibet defectu. go cum Scientia sit bonum quid, Logica debe-

deberet esse ex Integra causa scientia. B. Aristotelem Intellexisse Rhetor : & Dialect. non esse scientiam purè speculativam. Ad 2dum D. A. habet plurimos actus solùm opinativos præcisè tales vi materiæ C. vi formæ tales : N. A. & C. sicut enim syllogismus talis est solùm probabilis vi materiæ remotæ, non autem vi formæ ; Ita Logica, vi formæ erit scientia, licet vi materiæ remotæ possit solùm esse opinio. Adde *remotæ*, materiale enim objectum proximum Logicæ cum non sit distinctum realiter à formali, ut videbimus infra, vi objecti materialis proximi Logica est scientia. Ad tertium Explico Principium illud, & dico sensum illius esse, quòd ad habendam aliquam denominationem, integra causa formalis requisita ad illam debeat adesse, sic, nequit dici homo sanus, si tantùm unum vel duos humores habeat temperatos, residuos verò intemperatos.

Pro cæteris *Nota Imò*. Omnis Scientia debet habere objectum suum materiale, & formale determinatum, & certum, objectum inquam proximum C. objectum remotum N. 2dò. Logica est de universalibus, quia estò agat de hoc vel illo syllogismo determinato v. g. in Barbara, non agit tamen de illo ideo, quia hic determinatus Syllogismus est : sed quia est syllogismus in Barbara, & hæc ratio convenit omnibus syllogismis in Barbara factis. Sic, dum medicina docet curare Petrum hoc vel illo medicamine, non ideo id facit, quia hic homo est, sed quia pituitosus vel atrobilaris est, qui morbus hoc modo sanari debet. 3tid. Logica licet sit instrumentum aliarum Scientiarum, est tamen scientia, quia non est instrumentum mortuum, sed tale, quod infallibiliter dirigit intellectum ad actum aliarum scientia-

entiarum. 4to. Res, de quibus est scientia, debent esse æternæ, non quoad sui existentiam, aliàs sola Theologia esset scientia, cujus solius objectum est æternum quoad existentiam, nempe DEUS. Sed satis est, si sint æternæ quoad veritatem, quam in illis scientia demonstrat. 5to. Juxta Aristotelem absurdum est, quærere simul modum sciendi, & scientiam, si modus sciendi sit distinctus realiter à tali scientia C. secus N.

Dico 2do. Logica ex fine suo Principali seu ultimo, est scientia simpliciter practica. Ex fine tamen minùs principali est secundùm quid etiam speculativa. Ita *Dequiros Disp. 13. Logic. sect. 8. Prob.* Quoad primam partem. Illa scientia ex fine suo ultimato & principali est simpliciter practica, cujus omnia præcepta dirigunt intellectum vel mediatè, vel immediatè ad praxim, sed præcepta Logicæ omnia dirigunt sic intellectum, go. M. est *Aristotelis 2do. Met. t. 3. loquentis: facultatis speculativæ finis veritas, practicæ opus. pr. m.* Omnia præcepta Logicæ dirigunt intellectum ad finem suum proprium; sed finis proprius Logicæ est praxis, go. pr. m. Finis Logicæ est operatio recta, ut patet ex ejus definitione; operatio recta autem est praxis, ergo.

Confirmatur *D. Thomas 1. Eth. l. 1. Docet Logicam comparari ad actus intellectûs, sicut Philosophia moralis ad actus voluntatis. Quemadmodum enim Philosophia moralis tradit præcepta præscribentia modum efficiendi operationem honestam voluntatis: ita Logica tradit præcepta præscribentia modum efficiendi operationem rectam intellectûs; sed hac de causa Philosophia moralis est simpliciter practica, ut constat ex *Arist. 2. Eth. c. 2. Quoniam præsens tractatus non speculationis causâ, neque enim fit, ut cogno-**

scamus, quid sit virtus, sed ut boni efficiamur; go & Logica erit practica & quidem simpliciter.

Prob. 2da Pars conclusionis: scientia, quæ habet aliquas cognitiones tales, quæ ex modo suo tendendi non dirigunt agens rationale immediatè ad objectum suum efficiendum, sed tantùm objecti sui veritatem, & essentiam proponunt contemplandam, vi harum cognitionum talis scientia est speculativa; sed Logica tales cognitiones habet, go secundùm illas erit scientia speculativa. M. est definitio scientiæ speculativæ, m. pr. Istæ cognitiones: *secunda mentis operatio est iudicium, definitio est clarior suo definito*, item illæ, quibus Logica considerat syllogismum jam factum, vel definitionem, & inquirat, an sit bene, vel malè facta, sunt cognitiones Logicæ; sed hæc ex modo suo tendendi, seu vi enunciationis suæ, non dirigunt agens rationale immediatè ad efficiendum objectum suum, go. Et eadè ex illis mediatè sequi possit ipsa praxis, confectio videlicet definitionis, ex hoc tamen non cessant ex modo suo tendendi esse speculativæ, aliàs nec hi actus mathematici: triangulus constat tribus angulis, duo & tria faciunt quinque, essent speculativi, quia etiam ex illis potest aliquis dirigi ad efficiendum triangulum, vel numerandum numerum quinarium.

Subtilis Doctor Scotus qu. 4. prol, num. 3. Negat ullum actum intellectûs esse praxim, cum quo negant nobis Scotistæ argumenti pro prima parte allati ultimam minorem, nempe quòd operatio recta intellectûs sit praxis, & consequenter negant Logicam esse practicam. Verùm contra est imprimis, quòd non sit ulla solida ratio asserendi, necessarium esse ad praxim, ut sit actus potentiæ distinctæ ab intelle-

telleſtu. Fundamentum enim Scoti fuit Authoritas
 Ariſtotelis dicentis : *intellectum fieri extensione practi-*
cum. Sed Præterquam quòd Ariſtoteles nullibi in
 terminis habeat hunc textum , adeoque fundamen-
 tum Scoti ruat ; Contra eſt primò, quia ipſe *Ari-*
ſtoteles 3. de anima cap. 20. t. 50. ait : illum intelle-
 ctum eſſe practicum , qui eſt principium agendi ; ſed
 intellectus eſt principium agendi, ergo eſt practicus.
 Contra eſt 2dò. Certum eſt, quòd omnis actus ille,
 ad quem eliciendum inclinatur prudentia, ſit praxis.
 cùm Prudentia juxta omnes ſit habitus practicus, &
 talis ſolummodò inclinatur ad praxim ; ſed prudentia
 inclinatur intellectum ad ſtudendum, vel cognoscendum
 objectum hoc vel illo modo, ergo ſtudium, & co-
 gnitio poteſt eſſe praxis. Contra eſt 3tò. Juxta Sco-
 tiſtas actio externa, v. g. ædificatio domùs, poteſt
 eſſe praxis, 4o etiam actio ipſius intellectùs. Pr.
 C. Ideo actio illa externa poteſt eſſe praxis, quia
 eſt opus factibile à cognoscente ex directione cogni-
 tionis oſtendentis modum, & regulam ædificandæ
 domùs ; ſed etiam definitio v. g. quæ eſt actus in-
 tellectùs, eſt objectum factibile à cognoscente ex di-
 rectione ipſius cognitionis dirigentis cognoscentem
 ad efficiendam definitionem, 5o hæc erit praxis.
 Horum argumentorum vi, motus *Pontius Diſp. 2.*
Log. queſt. 8. n. 80. concedit omninò actum intelle-
 ctùs poſſe eſſe praxim imperatam. Unde ad pri-
 ncipium Scoti, dico : Intellectus ſit extensione pra-
 cticus, quatenùs extendit ſe ab una cognitione di-
 rigente illum ad aliam eliciendam conformiter ad
 præcepta. Sicut enim bene dicitur intellectus ex eo
 diſcurrere, quòd ab uno actu tranſeat ad alium :
 ita etiam bene dicitur ſe intellectus extendere, dum

ab una cognitione dirigente transit ad aliam, & efficit illam ex directione prioris.

Contra secundam partem Conclusionis, Objicies imò. Physica non dicitur secundum quid practica, estò habeat etiam aliquas cognitiones practicas, go nec dicenda est Logica secundum quid speculativa, estò habeat aliquas cognitiones speculativas. R. D. A. Physica non dicitur 2dum quid practica ex fine suarum illarum practicarum cognitionum immediato, N. non dicitur ex fine ultimato ipsius physicæ, & cognitionibus illis mediato, C. A. & sub eadem distinctione C.

Urgebis: Si Logica ideò est 2dum quid speculativa, quòd habeat aliquos actus speculativos, tunc non tantum 2dum quid debet dici speculativa, sed partim speculativa, partim practica, cum & copiosas, & æquè nobiles habeat has cognitiones. R. N. assumptum. Denominatio enim speculativi non desumitur à multitudine actuum, sed à fine scientiæ ultimato, ut superius probavimus ex Aristotele. Unde ars ædilis v. g. dicitur simpliciter practica, ex fine suo ultimato videlicet, estò habeat multos actus speculativos.

Instabis: Finis intrinsecus, & ultimus Facultatis est idem, qui est finis intrinsecus actuum ejusdem Facultatis, go si aliquorum, eorundemque nobilium actuum in Facultate aliqua finis intrinsecus est speculatio, idem erit Facultatis, & consequenter cum hujus generis actus habeat Logica, erit hæc etiam ex fine suo intrinsecò, seu principali & ultimato speculativa. R. D. 2dum A. Qui est finis actibus intrinsecus ita, ut ultra hunc non tendant amplius actus illi, & hi actus sint principales in tali Facultate, seu non ordinati ad finem aliorum actuum.

C. A.

C. A. secus, N. A. In illis actibus Logicæ, quos speculativos ostendimus, nec hoc habetur, quod finis eorum v. g. veritatem præcise enunciare, vel contemplari, sit ita intrinsecus, ut ultra hunc non tendant alio saltem mediatè, nec sunt principales simpliciter in Logica, cum sint ordinati saltèm remotè ad finem aliorum actuum, eorum nempe, quibus æquivalent, putâ immediatè tendentium ad praxim, adeoq; horum finis intrinsecus, & immediatus ex modo tendendi non erit finis intrinsecus, & ultimus ipsius Logicæ, & consequenter Logica adhuc non cessabit esse simpliciter practica. Principales autem actus alicujus Facultatis intelligimus, per quos talis facultas immediatè assequitur munus suum, quod in Logica, est dirigere operationes intellectûs, ut eæ rectæ sint. Nec obstat, quod cognitiones tales sint expetibiles gratiâ sui; Ex hoc enim non inferitur legitime, eas non expeti à Logica gratiâ operationis, quia etiam cognitiones de virtutibus moralibus sunt expetibiles gratiâ sui, & tamen easdem Philosophia moralis, eò quod sit instituta propter operationes honestas, expetit gratiâ operationû honestarum, eo etiam cum Logica sit instituta propter operationes rectas, expetit tales cognitiones propter hunc suum finem.

Pro reliquis *Nota imò.* Veritas solius scientiæ speculativæ est finis, non practicæ; hujus enim, juxta Aristotelem citatum, est opus. *2dò.* Logica circa suum objectum versatur modo resolutivo, ita tamen, ut non sistat in illo, sed illum ordinet ad finem suum ultimum, qui est opus, & propterea ex fine suo ultimato manet simpliciter practica. *3tid.* Logica est scientia practica effectiva operum intellectualium, quorum plurima fiunt ex imperio voluntatis, & hoc modo actiones ejus fiunt ab electione.

S E C T I O III.

Quid sit Logica docens, quid utens, & quomodo inter se distinguantur?

Divisio Logicæ in docentem & utentem, apud omnes Authores est recepta. Controversum tamen maximè, quid nomine docentis, quid utentis nomine intelligendum veniat. Ego quia brevitati studere cogor, & quæstio est de nomine, supersedeo refutationibus aliarum sententiarum. Interim præfero sententiam *P. Vasquez ima parte Disp. 8. num. 19.* cum quo:

Dico Logicam docentem actualem esse: collectionem præceptorum Logicæ, dirigentium intellectum in ordine ad eliciendas operationes rectas, hoc est conformes præceptis Logicis. Utentem verò actualem esse ipsam artificiosam, & præceptis Logicæ conformem confectionem operationum intellectus, seu deinde operatio hæc sit in materia propria Logicæ, seu in aliena. Primæ partis ratio est, quòd in quæstione de nomine loquendum sit cum pluribus, ut vult Aristoteles: hæc quæstio est de nomine, & qui sentiunt nobiscum, sunt plurimi, ut refert *Hurt. Disp. 2. Log. go.*

Prob. etiam secunda pars, quòd videlicet Logica utens in recto sit operatio præceptis Logicæ conformis etiam in aliena materia facta. *1mò.* Actus tales non minùs sunt opus factum ex directione Logicæ docentis, quàm actus facti in materia propria Logicæ, ergo si hi sunt Logica utens in recto, erunt, & illi. *2dò.* Hoc modo loquendi salvatur optimè divisio illa Logicæ, quàm Græci, & Latini Docto-

res dividuunt in *Logicam*, quæ est à rebus abstracta, & eam, quæ est rebus concreta. Sic enim Logica docens optimè dicitur à rebus abstracta, cùm non descendendo ad res, modo quodam abstracto docet facere bonos syllogismos, definitionem, divisionem &c. Logica verò utens rebus concreta, eò quòd se ijs, objectisque earum immisceat.

Dices contra primam partem : Si Logica utens esset artificiosa confectio operationum mentis, divisio Logicæ in docentem & utentem non esset divisio totius potestativi in partes, cùm nec de actibus in materia aliena possit dici, eos esse Logicam. Quis enim Sapiens dicat actum hunc: *homo est animal rationale*, esse Logicam simpliciter. R. C. totum, & dico divisionem Logicæ in utentem & docentem omninò non esse divisionem Generis in species, vel totius potestativi in membra, sed solum dico esse divisionem nominis hujus *Logica* in plura significata, qualis divisio est vocis hujus *DEUS*, cùm dicimus: alius est per essentiam, alius per participationem. Ratio hujus est, quia quomodocunque explicetur Logica utens, nunquam tamen quæ utens erit scientia dirigens intellectum; aliàs quæ utens esset docens, cùm dirigere sit docere; ergo nunquam divisio Logicæ erit divisio Totius potestativi in partes, vel Generis in species.

Contra 2dam partem dices : Si actus etiam in aliena materia facti ex directione Logicæ possent dici Logica utens in recto, tunc etiam habitus ex his actibus ortus posset dici Logica utens habitualis; hoc est absurdum, ergo. R. Juxta sensum P. Vasquez superius citati D. M. talis habitus posset dici Logica utens habitualis propriè & strictè talis, N. M. impropriè, & in lata quadam significatione sumendo ly

Logica utens habitualis, C. M. & eodem pacto distincta, M. N. C. Ratio distinctionis est, quòd ille solùm habitus possit strictè & propriè vocari Logica utens habitualis, qui est genitus ex actibus Logicæ talibus, qui ab ipsa Logica seu habitu Logicæ sunt elicti. Ab actibus verò à Logica solùmmodò directis, & non elictis ortus habitus ad summum meretur in lata quadam acceptione vocari Logica utens habitualis, ut patebit clariùs ex dicendis inferiùs. Ex his,

Infero Logicam Docentem habitualem esse habitum quendam relictum in intellectu ex frequenti traditione, & repetitione præceptorum, qui intellectum faciliat ad tradenda præcepta dirigentia intellectum in ordine ad eliciendas rectas operationes mentis. Logicam verò utentem habitualem esse habitum, seu facilitatem in intellectu, vi cujus intellectus redditur promptus ad eliciendas operationes conformes præceptis Logicæ ex directione eorundem. Gravis nunc quæstio est inter Philosophos, an hi habitus distinguantur inter se realiter, an verò solùm formaliter, seu per intellectum? ad quam R. &

Dico 2dò. Habitum Logicæ docentis ab habitu Logicæ utentis jam explicato realiter non distinguui. Ita *Fonseca 2. Met. cap. 3. quæst. 1. Sect. 6. Pontius Disp. 2. Log. quæst. 6. num. 59. Prob. Nulla est necessitas hos habitus distinguendi, go non distinguuntur realiter. A. pr. Eo ipso enim, quòd (præhabitâ plenâ notitiâ materiæ, circa quam facienda est operatio Logica v. g. definitio) íciam simul perfectè modum definiendi, nulla superest difficultas faciendi ipsam definitionem; sed ubi non superest nova difficultas, necessitas novi habitus non est, go. prob. M. Hoc ipso quòd habeam plenam notitiam materiæ, quando volo v. g. definiere hominem, nem-*

pe quòd prædicatum illud, cui convenit ratio generis proximi in homine, sit *animal*, & simul prædicatum, cui convenit ratio differentiae ultimæ, sit *rationale*, & simul sciam perfectè, quòd definitio cujuslibet rei debeat fieri per genus proximum, & differentiam ultimam ejus rei, nulla certè superest difficultas combinandi hæc duo, & dicere: *homo est animal rationale*. Idem est de alijs operationibus Logicæ, go hoc ipso, quòd habitâ plenâ notitiâ materiæ, circa quam facienda est operatio Logica, simul perfectè sciam modum faciendi talem operationem, nulla superest difficultas talem operationem faciendi, atque adeo habitum Logicæ docentis ab utente nulla erit necessitas distinguendi realiter.

Obj. Contra *imò*. Habitus Logicæ docentis non augetur per actus Logicæ utentis, go habitus Logicæ non est idem docens, qui est utens. C. est clara, cùm omnis habitus augetur per suos actus. B. vel antecedens loquitur de actibus Logicæ utentis in materia propria, hoc est talibus, ad quos elicitive concurrit habitus Logicæ, & tunc N. A. vel loquitur de actibus illis, ad quos Logicæ habitus solum directive concurrit, elicitive verò illius scientiæ habitus, in cujus materia eliciuntur tales actus, & tunc C. A. N. C. ad prob. D. A. Omnis habitus augetur per suos actus, ad quos concurrit elicitive. C. ad quos concurrit etiam tantum directive. N. A. Observatum hic velim me dicere, quòd dum actus aliquis ex directione Logicæ elicitur in aliena materia, ab hoc actu non augetur habitus Logicæ docentis. Non autem me loqui, quòd simpliciter non augetur. Quia cùm in tali casu semper intercurrat actus Logicæ docentis, dirigens & regulans operantem, ut actum illum eliciat conformiter ad præ-

cepta Logicæ, & actus ille dirigens elicitive produ-
catur à Logica, est enim talis actus Logica docens
actualis, ab hoc actu omninò augetur habitus Logi-
cæ docentis: sicut quando ponitur saltus artificiosus,
augetur semper habitus intellectualis, non à saltu,
sed à cognitione dirigente saltum talem artificio-
sum.

Urgebis cum *Mastrio Scotista quest. 1. artic. 1.*
Si actus Logicæ utentis in aliena materia à Logica
procedunt solùm directive, tunc debet aliquis habi-
tus assignari, à quo procedunt elicitive, qui auge-
bitur per tales actus. Talis habitus erit contradistin-
ctus ab habitu Logicæ docentis, & tamen erit habi-
tus Logicæ utentis, quia generabitur ab actibus,
qui sunt Logica utens proprie talis, cùm juxta Nos
operatio recta etiam in aliena materia sit Logica u-
tens in recto. R. C. M. & simul m. 1. partem N. 2.
& dico habitum talem non fore habitum Logicæ uten-
tis proprie, & strictè loquendo, sed ad summum in
lata quadam significatione, quia non generatur ab
actibus Logicæ utentis, ad quos concurreret Logi-
ca elicitive; sed tantùm ad quos concurrat regulative.
Ad hoc autem, ut dicatur habitus Logicæ utentis
proprie talis, deberet concurrere elicitive ad actus
Logicæ utentis, elicitos ab ipsa Logica, & non tan-
tùm regulatos, aliàs quia Prudentia ad quemlibet
actum virtutis moralis concurrat directive, ex actibus
talibus generatus habitus deberet etiam esse habitus
Prudentiæ proprie talis, quod nemo admittit. Ad-
mitto igitur habitum Logicæ docentis ab habitu Lo-
gicæ utentis improprie tali realiter distinctum, nego
tamen eundem realiter distinctum ab habitu Logicæ
utentis proprie tali.

Urgebis addo. cum ingenioso Recentiore, Actus aliquis, ad quem Logica concurret elicitive v. g. definitio in materia propria Logicæ sæpius repetita generat species intellectuales in intellectu, ex quarum aggregatione consurgit habitus definiendi Logicæ utentis; sed hæ species intellectuales realiter distinguuntur ab ijs, quæ relinquuntur ex hoc actu Logicæ docentis: *Definitio constat genere, & differentia*, sæpius repetito; go habitualis docens ab utente habituali propriè tali adhuc distinguitur realiter. R. D. M. distinguuntur realiter distinctione partis à parte, C. M. distinctione totius aggregati constituentis habitum docentem, à toto aggregato constituyente habitum utentem, N. M. & C.

Instabis: Totum aggregatum specierum illarum ex actibus docentibus ortarum habet prædicatum intrinsecum aliud, quàm aggregatum resultans ex speciebus ortis ab ipsis actibus utentibus, go. A. prob. Quia primum aggregatum repræsentat se esse ortum ab actibus docentibus, secundum ab utentibus, hæ autem repræsentationes sunt diversæ, go. R. N. A. ad prob. D. M. Repræsentat se esse ortum ab actibus docentibus repræsentatione facilitate intellectum immediatè ad tradenda præcepta, & mediatè ad usum, C. M. aliâ repræsentatione, N. M. Eodem modo autem repræsentat se etiam secundum aggregatum. Néque enim admitto ullas species tales, quæ immediatè intellectum faciliunt ad usum ipsum, quia harum nulla est necessitas, ut ratio nostra ostendit.

Obj. 2. Habitus Logicæ docentis, & utentis realiter separantur, go realiter distinguuntur A. patet in senibus, qui habent facilitatem bonos syllogismos faciendi, & non habent facilitatem præcep-

pta dandi, quia horum non recordantur. Item in Tyronibus, qui habent facilitatem præcepta dandi, & non habent facilitatem iisdem utendi, ut patet in reductione syllogismorum. R. N. A. ad ejus prob. supposito quòd materia, in qua fiunt exercitia Logica, sit tam Tyronibus, quàm senibus bene perspecta, & hi simul operantur scientificè in actu secundo, hoc est, signatè & reflexè ex directione Logicæ, N. A. Si operentur tantùm exercitè ex directione Logicæ, quatenùs senex se reflectit v. g. quòd hic syllogismus sit similis illi, quem aliquando fecit ex reflexa, & signata directione Logicæ, subdistinguo: Non recordatur talis præceptorum exercitè, N. A. non recordatur signatè, C. A. & N. C. Nisi enim horum alterutro modo fiat confectio syllogismi, vel præceptorum traditio, non est scientifica operatio, & artificiosa in actu secundo, sed solùm in actu primo, quia non esset operatio hæc præceptis Logicæ conformis ut applicatis, sed tantùm ut applicabilibus, ergo.

Pro reliquis *Nota*: Cæterarum artium v. g. Pictoriæ, Musicæ, &c. habitus sunt distincti, quia illi in diversis potentijs sunt, & etiam habitu docente præhabito, superest adhuc difficultas in ipso usu, cùm usus procedat à diversa potentia. 2. Ab eodem habitu realiter posse actus specie distinctos procedere, & elici: sic ab eadem anima elicitur volitio, intellectio, auditio, cursus, sessio &c.

Denique ex dictis Colligo, Habitum Logicæ docentis non esse indivisibilem aliquam entitatem, sed esse aliquod aggregatum, videlicet ex habitu docente divisionem, & syllogismum. Idem loquendum est de habitu utente. Unde dum dicimus docentem ab utente non distingui, non asserimus quòd do-

docens definitionem non distinguatur ab utente v. g. conficiente syllogismum; hi enim sunt separabiles, & diversas difficultates tollunt. Nota præterea de habitu solo docente v. g. definitionem, eum non esse simplicem, & indivisibilem unam entitatem, sed esse aggregatum specierum reliquarum, quæ species, ut partes alicujus totius inter se distributive acceptæ, distinguuntur realiter, quia sunt separabiles; non tamen distinguitur realiter, totum ex ijs resultans, ita ut unum totum esset habitus docens, aliud verò habitus utens.

Nota 3tio Estò præhabitâ notitiâ præceptorum, quomodo operatio Logica faciendâ sit in aliena materia, possit haberi difficultas ex parte materiæ ob defectum notitiæ ejusdem, præhabitâ tamen notitiâ præceptorum tam universalium, quàm particularium de operatione faciendâ in materia Logica, nequit haberi hujus ignorantia, & difficultas, quia præcepta particularia sunt actualis applicatio præceptorum universalium ad materiam Logicam, adeoque ad tollendam hanc difficultatem non debet esse novus habitus distinctus.

SECTIO IV.

Quâ necessitate sit necessaria Logica ad alias scientias aquirendas?

UT quæstio hæc ritè procedat, supponendum est, quòd scientia, quam ex Aristotele superius diximus esse notitiam certam, & evidentem per causam, hoc est, demonstrationem comparatam, dupliciter sumi possit: imò. Pro scientia in statu per-

fecto. 2dò. Pro eadem, sed in statu imperfecto solum. In statu perfecto dicitur quis habere scientiam, quando non tantum aliquas, sed omnes omnino conclusiones talis scientiæ demonstrativè deducit ex principijs, seu cognitionibus certis & evidentibus propter evidentem connexionem earundem cum objecto scito; non quidem necessariò propter connexionem, quam sciat reflexè, & signatè esse artificialem, quia videlicet præceptis Logicæ ut applicatis conformem, sed ad minus propter connexionem scitam saltem exercitè, quatenus illa v. g. est similis alicui alteri, quam scivit aliquando reflexè esse artificialem, vel certè propter scitam connexionem, sed ex vi luminis naturalis penetrantis inter principia illa, & objectum connexionem necessariam. In statu verò imperfecto dicitur quis habere scientiam, quando quis aliquas saltem, licet non omnes, conclusiones talis scientiæ demonstrativè deducit ex principijs, seu cognitionibus certis, & evidentibus modo paulò antè explicato. hoc posito.

Dico. Logica artificialis actualis (de habituali enim vix dubium esse potest, cum hæc sit tantum ad faciùs posse) nec simpliciter & metaphysicè, nec physicè, sed solum moraliter est necessaria ad alias scientias in statu perfecto aquirendas. Ita Pontius disp. 2. Log. quest. ult. Peynado tract. 1. Log. disp. 1. num. 94. contra Deqv. disp. 7. Log. sect. 5. Prob. Logica artificialis non est necessaria metaphysicè, vel physicè ad unam, vel alteram conclusionem in aliqua scientia demonstrativè comparandam, ergo nec ad omnes. C. videtur clara; si enim quis naturali lumine præditus potest sine omni Logica artificiali aliquas conclusiones demonstrativè scire, cur non cum

cum labore intenso, & diuturno quamlibet. A. ve-
rò prob. *imò*. Quia primæ conclusiones, & prima
principia Logica fuerunt scita perfectè sinè omni Lo-
gica artificiali, ut clarum est neganti processum in
infinitum. Prob. *2dò*. idem A. In qualibet scientia
sunt aliqua principia luminæ naturæ nota; sed ex
his intellectus lumine naturali non impedito præditus
potest nativâ suâ vi discurrendi deducere aliquas con-
clusiones scientificè, & demonstrativè, go. Mi. pa-
tet: Intellectus cognoscens evidenter hoc principi-
um scientiæ Geometricæ: *Totum est majus suâ par-
te*, & simul per sensuum evidentem experientiam
hanc alteram veritatem: *Mundus est totum*, sinè Lo-
gicæ artificio cognoscit evidenter connexionem præ-
dictarum propositionum cum objectiva veritate con-
clusionis hujus: ergo *Mundus major est suâ parte*. er-
go omnis intellectus lumine naturali præditus, &
non impeditus potest ex principijs naturalibus cujus-
libet scientiæ nativâ vi bene penetratis deducere in
eadem scientia aliquas conclusiones certas, & evi-
dentes. Sic sinè omni artificio logico rudis aliquis,
& omnino ignarus artificij Logicæ, demonstrativè
discurrit in materia Theologica dicens: *Quicumque fu-
ratur, debet puniri, meus vicinus est furatus*, ergo.

Quòd Logica artificialis sit moraliter necessaria
ad alias scientias in statu perfectò acquirendas, Prob.
Moraliter necessarium dicitur illud, sinè quo aliud
difficillimè, & ferè vix unquam haberi potest; sinè
Logica autem artificiali difficillimè, & vix haberi
possunt aliæ scientiæ, go. Min. prob. Quia experi-
entiâ constat, quòd etiam præmissò studio & notitiâ
Logicæ artificialis, magna tamen cum difficultate
aquirimus scientias in statu perfectò propter imbecil-
litatem ingenij nostri, go majorem adhuc difficulta-
tem

tem haberemus in ijs aquirendis carentes Logicâ artificiali.

Contra *imam* partem Obj. Ut aliquis ex præmissis deducat scientificè aliquam conclusionem, debet habere notitiam reflexam de bonitate illationis; hæc autem haberi non potest sinè artificiali Logicâ, go. M. prob. ex Arist. dicente: *Nemo scit, nisi sciatur se scire*, id est, nisi sciat causam, & rationem imperturbabiliter, & infallibiliter sui sciti; hoc autem haberi non potest sinè Logica artificiali, go. R. D. M. Debet habere notitiam reflexam de bonitate illationis, fundatâ bonitate illationis in artificio Logicali, hoc est resultante ex certo modo & figura syllogistica artificiali, N. M. fundatâ in connexionone præmissarum cum objecto conclusionis, quam connexionem scit evidenter ex principijs naturæ lumine notis, v. g. *Dictum de omni Sc.* C. M. & similiter distinctâ m. N. C. Ad prob. admitto textum Aristotelis, & omninò assero verum esse, ad hoc, ut sciat aliquis perfectè aliquam conclusionem, quòd debeat scire illius causam imperturbabiliter, sed nego, quòd hoc haberi non possit sinè Logica artificiali, aliàs nec primæ conclusiones Logicæ potuissent sciri ex lumine naturæ imperturbabiliter. Hinc demonstratio requiritur quidem ad hoc, ut quis sciat imperturbabiliter, sed demonstratio illa, quæ haberi potest sinè Logica artificiali, qualis fuit prima demonstratio Logicæ. Néque dicas, demonstrationem esse compositum artificiale Logicum, ergo si sinè demonstratione nequit quis perfectè scire, necessaria erit ei simpliciter Logica. R. Demonstrationem esse compositum artificiale Logicum vel in actu primo, vel secundo tale, C. semper in actu secundo tale, hoc est, factum ex animadversione refle-

xa ad præcepta Logicæ, N. A. & sub eadem distinctione C.

Instabis : Ut aliquis sciat se habere demonstrationem circa objectum scitum, debet scire se non habere sophisma; sed hoc scire non potest sine Logica artificiali, go. M. est certa, aliàs posset prudenter formidare, ne fortè sublit fallacia in demonstratione. m. prob. Quia sola Logica artificialis docet, quid sit sophisma, go. B. D. M. Debet scire se non habere sophisma scientiâ resultante ex principijs lumine naturæ notis; ostendentibus evidenter connexionem veritatis conclusionis cum veritate præmissarum, vel ex principijs artificialibus Logicæ docentibus quomodo fieri debeat legitima demonstratio, C. M. semper ex his secundis, N. M. & sub eadem distinctione Min. & C. Cur enim intellectus valde perspicax nequeat penetrare principia lumine naturæ nota : *Dictum de omni Sc.* Item, *Quæcunque sunt eadem uni tertio, Sc.* & deinde ex his penetrare, an conclusio sit sub illo omni, de quo dictum est: item an sit uni tertio eadem, & postea infallibiliter scire esse veram connexionem, & non sophisticam in tali opere? Imò ipsa ars, & principia artificialia congregata sunt à perspicacibus ingenijs ex observatione verarum demonstrationum, & falsarum, factarum ex solis principijs lumine naturæ notis. Nota ulteriùs: Logica respectu demonstrationum scientificarum in alienis materijs habet se tamquam causa directiva, non effectiva. Hinc licet causa effectiva sit physicè, vel metaphysicè necessaria ad productionem effectûs, id tamen de Logica non probatur.

Pro solvendis objectionibus, quæ adversùs secundam partem adferri solent, *Nota* Imò. Logicam

artificialem ad scientias in statu perfecto aquirendas omnibus hominibus esse moraliter necessariam. Unde de Philosophis antiquis vel dicendum est cum *Arist.* 1. *Met.* t. 8. *Eos propter imperitiam Logicæ in multis errasse*, adeoque non habuisse scientias in statu perfecto. Vel si habuerunt, easdem non nisi cum extremo labore comparasse. 2dò. Logica etiam ad seipsam perfectè aquirendam est moraliter necessaria, sed tantùm tamquam pars ad partem, non verò tamquam totum, id est, necessitate totius ad totum, aliàs nulla daretur scientia. Nec ex hoc inferre licet, quòd etiam in alijs scientijs aliquæ conclusiones sine Logica artificiali comparatæ possint deservire ad aquirendas cæteras. Disparitas enim est, quòd Logica sit scientia simul, & modus sciendi, quòd aliæ scientiæ non habent. 3tiò. Estò bruta pro operationibus suis non indigeant Logicâ artificiali, non sunt tamen feliciora hominibus. Illorum enim operationes sunt longè inferiores, & ignobiliores, quàm hæ; egere autem auxilio pro operibus nobilioribus, infelicitas non est.

SECTIO V.

De Objecto materiali Logica.

Objectum materiale scientiæ practiciæ communiter ab Authoribus describitur esse, quod scientia illa respicit non ratione sui, sed ratione alterius, hoc est, objecti formalis, ad quod indifferens est, & ab eodem determinabile, ac perfectibile. Duplex est: remotum aliud, aliud proximum. Proximum est, quod immediatè respicitur à Facultate propter ejusdem objectum formale, & hoc in illud immedia-

mediate inducitur, illudque perficit. Remotum, quod potest sic respici à facultate, quo posito.

Dico. Objectum materiale proximum Logicæ est operatio intellectûs in fieri, hoc est, in eo statu accepta, in quo actu in eam introducitur objectum formale dependenter à præceptis Logicis dirigentibus intellectum vel signatè, vel exercitè ad elicendam operationem conformem ijs præceptis. est *Suarrij tom. 2. met. disp. 7. Compt. disp. 5. Log. sect. 3. Prob.* Objectum materiale proximum Facultatis practicæ est illud, quod à tali Facultate intenditur non ratione sui, sed ratione objecti formalis, & in quod objectum formale ex præceptis, & directione talis artis actu inducitur, illudque perficit, go Objectum materiale proximum Logicæ est illud, quod intenditur à Logica propter objectum formale Logicæ. & in quod objectum formale Logicæ ex directione præceptorum Logicorum actu inducitur; sed hoc est operatio intellectûs in actuali fieri accepta, go hæc sic accepta est objectum materiale proximum. A. primum est definitio objecti materialis in Facultatibus practicis, C. *ima.* constat, prob. subsumpta m. Omnium præceptorum Logicorum finis est, ut operationes intellectûs fiant rectæ, ut ex ejusdem definitione patet; ergo illud, in quod Logica actu intendit inducere rectitudinem dependenter, & juxta præcepta sua, est operatio intellectûs; sed non est operatio intellectûs jã facta, siquidè hæc, quia essentialiter bona vel mala est, indifferens amplius non est ad rectitudinem, vel irrectitudinem juxta illud: *Quod factum est, infectum fieri nequit.* go est operatio intellectûs in actuali fieri considerata.

Hinc infero imò. Objectum materiale proximum Logicæ non esse voces externas. Est contra *Nominales, & Occamum.* Quia voces, quomodocunque

summantur, sunt extra finem intrinsecum adæquatum Logicæ, ergo non sunt objectum materiale Logicæ. C. est certa. Finis enim adæquatus, & intrinsecus cujusvis facultatis confurgit ex objecto materiali, & formali ejusdem Facultatis, ergo quod est extra finem adæquatum, est extra objectum materiale, & formale. A. etiam patet, quia Finis adæquatus, & intrinsecus Logicæ est, elicere operationes rectas logicè, ut patet ex ejus definitione, & simul *Arist. lib. 1. Mag. moral. cap. ult. Finis adæquatus cujuslibet habitus practici est actio, & nihil aliud.* Hoc autem sine vocibus externis fieri potest, ergo.

Infero 2dò. contra *Arriagam & Urtadum.* Res omnes, prout sunt definibiles &c. hoc est conceptus objectivos, non esse objectum materiale Logicæ, quia & ista sunt extra finem adæquatum, & intrinsecum Logicæ. Néque enim res sunt actio, seu operatio intellectûs. Deinde res non perficiuntur intrinsecè ab objecto formali Logicæ, hoc autem requiritur ad objectum materiale, ergo.

Infero 3tò. Ens rationis Logicum, quod Thomistæ explicant, esse quandam relationem, seu adjacentiam, vel resultantiam, quam intellectus concipit inter objectum cognitum, & potentiam cognoscentem, dum illud ut cognitum comparat ad potentiam cognoscentem, non esse objectum materiale Logicæ, estò admitteretur dari tale Ens. Quia hoc ens rationis esset quid consequens, & posterius ipsâ operatione rectâ, ut ipsi Thomistæ supponunt, ergo non est id, in quod habitus Logicæ ex præceptis suis immediatè inducat ipsum objectum formale Logicæ, videlicet rectitudinem, seu conformitatem cum præceptis.

Infero

Infero 4^{to}. Hominem, vel intellectum humanum, etiam non esse objectum materiale Logicae. est contra P. Giattini. Prob. Quia nec homo, nec intellectus humanus est actio, go & homo, & intellectus humanus est extra finem adaequatum Logicae.

Contra nostram conclusionem Obj. 1^{mo}. Objectum materiale habitus practici debet esse physice indifferens ad objectum formale ejusdem habitus; sed operationes intellectus non sunt physice indifferentes ad rectitudinem, go hæc non possunt esse objectum materiale Logicae. M. prob. Objectum formale habitus practici debet practice induci in objectum materiale, atqui nisi objectum materiale sit physice indifferens ad formale, hoc fieri nequit, go. m. prob. ab inductione: sic si forma Cæsaris esset identificata ipsi marmor, ars statuaria non posset practice inducere formam Cæsaris in marmor, idem est de reliquis, go. R. N. M. ad ipsius prob. N. M. ad ejus prob. D. A. si marmor illud, priusquam existat, sit in potestate artificis, ut existat cum hac figura Cæsaris, vel sine illa N. A. Si non sit, sed necessario semper existat tantum cum illa, C. & N. C.

Unde universaliter Observa pro alijs etiam Objectionibus: Operationi intellectus, quam objectum materiale Logicae dicimus, est, dum illa jam realiter existit, sit illi essentialis rectitudo naturalis, quia tamen hæc ipsa operatio, antequam existat, est in potestate intellectus eandem elicentis, ut vel illam ponat cum reflexione ad præcepta dirigentia intellectum, vel sine hac reflexione, potest adhuc intellectus practice dirigi ad inducendam practice rectitudinem artificialem in talem operationem, Sufficit ergo objectio materiali respectu formalis indifferencia sola Logica, quæ in hoc sita est, quod operatio
habet

habitus practici in actuali elicitione sui fit indifferens, ut vel producat ex directione artis, & ab illa directione accipiat formam artificiosam, vel sine hac directione saltem exercite cognita, & simul quod potentia ejusdem elicitiva sit physice indifferens, ut eliciat potius conformem, quam difformem. Hinc indifferencia physica requiritur in objecto materiali solum extrinseca, non vero intrinseca, sed hæc si sit Logica, sufficit.

Oppones. Estò posset concipi homo esse Logicè indifferens ad risibile, quia tamen physice indifferens non est, non potest ulla cognitio practica dirigere aliquam potentiam, quomodo risibile sit practice inducendum in hominem velut subjectum, ergo idem de operatione dicendum. R. N. causalem A. sed dico ideo, quia & non est physice indifferens, & simul non est in potestate alicujus habitus practici, ut antequam existat homo, facere possit, ut existat sine risibili. contrarium habetur de operationibus intellectus.

Instabis: In alijs habitibus practicis Objectum materiale semper est physice indifferens ad formale, ergo & in Logica. R. imò. N. A. Et dico cum Aristotele citato, Objectum materiale cujuslibet habitus practici esse actionem; ejus vero rectitudinem conformiter ad præcepta talis habitus formale. Si enim finis adæquatus est actio habituum practicorum, utique quod extra actionem est, est extra finem adæquatum, adeoque etiam extra objectum materiale. R. 2dò. D. A. In habitibus practicis factivis, C. effectivis, N. Disp. est, quod in illis habitibus etiam supposita existentiâ physicâ objecti materialis adhuc reperiatur aliqua difficultas in introductione formalis objecti, & quidem plerumque tollenda per aliam po-
ten-

tentiam, quod non habetur in operationibus intellectus.

Dices ultrò : Saltem primam mentis operationem non posse dici objectum materiale Logicæ, quia hæc dirigibilis non est, cum nec vera, nec falsa esse possit. R. N. assumptum, ad prob. R. Estò prima mentis operatio non possit esse vera, vel falsa veritate objectivâ, cum nihil affirmet, vel neget. quia tamen potest esse recta, vel incorrecta, id est conformis præceptis Logicæ, vel disformis, dirigibilis est.

Néque dicas : Non potest ulla operatio intellectus dirigi à Logica ad rectitudinem, nisi præsupponatur ante rectitudinem, est enim inexplicabile, quomodo practicè rectitudo introducatur in operationem, si hæc non præsupponatur ante rectitudinem, sed nulla præsupponitur ante rectitudinem, cum omnis necessariò sit recta, vel incorrecta, go. R. D. assumptum : Nisi præsupponatur vel Logicè, vel physicè ante rectitudinem, C. semper physicè, N. Unde si dicas. Practicè rectitudo solum in illud induci potest, quod potuit non esse rectum præcisivè, & Logicè, C. quod potuit non esse rectum consideratum physicè, nego hoc requiri universaliter.

Dices : Operationes etiam præcisivè acceptæ non sunt tales, quæ potuerunt non esse rectæ, quia in statu possibilitatis habent totum id, quod habent in statu existentiae præter actualitatem. R. D. Assumptum : quæ potuerunt non esse rectæ rectitudine artificiosa in actu secundo, N. rectitudine artificiosâ in actu primo, C. quia quatenus sunt indifferentes, ut vel producantur ab intellectu reflectente se super præcepta, & ex horum directione fiant, vel sine, sunt

sunt indifferentes ad rectitudinem artificiosam in actu secundo obtinendam.

Pro reliquis *Nota* breviter *imò*. Rectitudo, quæ est conformitas operationis cum præceptis, quàmque sectione sequenti dicemus esse objectum formale Logicæ, physicè non inducitur in ipsas operationes, sed inducitur directivè, quatenus operatio capax rectitudinis ex directione præceptorum Logicæ producit. Hoc est enim formam artificiosam inducere directivè in objectum. *add.* Operationes Logicæ jam factæ non sunt objectum materiale Logicæ proximum, quia non sunt amplius indifferentes ad rectitudinem ex præceptis Logicæ directivè inducendam in eas. *3tio*. Instrumentum si sit mortuum, & nullos habeat actus proprios, habet idem objectum materiale, quod scientiæ, quarum instrumentum est, non verò secus.

Pro solvendis ijs, quæ contra *Inferes imò*. adduci solent, *Nota imò*. Logica dicitur à τὸ Λόγος ob sermonem mentalem, non vocalem, *add.* Porph. Arist. &c. agunt de vocibus externis non propter se, & primariò, sed per accidens, quatenus illæ sunt manifestativæ vocum internarum, hoc est, conceptuum, seu operationum intellectus.

Pro *Inferes add.* *Nota imò*. Estò sit singularis difficultas artificij Logici sita in hoc, ut cognitiones Logicæ adaptentur rebus, quia tamen non adaptantur tamquam forma materiæ, seu comparti artificij Logici, intenti à Logica, ideò non sunt objectum materiale Logicæ res omnes. *add.* Res per operationes Logicæ perficiuntur, sed tantum extrinsecè, non intrinsecè. Hinc quia Logica non versatur circa res immediatè tamquam circa materiam ab objecto suo

formali intrinsecè perfectibilem, res omnes non sunt materiale objectum Logicæ. 3^{tiò}. Actuum Logicæ regulantium objectum est objectum materiale Logicæ, non verò actuum Logicæ regulatorum; hoc enim, est potius objectum objecti, seu terminus totius operis artificiosi. 4^{to}. Res rectè cognitæ, hoc est, recta cognitio rerum facit intellectum quiescere formaliter, & hæc est objectum Logicæ; non verò res ipsæ. Unde licet cessantibus rebus cessaret Logica, quia tamen non cessaret formaliter, sed solum consequenter, illæ non sunt objectum Logicæ; aliàs etiam pes esset objectum artis sutoriæ.

Pro Inferes 3^{tiò}. Nota: Logica considerat, & versatur circa denominationes extrinsecas cogniti, divisi &c. sed non primariò & per se, ac directè, sed tantummodò secundariò, & per accidens. Finis enim primarius Logicæ est actio, seu operatio intellectus.

Pro Inferes ultimò. Nota 1^{mò}. Estò intellectus perficiatur ab operationibus Logicæ, quia tamen non perficitur ut pars operis artificiosi Logici, sed ut subjectum, intellectus nequit dici objectum materiale Logicæ. 2^{dò}. Logica non intendit intellectum perficere ex fine suo primario, & intrinsecò, sed tantum per accidens, & ex secundario fine, ac indirectè. 3^{tiò}. Juxta nos Logica est scientia intellectum dirigens tamquam artificem, & causam operis Logici, non verò tamquam hujus compartem.

S E C T I O VI.

De Objecto formali Logica.

Objectum formale cujuscunquè Facultatis censetur esse, quod à Facultate aliqua intenditur pro-

propter se, hoc est, ratione sui, sive, propter quod intenditur materiale, estquè objecti materialis perfectivum, determinando illud ad certam speciem Facultatis, quâ descriptione habitâ objecti formalis.

Dico. Objectum formale Logicæ esse rectitudinem passivam, seu formalem conformitatem operationum intellectûs cum præceptis. Est porro hæc rectitudo passiva, seu conformitas operationis cum præcepto, quando ita elicitur operatio intellectûs, sicut præscribunt præcepta. Unde illa ipsa repræsentatio objectiva in actu, quæ ostendit actum sic esse factum, sicut præscribunt præcepta, est hæc ipsa rectitudo formalis passiva, quam dicimus objectum formale Logicæ. Prob. jam conclusio: Logica est operationum intellectûs directiva, ut eæ rectæ sint, ergo finis Logicæ est operationum rectitudo. ergo hæc rectitudo est id, propter quod objectum materiale, videlicet ipsæ operationes intellectûs à Logica considerantur. Habet præterea omnes proprietates objecti formalis, ergo.

Obj. Si rectitudo operationum passiva esset objectum formale Logicæ, ipsa præcepta Logicæ essent objectum ejus formale; hoc est falsum, ergo & primum. sequi. prob. Quia rectitudo passiva operationum distinguitur ab objecto formali aliarum scientiarum per ipsa præcepta Logicæ, ergo præcepta tamquam distinctiva hujus rectitudinis constituent illam, consequenter erunt constitutivum objecti formalis, ergo objectum formale. R. N. sequi. ad prob. N. A. distinguitur enim per inrinescam conformitatem, seu modum illum, & repræsentationem, vi cujus verum est dicere eam esse conformem præceptis.

Dices fieri posse, ut homo ex solo lumine naturali faciat syllogismos bonos in materia Logicæ, hic ipse postea aquirat habitum Logicæ artificialis,

æ similem syllogismum prioribus in eadem materia Logicæ eliciat, hic syllogismus non distinguitur à prioribus per conformitatem ad præcepta, quia hanc etiam alter habuit, go per præcepta. R. admisso casu, nego quòd syllogismus artificialis non distingveretur à prioribus per conformitatem ipsam cum præceptis. Priores enim syllogismi non habuerunt in actu secundo conformitatem artificialem cum præceptis Logicæ, siquidem nec exercitè, nec reflexè facti sunt ex directione præceptorum; Secundus autem syllogismus haberet in actu secundo talem conformitatem, go.

Obj. 2dò. Logica mediantibus suis præceptis intendit inducere in operationes intellectûs ipsam existentiam, go existentia operationum rectarum erit objectum Logicæ. Confirmatur: Sic dicendo salvatur meliùs, quomodo objectum materiale sit indifferens ad hoc, ut practicè inducatur in illud formale, siquidem dici potest, operationem rectam esse indifferentem, ut existat, vel non existat. R. Ipsam existentiam Logica non intendit inducere in operationes intellectûs primariò, per se, & formaliter, sed tantùm secundariò, & per accidens, ac indirectè, quatenùs videlicet nequit inducere rectitudinem, nisi simul inducendo existentiam. Ad Conf. N. assumptum. Sicut enim est indifferens operatio, ut existat, vel non: ita est indifferens, ut existat recta, vel irrecta; ergo indifferentia modo nostro explicandi optimè salvatur, aliàs etiam calceus deberet esse objectum materiale, existentia verò illius, formale artis futuriæ.

S E C T I O VII.

De Objecto Attributionis Logicae.

Nomine objecti attributionis intelligitur illud, quod primario, & per se consideratur à Facultate aliqua, ordinando videlicet ad illud omnia alia, quae non tractantur propter se à tali Facultate. Attributionum verò objectum esse dicitur, quod non consideratur primò, & per se à Facultate, sed potius in ordine ad aliud. Ex qua definitione objecti attributionis sequitur, in Facultatibus practicis objectum attributionis, & finem intrinsecum ac ultimum talium Facultatum, esse convertibilia; sic respectu artis aedilis Domus est objectum attributionis, & simul finis intrinsecus, & ultimus, quia hujus gratiâ ars aedilis inventa est, nuncque etiam addiscitur, estque opus illud, ad quod efficiendum regulæ hujus artis dirigunt artificem.

Objectum attributionis verò duplex est: unum adæquatum, seu totale, aliud inadæquatum, seu partiale. Adæquatum est illud, præter quod nihil aliud primò, & per se consideratur à tali Facultate. Inadæquatum verò, præter quod datur etiam aliquid aliud, quod primario, & per se consideratur à tali Facultate. Inter inadæquata verò objecta attributionis, aliud est principale, aliud minus principale: Primum est illud, quod nobilissimum censetur inter objecta inadæquata, & præcipuè intenditur à Facultate; secundum, quod minus nobile censetur. hoc stante.

Dico: adæquatum objectum attributionis Logicae est operatio conformis præceptis Logicae, prout eorum

complectens primam, secundam, & tertiam. Ita Aversa *quæst.* 2. *Log. sect.* 5. *semeri disp.* 1. *quæst.* 2. *art.* 9. Prob. Objectum adæquatum attributionis scientiæ practicæ est, quod primariò, & per se consideratur à scientia practica efficiendum, & præter quod nihil aliud consideratur ab eadem primariò, & per se; sed in Logica est sola operatio conformis præceptis Logicæ, prout complectens primam, secundam, & tertiam, quæ sic consideratur; ergo hæc erit objectum attributionis. M. est definitio objecti attributionis. m. prob. Imprimis quòd aliud nihil sit, quod primariò, & per se consideretur, patet ex hætenus dictis, ubi voces, & res omnes &c. ostendimus considerari primariò, & per se à Logica. Quòd verò operatio conformis præceptis Logicæ consideretur per se, & primariò, probatur, quia gratiâ operationis rectæ, hoc est, conformis præceptis Logicæ, inventa est, & nunc etiam addiscitur Logica, & finis ejus intrinsecus, & ultimus est operatio conformis præceptis Logicæ; omnia enim præcepta Logicæ tendunt eò, ut operationes intellectûs fiant rectæ. Unde

Infero imò. Objectum inadæquatum attributionis Logicæ esse quamlibet ex tribus mentis operationibus conformiter elicitis ad præcepta Logicæ. Prob. Illud est objectum inadæquatum attributionis, quod intenditur per se primariò, sed non solum, verùm præter illud etiam alia intenduntur primariò, & per se; hoc autem habet quælibet operatio conformis præceptis Logicæ, go,

Infero 2dò. Inter objecta attributionis inadæquata principale, & nobilissimum esse demonstrationem in communi, prout complectentem demonstrationem à priori, & posteriori, quia hæc præcipuè intendi-

tur á Logica, cùm ab hac & nomen singulare obtineat Logica, (Aristoteles enim vocat Logicam scientiam demonstrativam) & hæc est opus maximè perfectum ab habitu Logices acquisibile, éstque modus sciendi proprius hominis, ut homo est, cujus est scire per discursum.

Obj. imò. *Aristot. 1. Priorum cap. 1.* asserit á Logicæ scientiæ finem esse Demonstrationem solam. R. Aristotelem locutum esse, quòd Logicæ analyticæ sit finis sola Demonstratio, non verò Logicæ totius.

Dices: cætera omnia, quæ tranſtantur in Logica, ut Termini, propositiones, definitiones, divisiones &c. ordinari ad argumentationem; go videtur sensisse Aristoteles Demonstrationem esse finem totius Logicæ. R. D. A. Ordinantur ad argumentationem per connexionem essentialem, & intrinsecam cum illa, ita ut nec sint expetibilia propter se, N. per connexionem purè aptitudinalem, & intrinsecam ita, ut simul sint expetibilia, & considerabilia propter se, C. A. & N. C. Hinc nota universaliter: Verum esse, quòd illud, quod habet in aliqua facultate tantummodò rationem puri medij, & est pars per connexionem essentialem ordinata ad aliud, hoc est, non existeret modo sibi connaturali, & debito, nisi constitueret illud, ad quod ordinatur, non possit esse objectum attributionis; falsum verò, quòd illud non possit esse objectum attributionis, quod non habet rationem puri medij, sed etiam finis; nec est pars per connexionem essentialem, sed tantum accidentalem, & purè extrinsecam, ordinata ad aliud, quatenus videlicet etiam non constituendo hoc aliud, existeret tamen modo sibi connaturali, & debito, simul est expetibilis propter se. Id quod patet in Physica

sica, in qua elementa considerantur in ordine ad corpora mixta; quia tamen considerantur etiam propter se, cum etiam sint corpora simplicia, habent rationem finis, adeoque rationem objecti attributionis.

Urgebis: Omnia, quæ considerantur in Logica, referuntur ad demonstrationem, seu syllogismum perfectum, go hic erit objectum attributionis. R. D. A. Ita tamen, ut illa ipsa etiam considerentur propter se tamquam partialis finis Logicæ, C. ut nullo modo considerentur propter se à Logica, N. A. & C. Hinc licet is, qui perfecte scit syllogizare, dicatur perfectus Logicus, non tamen ex eo syllogismus est objectum attributionis, quia non est perfectus tantum ideo, quia scit syllogizare, sed etiam, quia cæteras logicas operationes scit perfecte facere.

Obj. 2dò. In arte statuaria solum integra statua est objectum attributionis, go etiam in Logica solum syllogismus. R. N. A. Nam etiam caput secundum se, est expetibile ab arte statuaria, go hoc etiam erit inadæquatum objectum attributionis statuariæ.

Si quæras: quodnam go objectum attributum erit in Logica? R. Voces, res omnes &c. quia hæc non considerantur, nec expetuntur primario, & propter se à Logica, sed in ordine ad aliud.

Contra *Inferes 3tio*. Obj. 1mò. Definitio est perfectior modus sciendi in Logica, quam demonstratio, go illa erit objectum inadæquatum principale. A. pr. Definitio est modus sciendi essentiam rerum immediate, demonstratio verò solum est modus sciendi passionem, & proprietates rerum, & has ipsas solum mediate, hoc est, per discursum, go. *Conf.* Definitio est modus sciendi magis similis cognitioni Divinæ, go perfectior. R. ad utrumque gratis admissis omnibus his N. C. Quia estò gratis admittantur ista, de-

finitio nihilominus est talis modus sciendi in Logica, ut simul sit ordinabilis ab hac ad aliquam aliam operationem, videlicet demonstrationem, tamquam pars ad suum totum, cujus illa sit pars, quod de demonstratione dici non potest. Dixi: *gratis admissis*, falsum enim est demonstrationem esse modum sciendi tantum proprietatem essentiali. Imò quia docet nosse proprietates, debet etiam docere præsuppositivè nosse essentiali, cum hæc tamquam radix præsupponatur ante proprietates. Deinde sicut definitio accedit ad cognitionem Divinam ex eo, quod fiat sine discursu, ita demonstratio accedit præ definitione ex eo, quod Demonstratio sit clarior, & respectu nostrî etiam infallibilior.

DISPUTATIO II.

De Ente possibili, & impossibili.

Sicut hic terminus concretus *cognoscibile* in recto dicitur objectum potens terminare cognitionem repræsentativam sui, in obliquo verò ipsam formam, à qua denominatur *cognoscibile*: ita terminus hic *Possibile* cum sit concretus, dicit in recto objectum illud, quod est potens terminare actionem sui propuctivam, in obliquo verò dicit formam, à qua denominatur tale objectum possibile.

Forma verò hæc denominans objectum possibile duplex considerari potest: Activa una, nempe omnipotentia DEI ipsis creaturis possibilibus extrinseca, altera Passiva creaturis possibilibus intrinseca. Hæc possibilitas autem passiva in scholis dividi solet in possibilitatem passivam physicam, seu realem, & possi-
bili-

bilitatem passivam logicam. Possibilitas passiva physica, seu realis explicatur, quòd sit quædam aptitudo, seu capacitas, id est, non repugnantia ad existendum, ipsi creaturæ possibili intrinseca, consistens in aliquo esse reali, & æterno, creaturis possibilibus intrinseco. Possibilitas verò passiva logica, quæ etiam dicitur possibilitas conditionata, explicatur, quòd sit aliqua aptitudo, seu non repugnantia ad existendum, intrinseca quidem creaturis possibilibus suo modo, sed non realiter, eò quòd ab æterno nullum detur Ens reale à DEO realiter distinctum, sed tantum quòd esset, si produceretur, & poneretur à parte rei.

Tota igitur quæstio est: an præter possibilitatem activam creaturis extrinsecam, nempe Omnipotentiam DEI, admittenda sit etiam aliqua possibilitas passiva, ipsis possibilibus intrinseca? & si ita, an hæc sit possibilitas passiva physica seu realis, an verò solum logica, seu conditionata.

Dico imò. Forma adæquata denominans creaturas ab æterno possibles non est sola, & unica Omnipotentia DEI. ita *Martinez Contr. 2. DEI scientis dissertat. 1. sect. 1. Prob. imò.* Si sola Omnipotentia DEI esset forma adæquata denominans creaturas possibles, conceptus explicativus Omnipotentia non esset explicativus Omnipotentia potius, quàm non Omnipotentia; hoc implicat in terminis, go. pr. M. Conceptus explicativus Omnipotentia, est: *Potentia ad omnia possible*; sed si sola Omnipotentia esset forma adæquata denominans creaturas possibles, iste conceptus non esset explicativus potius Omnipotentia &c. go. prob. m. Hoc ipso quòd tota possibilitas, seu forma denominans creaturas possibles, esset Omnipotentia DEI, hic conceptus: *potentia ad omnia possible*

lia erit formaliter idem cum isto : *potentia ad omnia illa, quæ ipsa potest*, siquidem juxta Adversarios possibile solum ab Omnipotentia DEI denominatur tale, ergo. *omnia possibilis sunt omnia illa, quæ potest DEI potentia*; sed hoc ipso quod illi duo conceptus sint formaliter idem, conceptus Omnipotentia non erit explicativus potius Omnipotentia, quam non Omnipotentia quod prob. Hic conceptus : *potentia ad omnia illa, quæ ipsa potest* convenit cuicumque potentia, etiam limitatissima, cum quælibet, etiam quomodocunque limitata potentia, possit omnia illa, quæ potest; ergo si duo illi conceptus sunt formaliter idem, conceptus explicativus omnipotentia non erit potius &c. Quod autem conceptus explicativus omnipotentia sit, posse omnia possibilis, patet ex D. Thom. 1ma. parte quest. 25. art. 3. ☉ Si quis rectè consideret, cur DEUS omnia posse dicatur, nihil rectius intelligitur, quam quod possit omnia possibilis, & ob hoc Omnipotens dicatur.

Prob. 2dò. Prædicata essentialia v. g. Petri possibilis, quæ terminant ab æterno cognitionem DEI, quod potius terminent cognitionem DEI, apprehendentem horum prædicatorum non repugnantiam; prædicata verò chymæra terminent cognitionem DEI apprehendentem eorum ad se invicem repugnantiam, non habetur à sola Omnipotentia DEI; ergo sola Omnipotentia DEI non est sola, & adæquata possibilitas possibilium. A. prob. Quod prædicata Petri possibilis potius terminent cognitionem DEI apprehendentem illorum ad se invicem non repugnantiam, est ratio saltem partialis, quod in ipsis prædicatis Petri sit capacitas terminandi actionem sui productivam, & quod prædicata chymæra potius terminent cognitionem
DEI

DEI apprehendentem eorum repugnantiam, est ratio saltem partialis, quod in prædicatis chymæræ sit incapacitas terminandi actionem sui productivam; sed hæc capacitas, vel incapacitas non est sola Omnipotentia DEI, go. m. est clara. Omnipotentia enim DEI non est capacitas terminandi actionem sui productivam; aliàs esset producibilis, quemadmodum omne id est cognoscibile, quod est capax terminandi actionem sui cognoscitivam, visibile, quod actionem sui visivam. M. autem prob. Si in prædicatis Petri non esset capacitas terminandi actionem sui productivam, prædicata Petri non possent terminare cognitionem DEI apprehendentem in illis non repugnantiam ad existendum; go quod possint terminare talem cognitionem DEI, saltem partialis ratio hujus erit illa capacitas terminandi actionem sui productivam, quo enim præcisè ablato tollitur aliqua veritas, est vel ratio partialiter constitutiva talis veritatis, vel tota veritas.

Prob. 3^{id}. Illa prædicata in Petro nunc existentia sunt Petri essentialia, quæ erant eidem essentialia in statu possibilitatis; sed Petri nunc existentis prædicatum essentialia non est Omnipotentia DEI, go. subsumo; sed capacitas terminandi actionem productivam est identificata prædicatis essentialibus Petri, go illa capacitas non est Omnipotentia DEI. Sed ab illa capacitate denominantur possibilia, go forma adæquata denominans creaturas possibiles, non erit sola Omnipotentia DEI. *Confir.* Forma adæquata denominans objectum esse cognoscibile, non est sola cognitio objecto extrinseca, go nec forma adæquate denominans objectum possibile, erit sola Omnipotentia DEI objectis possibilibus extrinseca.

Unde infero. Formam adæquatam, à qua de-

nominantur creaturæ possibiles, coalescere ex ipsa Omnipotentia DEI, quæ est possibilitas activa, physica, æterna, necessaria, & simul ex ipsa possibilitate passiva creaturis possibilibus intrinseca. De qua.

Dico *add.* Possibilitas passiva creaturis possibilibus intrinseca non est aliquod Ens diminutum, æternum, à DEO realiter distinctum. *Contra Henricum Andegavensem.* Non Ens purè negativum, seu abusivum. *contra Capreolum.* Non denique Ens medium, resultans ex cognitione Divina. *Contra Scotistas.* Prob. Nihil datur æternum, & necessarium, à DEO realiter distinctum; possibilitas passiva quocunque ex his modis explicata, esset æterna, necessaria, à DEO realiter distincta, *go. m. prob.* Creaturæ sunt ab æterno possibiles, & necessariò possibiles, ergo etiam possibilitas earum erit æterna, & necessaria. *M. prima* videtur esse de Fide, quæ docet ab æterno præter DEUM nihil fuisse. Unde *S. Augustinus lib. 5. de Gen. ad Lit. cap. 18.* *Antequam fierent, & erant, & non erant: erant in DEI scientia indistincta ab Omnipotentia, non erant in sua natura.*

Dices fortè: Nihil æternum, & necessarium dari existentialiter, à DEO realiter distinctum, non verò æternum, & necessarium solùm essentialiter diminutè. *Contra est.* Hoc esse essentialiter diminutè, æternum, à DEO realiter distinctum, vel est à se, vel à DEO? Secundum non: quia de Fide est nihil à DEO productum ab æterno, primum etiam non, quia esse à se est perfectio soli DEO propria.

Respondebis imò cum Albertino: Illud esse essentialiter, esse quidem à DEO, sed solùm tamquam à causa exemplari, non verò tamquam à causa efficiente. *Contra est:* Hoc ipso, quòd hoc esse, quomodocunque vocetur, esset à DEO tamquam

quam à causa exemplari, esset à DEO tamquam à causa efficiente; secundum est contra Fidem, go & primum asserere erit periculosum. prob. sequ. Exercitium causæ exemplaris est, quando aliquid fit ex directione cognitionis proponentis rem faciendam ad imitationem exempli; sed *ly fit* ex omnium sensu significat exercitium causæ efficientis, go. *Confir.* Illud solùm dici potest effectus causæ finalis, quod factum est propter aliud; go etiam illud solùm dici potest effectus causæ exemplaris, quod factum est ad imitationem illius. *Vide Thyrsus Gonzalez Tom. 1. select. quæst. disp. 35. num. 28.*

Alij respondent ad argumentum paulò aliter, & dicunt absurdum non esse, quòd Creaturæ possibiles in esse diminuto, seu objectivo, resultante ex cognitione DEI æterna, sint aliquid æternum, & necessarium à se secundùm esse essentialis, modò non sint à se æternum aliquid, & necessarium secundùm esse existentiale, quia hoc secundum est perfectio propria solius DEI, non primum. Contra est *imò. D. Augustin. lib. 1. de SS. Trinitate cap. 6. Quidquid à DEO factum non est, vel DEUS est, vel nihil est.* 2dò. Existencia rerum non distinguitur ab earum essentia; go si creaturæ possibiles habent à se essentiam suam, æternam, & necessariam, habebunt etiam existentiam. 3tiò. Rem esse non tantùm secundùm esse essentialis, sed etiam secundùm esse existentiale, est actu existere rerum existentiam; sed si creaturæ possibiles haberent à se suam esse essentialis æternum, & necessarium, earum existentia existeret actu ab æterno, go. m. prob., Petrus possibilis juxta te habet aliquod esse reale actu ab æterno à se, go etiam existentia Petri, quæ est possibilis, habebit aliquod esse reale

reale actu ab æterno à se; sed rem secundum esse existentiale, existere actu, est actu existere rerum existentiam; ergo creaturæ possibiles juxta hanc sententiam existunt actu ab æterno.

Ex his rationibus *Infero*: Possibilitatem passivam creaturis possibilibus intrinsecam non posse statui in aliqua necessitate disjuncti, fundata in illo principio: *quodlibet est, vel non est*. Non item in aliquo esse conditionato, verificativo hujus, & similium propositionum: *si homo existet, erit animal rationale*, si per hoc esse conditionatum, vel illam necessitatem disjuncti, intelligatur aliquid æternum, necessarium, à DEO realiter distinctum. quare

Dico 3^{ti}o. Possibilitas passiva creaturis possibilibus intrinseca, est ipsa prædicatorum essentialium ad se invicem non repugnantium capacitas terminandi actionem sui productivam. Ratio conclusionis est, quia debet assignari aliqua possibilitas intrinseca creaturis possibilibus, contradistincta ab Omnipotentia DEI; hæc nequit esse aliquid æternum, necessarium, à DEO realiter distinctum, ergo erit hæc capacitas terminandi actionem sui productivam, quæ quidem ab æterno nihil est reale, sed tantum esset, si produceretur. Unde sicut res possibiles ab æterno non sunt sibi ipsis sic intrinsecæ, ut absolute existant, seu sint aliquid æternum, reale, physicum, sed tantum sibi ipsis sunt hoc modo intrinsecæ, quod existerent absolute, & physicè, si producerentur: ita & possibilitas passiva est illis eodem modo intrinseca.

Quod hætenus de possibilitate possibilium diximus, idem proportionaliter de impossibilitate impossibilium sentiendum est.

SECTIO II.

Solvuntur Objectiones.

CONTRA conclusionum imam Obj. imo. Possibilitas, & impossibilitas, quæ sunt formæ denominantes creaturas possibles, & impossibles, sunt objecta necessaria, & indefectibilia, verificativa scientiæ DEI affirmantis possibilitatem possibilem, & impossibilitatem impossibilem; sed tale objectum necessarium, & indefectibile est solus DEUS; ergo possibilitas possibilem, & impossibilitas impossibilem est solus DEUS. m. prob. Nihil est necessarium, & indefectibile præter DEUM; ergo si objectum illius scientiæ DEI est necessarium & indefectibile, hoc debet esse DEUS, ergo. R. D. M. Possibilitas, & impossibilitas &c. sunt objecta necessaria, & indefectibilia necessitate, & indefectibilitate cadente supra scientiam DEI, C. M. sunt necessaria & indefectibilia necessitate & indefectibilitate cadente supra ipsum terminum scientiæ DEI, subdividuo: sunt necessaria necessitate absolutâ, N. M. necessitate solùm conditionatâ, C. M. & D. m. Objectum necessarium necessitate absolutâ est solus DEUS, C. m. necessitate solùm conditionatâ necessarium, N. m. Ad hujus prob. eodem modo D. A. & N. C. Dum dicitur, creaturas possibles & impossibles esse objecta necessaria scientiæ DEI, ly *necessaria* appellare potest tum super scientiam DEI, tum super objecta, quæ eidem objiciuntur. Si appellet super scientiam DEI, sunt necessaria & indefectibilia simpliciter, quia scientia DEI de possibilem & impossibilem est DEO simpliciter necessaria. Si verò ly *necessaria* appellet super objecta, quæ scientiæ Divinæ objiciuntur, non sunt

sunt necessaria hæc objecta necessitate absolutâ, sed solum conditionatâ. Si enim essent necessaria necessitate absolutâ, deberent illa objecta ab æterno physicè esse existentia, & propositio illa verificari: *datur possibilitas possibilium*, sumpto *ly datur* in vi verbi, ita, ut sensus esset: *ab æterno physicè existit possibilitas possibilium intrinseca*. sunt autem necessaria necessitate conditionali, quia in propositione illa ab æterno vera, *ly datur* non accipitur in vi verbi, sed tantùm in vi copulæ, & facit hunc sensum: *Si creatura possibilis produceretur, daretur, seu existeret physicè ipsius possibilitas intrinseca*. Est autem necessarium, quòd existeret illa intrinseca possibilitas creaturæ possibilis v. g. Antichristi, quæ possibilitas est objectum scientiæ DEI, si Antichristus existeret, seu produceretur. Proportionaliter de impossibilitate est discurrendum.

Instabis *imò*. Hæc propositio; *datur possibilitas possibilium*, est propositio absoluta, & non conditionalis; go etiam ejus objectum erit absolutum, & non conditionale. Sed objectum illud est objectum scientiæ DEI necessarium absolutè, & non tantùm conditionatè, og. R. D. A. Hæc propositio &c. est absoluta, si loquatur de possibilitate activa creaturis possibilibus extrinseca, C. A. si loquatur de possibilitate passiva creaturis possibilibus intrinseca, subdistinguo A. est propositio absoluta *ly est* sumendo in vi verbi, ita, ut faciat hunc sensum: *possibilitas intrinseca possibilium est existens physicè*, C. A. sed nego suppositum, quòd in hoc sensu sit vera: si *ly est*, seu *datur* sumatur in vi copulæ ita, ut faciat hunc sensum: *Possibilitas intrinseca creaturarum possibilium existeret, si producerentur creaturæ possibiles*, N. A. & eodem modo D. m. subf. Objectum propositionis illius est objectum scientiæ DEI

necessarium necessitate absolutâ, N. m. necessitate conditionali, C. m. & N. C.

Instabis 2dò. Hæc propositio: *Petrus possibilis est animal rationale*, est propositio necessariò vera ab æterno tum veritate causali, tum veritate objectivâ; go verificativum hujus propositionis tum causale, tum objectivum est necessarium ab æterno. Sed solus DEUS est necessarius ab æterno, go solus DEUS erit ejusdem verificativum tum causale, tum objectivum. R. D. A. Est propositio necessariò vera ab æterno tum veritate causali, tum objectivâ ita, ut ejusdem generis necessitate sit vera & causaliter, & objectivè, N. A. ita ut diversâ necessitate sit vera causaliter, & diversâ necessitate sit vera objectivè C. A. & sub eadem distinctione C. & D. m. subf. solus DEUS est necessariò ab æterno necessitate absolutâ, ly est sumendo in vi verbi, C. subf. m. Necessitate conditionali, ly est sumendo in vi copulæ, N. subf. m. & N. C.

Dices contra hoc cum P. Perez: Hæc propositio: *Antichristus est possibilis*, si sumatur ly est in vi copulæ, est necessariò vera necessitate conditionali, go est necessariò vera necessitate absolutâ. C. prob. Omne conditionatum fundatur in aliquo absoluto, go etiam necessariò verum conditionatè fundabitur in necessariò vero absoluto. A. prob. In illo fundatur necessarium conditionatum, in quod resolvitur propositio necessaria conditionalis; sed omnis propositio necessaria conditionalis resolvitur in propositionem necessariam absolutam, go. m. prob. Hæc propositio: *Si Petrus homo existet, erit animal rationale*, resolvitur in hanc: *Necesse est Petrum existentem esse animal rationale*. Item hæc: *Si Antichristus existet, existet sine repugnantia*, resolvitur in hanc: *Necesse est Antichristum existentem existere, sine repugnantia*, go. R. C.

A. D. C. go. est necessariò vera necessitate absolutâ & simpliciter tali, hoc est, sumptò ly est in vi verbi, N. C. necessitate absolutâ transcendentalitèr tali, C. C. & sub eadem distinctione probationem consequentis. Duplex datur necessitas absoluta: simpliciter talis; & transcendentaliter talis. Necessitas absoluta simpliciter talis est, quæ verificatur de objecto, quod semper fuit, est, & erit, quale est solus DEUS. Necessitas verò transcendentaliter talis, quæ non est distincta ab ipsa necessitate conditionali, est necessitas solummodò ex suppositione, & æquivalet semper propositioni conditionatæ, cujus objectum est necessarium tantùm ex suppositione. De hac locutus est Aristoteles 1. Perih. cap. ult. Igitur esse quod est, quando est, & non esse quod non est, quando non est, necesse est. Hinc prædictæ propositiones: *Necesse est Petrum existentem esse animal rationale, & Necesse est Antichristum existentem existere sine repugnantia*, & deniquè omnes propositiones, quæ pro objecto suo habent aliquid extra DEUM; quales sunt etiam hæ: *tria, & quatuor sunt septem, homo est animal rationale &c.* non sunt simpliciter absolutæ re ipsâ, sed tantùm absolutæ transcendentaliter, seu conditionatè, quia semper æquivalent conditionatis, v. g. istis: *Si tria, & quatuor existunt, existunt etiam septem, si homo existit, existit animal rationale, si Antichristus existit, existit sine repugnantia &c.* adeòque sicut hæ propositiones non sunt simpliciter absolutæ, ita nec sunt necessariò absolutæ necessitate simpliciter tali, & sic per consequens necessitas conditionalis non resolvetur in necessitatem absolutam simpliciter talem, sed solum in absolutam transcendentaliter talem.

Urgebis: Ex dictis sequitur, quòd aliquod contingens posset esse necessarium ex suppositione; hoc
im.

implicat, go. (m. prob. eadem est oppositio contingens cum necessario, quæ est necessarij cum contingenti; sed nullum necessarium potest esse contingens, etiam ex suppositione; go nec ullum contingens potest esse necessarium etiam ex suppositione. R. cum P. *Martinez contr.* 3. *DEI scientis disp.* 2. N. m. ad ejus prob. D. M. Eadem est oppositio contingens cum necessario, quæ est necessarij cum contingenti quoad aliqua, C. M. quoad omnia, N. M. & concessâ m. N. C. disparitas est, quare contingens aliquod simpliciter tale fieri possit necessarium ex suppositione, quòd ex hoc nulla sequatur contradictio. si enim Petrus contingenter currat, adeoque contingenter moveatur, ex suppositione tamen quòd currat, necessario moveatur, nulla hinc sequitur contradictio. Esset autem contradictio, si aliquod necessarium simpliciter, fieri posset in aliqua hypothesi etiam ex suppositione contingens, quia hoc ipso posset esse simpliciter, & non esse simpliciter necessarium, quod implicat. De conceptu enim necessarij simpliciter talis, est, ut in nulla hypothesi possit non esse.

Contra conclusionem *adam.* Obj. 1^{mo}. Idem est nunc Petrus existens, qui fuit ante mille annos possibilis; sed Petrus nunc existens est aliquid intrinsecè in se distinctum à DEO physicè, & realiter; go & ante mille annos, cum fuit possibilis, erat aliquid in se physicè, & realiter distinctum à DEO. R. 1^{mo}. retorquendo argumentum: Idem est nunc Petrus existens &c. sed Petrus nunc existens est aliquid intrinsecè in se distinctum à DEO physicè, & realiter, per existentiam suam extra causas positam; go & ante mille años, & ab æterno dum fuit possibilis, erat sic distinctus. quod tamen est contra Fidem, siquidem DEUS ab æterno nihil posuit extra causas. R. 2^{do}. D. M. Est idem eodem modo, & in eodem statu sumptus, N. M. di-

verso modo idem, & in diverso statu sumptus, C. M. & concessâ m. N. C. Petrus ante mille annos, dum erat possibilis, non verificabat hanc propositionem: *Petrus est existens, vel Petrus est animal rationale*, absolute, sed tantum conditionate, seu in hoc sensu: *Petrus esset existens, si produceretur, vel esset animal rationale, si produceretur.* Ad hanc autem verificandam non requirebatur, ut in statu possibili Petrus esset aliquid reale, sed solum requirebatur, ut sit suo modo, conditionate videlicet, hoc est, ut verum fuerit, quod esset, si produceretur.

Obj. 2da. Possibilitas creaturarum est terminus scientiæ, & Omnipotentiaë DEI ab æterno; go debet esse aliquid ab æterno; sed non potest esse aliquid physicum & reale, go diminutum, seu medium inter ens, & non ens. A. est verum, quia ab æterno verum fuit dicere: *DEUS actu scit, possibilia*, & etiam fuit verum dicere: *DEUS ab æterno potuit producere creaturas possibiles.* C. autem prob. Terminus potentiaë visivæ, vel auditivæ, dum est terminus, debet esse aliquid in se; go etiam terminus potentiaë productivæ, dum est ejusdem terminus, debet esse aliquid actu in se. sed ab æterno creaturæ possibiles erant terminus potentiaë Divinaë productivæ; go ab æterno debent esse aliquid actu in se. R. D. A. Possibilitas creaturarum est terminus scientiæ DEI, & Omnipotentiaë ab æterno, sumpto *ly est* in vi verbi, N. A. sumpto *ly est* in vi copulaë præcisè, C. A. & D. C. go debet esse aliquid ab æterno suo modo conditionate, hoc est, quod esset, si produceretur C. C. debet esse ab æterno aliquid physicum reale, N. C. ad hujus prob. C. A. N. C. disp. est, quod terminus potentiaë visivæ, vel auditivæ, dum est terminus, debet esse actu aliquid in se, ex eo, quod videlicet *ly est* semper sumatur in vi

vi verbi. Néque enim potentia visiva videt aliquid, nisi sit coloratum, vel lucidum, & quidem actu existens. Et hoc ex duplici capite: *imò.* quia denominatio visibilis non est denominatio prima, sed de secundo adjacente, supponens existentiam rei, & in ipsa re qualitatem physicè existentem, colorem videlicet. *2dò.* Quia objectum visibile non est purus terminus potentiae visivae, sed est simul causa physicè producens species sui, quae complent potentiam visivam ad producendam visionem ejusdem objecti; omnis autem causa producens physicè, praesupponitur in se existens physicè. E contra verò possibilitas creaturarum ita est terminus scientiae Divinae, ut *ly est* solum sumatur in vi copulae; significat enim: *DEUS scit, quòd Petrus existeret, si produceretur, vel Petrus terminaret actionem sui produclivam, si eum produceret DEUS.* Denominatio enim possibilis est denominatio prima, non praesupponens existentiam rei, nec est causa physica Divinae Omnipotentiae, quemadmodum terminus potentiae visivae, ut dictum est, sed tantum est objectum terminativum, go non debet esse existens, dum est terminus Omnipotentiae DEI.

Obj. *3tio.* Creaturae possibiles cognoscuntur à DEO in seipsis ab aeterno; sed non possent cognosci in seipsis ab aeterno, nisi essent aliquid absolute in se intrinsecè, go. M. est certa, siquidem infinita DEI scientia necessario scit, & cognoscit omnia cognoscibilia; creaturae autem possibiles juxta communem Theologorum sunt cognoscibiles in seipsis, go. m. etiam prob. Id, quod non est aliquid in se intrinsecè, & absolute, sed tantum esset, non est, sed tantum esset cognoscibile in seipso, go. creaturae possibiles si non essent aliquid ab aeterno in seipsis realiter, seu intrinsecè, & absolute, non cognoscerentur ab aeterno à

DEO in seipsis, sed tantum essent cognoscibiles. *Confir.* Objectum, quod est terminus scientiæ Divinæ, eâ ratione terminat scientiam, seu cognitionem DEI de se, quatenus illud est in seipso; sed creaturæ possibiles, quæ sunt objectum, & terminus scientiæ Divinæ, non terminant, sed tantum terminarent scientiam DEI, adeoque non cognoscuntur, sed tantum cognoscerentur, *¶* C. M. D. m. Non possunt cognosci in seipsis ab æterno tamquam aliquid, quod actu sit, nisi essent aliquid absolute in seipsis intrinsecè, C. m. Non possunt cognosci in seipsis tamquam aliquid, quod esset, si produceretur, nisi essent aliquid absolute in seipsis intrinsecè, N. m. & C. ad prob. D. A. Id, quod non est aliquid actu intrinsecè in se, & absolute, sed tantum esset, non est cognoscibile in seipso ab æterno tamquam aliquid, quod actu sit, C. A. tamquam aliquid, quod esset, si produceretur, N. A. & sub eadem distinct. C. Ad Conf. C. M. D. m. Creaturæ possibiles, quæ sunt objectum, & terminus scientiæ DEI, non sunt aliquid in se intrinsecè tamquam aliquid, quod actu sit, C. m. tamquam aliquid, quod esset, si produceretur, N. m. & C.

Obj. 4^{to}. Si possibilitas Antichristi intrinsecè non existeret realiter, antequam Antichristus existat, non esset vera nunc simpliciter hæc propositio: *Antichristus est possibilis*, sed solum Ista: *Antichristus potest esse possibilis*; sed falsum est, quod prima propositio non sit simpliciter vera, *¶* go. possibilitas Antichristi eidem intrinsecè debet esse aliquid reale, antequam Antichristus existat. M. prob. Antequam albedo existat in pariete, quæ est forma denominans parietem album, falsa est hæc propositio: *Parietis est albus*, sed tantum est vera hæc: *Parietis potest esse albus*; *¶* go. etiam antequam existat forma denominans possibiles creaturas, v. g. Antichristum esse possibilem, falsa erit propositio

positio : *Antichristus est possibilis*, R. D. M. falsa erit ly est sumendo in vi verbi, C. M. ly est sumendo in vi copulæ, N. M. & eodem modo distinctâ m. N. C. ad prob. M. C. A. N. C. disp. est, quòd in omnibus propositionibus, in quibus de subjecto prædicatur aliquid accidentale, semper sumatur ly est in vi verbi, cum accidens necessariò præsupponat, vel saltem exigat existentiam subjecti, in quo subjectatur, adeoque, semper est prædicatio de secundo adjacente. In propositionibus autem, in quibus non prædicatur accidens de subjecto, hoc non habetur. Unde propositio: *Antichristus est possibilis*, & similes propositiones ad veritatem sui non petunt, ut particula est sumatur in vi verbi, sed solùm in vi copulæ; sunt enim solùm hoc sensu veræ: *Antichristus si existeret, non involveret repugnantiam*, ad quem sensum verificandum non requiritur, ut Antichristus existat physicè ab æterno.

Instabis; Hæc propositio: *si existeret Antichristus, non involveret repugnantiam*, est ab æterno vera non tantùm veritate causali, quatenus DEUS potest illum producere, sed etiam veritate objectivâ; go debet dari aliquid ab æterno distinctum à DEO, quod illam verificet objectivè. Sed illud juxta nos non potest esse aliquid Physicum, & reale, go debet esse solus DEUS; adeoque possibilitas creaturarum adæquata erit solus DEUS. R. C. A. D. C. go debet dari aliquid ab æterno distinctum à DEO, quod illam verificet objectivè, debet inquam dari eo modo, quo est illius objectum verificativum, & quo modo necessarium est, ut eam verificet, C. C. quo modo non est necessarium, ut eam verificet, N. C. Objectum illud, quod propositionem præfatam, vel alias ei similes ab æterno verificat, non est necessarium, ut sit

physicè ab æterno existens, siquidem illa *propositio* ab æterno non est vera, sumendo *ly est* in vi verbi, sed solùm est vera sumendo *ly est* in vi copulæ; go debet solùm dari objectum illius verificativum ab æterno logicè, & conditionatè, hoc est, objectum deberet esse existens, si produceretur.

Contra 3^{iam}. Conclusionem Obj. 1^{mo}. Possibilitas illa intrinseca ipsis creaturis, nec esset quid productum, nec improductum, go implicat. C. patet, quia inter productum, & improductum non datur medium. A. prob. Non esset aliquid productum, cùm DEUS ab æterno nihil produxerit, ut Fide certum est; non etiam esset aliquid improductum, aliàs esset DEUS, cùm quidquid est æternum, & improductum, est DEUS. 1^o. N. A. ad hujus prob. D. A. Non esset aliquid productum antequam physicè produceretur illa creatura, cujus est possibilitas, C. A. postquam produceretur physicè illa creatura, cujus hæc possibilitas intrinseca est, N. A. Possibilitas intrinseca possibilibus creaturis, cùm ab æterno non sit aliquid physicum, sed tantùm esset, si produceretur creatura, antequam producta sit creatura, non potest dici esse aliquid productum, nec esse improductum sumendo *ly esse* in vi verbi, est tamen aliquid productum sumendo *ly esse* in vi copulæ, quia tunc significat: esset productum, si produceretur creatura. Quod si tamen per *ly improductum* intelligatur idem, ac non productum, prout hoc non productum dici potest de aliquo, etiam quod nihil est physicè, taliter admittam possibilitatem illam creaturis intrinsecam esse aliquid improductum, sed ex hoc non sequitur, quòd sit DEUS. Solùm enim proprium prædicatum est DEO, non esse productum, & tamen existere physicè: è *contra* non esse productum, & simul non existere physicè, etiam

tiam chymærae est proprium, quia etiam chymæra est aliquid improductum, physice non existens.

Obj. 2dò. Potentia DEI respectu creaturarum debet esse perfectissima; sed admisâ possibilitate intrinsecâ ipsis creaturis, potentia DEI respectu creaturarû non esset perfectissima; ergo non potest admitti possibilitas intrinseca ipsis creaturis. m. prob. Perfectior est causa respectu effectûs illius, cui plûs dat, quàm respectu illius, cui minûs dat, quia priorem effectum facit perfectiùs dependere à se; sed si potentia DEI daret creaturis & esse possibile, & esse existens, plûs daret, quàm si solùm daret esse existens, ergo. subs. sed admisâ possibilitate intrinsecâ creaturis, potentia DEI solùm daret creaturis esse existens, ergo non esset perfectissima respectu earum. R. C. M. N. m. ad hujus prob. D. M. Respectu illius effectûs est causa perfectior, cui plûs dat, si illud plûs sit dabile à tali causa, C. M. si non sit dabile, N. M. & D. m. Si potentia DEI daret creaturis, & esse possibile, & esse existens, plûs daret, & utrumquè hoc, tam videlicet esse possibile possibilitate intrinsecâ passivâ, quàm esse existens, est dabile ab Omnipotentia DEI creaturis possibilibus, N. m. & non est utrumquè dabile, C. m. & N. C. Possibilitas passiva creaturis possibilibus intrinseca non est dabilis ab Omnipotentia DEI creaturis pro statu possibilitatis, sed tantùm dabilis est illis pro statu existentiae, quatenûs videlicet DEUS potest producere illam creaturam. Quare autem pro statu possibilitatis non sit dabilis illa possibilitas creaturis intrinseca, ratio est, vel enim esset dabilis ab Omnipotentia DEI ut à causa efficiente, vel ut à causa formali: non ut à causa efficiente, quia quidquid datur à causa efficiente, datur per actionem productivam; illud autem, quod datur per actionem producti-

ductivam sui, datur tanquam aliquis physicus effectus; sed possibilitas illa, quam diximus creaturis possibili- bus esse intrinsecam ab æterno, non est aliquid physi- cum ab æterno; ergo non potest dari ab Omnipoten- tia DEI ut à causa efficiente. Non etiam ut à cau- sa formali, quia quidquid forma denominat, denominat constituendo talem denominationem; Deus autem non constituit hanc denominationem passivam: *creatura possi- bilis*, sicut nec constituit hanc: *creatura existens*. Hinc contra nos non pugnant, quòd possibilitas creaturis in- trinseca esset nolibilis, & non esset nolibilis, quia possi- bilitas nostra non est creatura sumendo *ly est* in vi verbi, sed tantum sumendo *ly est* in vi copulæ, adeo- què tantum esset creatura si produceretur, & tunc so- lum esset nolibilis, quia existeret contingenter, po- tens non existere.

Obj. 3^{tiò}. Si impossibilitas chymæræ esset in- trinseca ipsi chymæræ, hæc esset necessariò possibilis; hoc implicat, go. M. prob. Si impossibilitas chymæ- ræ esset intrinseca chymæræ, esset impossibilitas chy- mæræ impossibilis; sed hoc ipso chymæra esset possi- bilis necessariò, go. m. prob. Illud, cujus impossi- bilitas est impossibilis, est necessariò possibile: sicut cujus non existentia est impossibilis, est necessariò existens; sed chymæræ impossibilitas esset impossi- bilis, ergo chymæra esset necessariò possibilis. R. N. M. ad prob. D. M. Impossibilitas chymæræ esset impossibilis, id est, essentialiter excluderet chymæræ existentiam à statu reali, & physico, C. M. Esset im- possibilis hoc modo, quòd posset in rerum natura existe- re, N. M. & sic distinctâ m. N. C. Unde chymæræ im- possibilitas est hoc sensu impossibilis, quòd chymæra non posset existere physicè, & non existere cum contra- dictione; non verò in hoc sensu, quod non detur
for-

forma, quæ denominet chymæram Impossibilem; seu essentialiter exclusam à statu existentiaë,

SECTION III.

Utrum essentia, & existentia Entis distinguantur realiter?

Dico cum P. Suarez *disp. 31. Metaph.* Essentia Entis non distinguitur realiter ab eisdem existentia. Prob. 1^{mo}. Nulla est necessitas hujus distinctionis, 2^o. A. patebit ex objectionum solutione. Prob. 2^{do}. Existentia Entis, quæ esset distincta realiter ab essentia eisdem, sinè dubio haberet etiam suam essentiam, per quam esset potius ipsa, quàm non ipsa; sed hæc essentia non distingueretur realiter à sua existentia, aliàs existeret per superadditam sibi existentiam, de qua iterum redibit ratio; 3^o nec ulla alia essentia existet per existentiam sibi realiter superadditam, seu à se realiter distinctam.

Néque dicas existentiam superadditam Essentiaë Entis, esse essentialem determinationem sui ad existentiam tum essentiaë Entis, tum suæ propriaë, adeoque essentia existentiaë non existeret per aliquid sibi superadditum, at bene essentia Entis, eo modo, quo actio productiva ignis non debet etiam ipsa per aliam produci à se distinctam. Contra est: Ideo actio productiva Ignis non debet ipsa per aliam actionem produci, quia actio talis cum sit modalis, indifferens non est, ut pendeat ab hac, vel illa causa, sed essentialiter pendet ab illa, à qua pendet; Sed essentia existentiaë non minùs esset indifferens ad existentium, quàm essentia Entis, & essentia existentiaë il-

lius posset vel ab hac, vel ab illa causa produci; *go* existentia Entis non habet se eo modo respectu essentia, quo modo se habet actio productiva respectu Ignis.

Prob. 3^{ti}o. Dum producitur equus, v. g. vel terminus actionis productivæ equi est sola existentia equi, vel sola illius essentia, vel utraque simul, existentia videlicet & essentia? Non primum, aliàs essentia equi non existeret, dum existeret ejusdem existentia; nullum enim Ens creatum existit, quod non est extra causas positum; sed in dato casu essentia equi non esset extra causas posita, ergo. Non etiam secundum, aliàs hoc ipso essentia existeret sine superaddita sibi existentia; quidquid enim est terminus actionis productivæ, extrahitur extra causas, consequenter & essentia illa extraheretur extra causas, adeoque existeret. Ergo terminus actionis productivæ equi est essentia illius simul, & existentia; *go* hæc ab illa non distinguitur realiter.

Obj. 1^{mo}. De Essentia entis, & existentia verificantur duo contradictoria, *go* distingvuntur realiter. A. prob. Essentia Entis est æterna, necessaria, existentia non est æterna, necessaria: item essentia Entis non est DEO libera, cùm non stet in libertate DEI, ut homo sit animal rationale. Existentia autem est DEO libera, cùm in libertate DEI sit, ut homo existat vel non, *go*. R. 1^{mo}. retorquendo argumentum de Essentia Existentiæ, quæ etiam est æterna &c. R. 2^{do}. N. A. ad prob. D. A. Essentia Entis est æterna, necessaria, Existentia non, si Existentia sumatur in eodem statu, in quo sumitur Essentia, N. A. si sumatur in diverso statu, C. A. & N. C. Sicut ergo Essentia Entis sumpta in statu possibilitatis est æterna, & necessaria juxta sensum superiori sectione explicatum: ita etiam Existentia sumpta.

pta in eodem statu possibilitatis. E contra verò quemadmodum Existentiã sumpta in statu physico, & absoluto est temporanea, contingens, & DEO libera: ita etiam Essentiã in eodem statu physico, & absoluto sumpta. In libertate enim DEI est, ut Essentiã v. g. Petri possibilis, sit aliquid in statu physico, vel non.

Dices: Si essentiã v. g. Equi est identificata ejusdem Existentiã, tunc hæc propositio *Equus est existens*, eodem modo erit æternæ veritatis, sicut & ista: *Equus est animal hinnibile*; hoc videtur absolum, go. R. D. M. Si propositio illa prima sumatur in sensu conditionato, sicut ordinariè sumitur secunda, dum dicitur esse æternæ veritatis, C. M. Si prima illa propositio sumatur in sensu absoluto, prout communiter sumi solet, N. M. & sic D. m. N. C. Propositio hæc: *equus est animal hinnibile* dum dicitur esse æternæ, & necessariæ veritatis, sumitur semper in sensu, & statu conditionato, quatenus videlicet ab æterno verum est dicere: *Si existeret, & produceretur equus, esset animal hinnibile*, & si in hoc sensu sumatur secunda propositio, eodem prorsus modo erit æternæ veritatis, ac prior.

Obj. 2dò. Nihil potest esse in potentia ad seipsum; essentiã cujuslibet rei creatæ est in potentia ad existentiã, go non est eadem cum existentiã. Confir. 1mò. Potentiã sedendi non est sessio, potentiã videndi non est visio, go nec potentiã existendi erit existentiã. Confir. 2dò. Essentiã Leonis v. g. est separabilis ab existentiã, siquidem hæc illi contingenter advenit, go. R. 1mò. Hæc omnia retorqueri posse contra Existentiã essentiã. R. 2dò. D. M. Nihil potest esse in potentia physica ad seipsum, C. M. in potentia logica, N. M. & sic de alijs. Ad Confir. mam. C. A. N. C. disp. est, quia potentiã sedendi,

di, videndi &c. est potentia physica, physicè indifferens ad sessionem, & visionem, adeoque realiter ad hos actus præsupposita, siquidem hi sunt denominationes de secundo adjacentes. Horum autem nihil habetur in potentia existendi, quæ est solum logica, & logicè indifferens. Ad 2dam Confir. N. A. ad pr. 2. Existencia Essentiæ leonis contingenter advenit non hoc sensu, quod sit superadditum aliquid realiter ab illa distinctum, sed quod ponatur contingenter à causa, & existat potens non existere.

Obj. 3tio. Hoc ipso, quod Essentia creaturæ identificaretur ejusdem Existentiæ, quælibet existeret per essentiam, go. quælibet existeret essentialiter. R. D. A. Quælibet existeret per essentiam, id est, nulla existeret per formam aliquam sibi realiter superadditam, C. A. existeret per essentiam, id est, necessitate absolutâ, & simpliciter tali, N. A. & sub eadem distinctione C. & N. C.

Dices: Hoc ipso, quod DEUS existat per essentiam, hæc propositio: *DEUS est existens*, in omni sensu tam absoluto, quàm conditionato est vera, go & hæc erit sic vera: *creatura est existens*, si quælibet creatura existat per essentiam. R. C. A. N. C. disp. est, quod Essentia DEI denominans DEUM existentem sit talis forma, quæ est independens ab omni omnino causa, dependenter à qua producat, vel conservetur. Essentia è contra creaturæ non est forma sic denominans creaturam existere independenter ab omni causa.

Dices: Si aliqua Essentia etiam creata identificaretur cum negatione suæ existentie, hoc ipso semper, & necessariò non existeret; go à contrairo cum Essentiæ creaturæ identificetur sua existentia, necessariò,

fariorum, & semper in omni statu existet. R. C. A. N. C. disp. est, quod prior entitas evaderet chymærica, adeoque necessariò impossibilis pro omni statu. Secunda autem entitas non evadit necessaria simpliciter, potest enim in rerum natura absolutè esse, vel non esse, adeoque non existet necessariò pro omni statu.

Obj. 4to. Non potest ulla creatura esse purus actus; ergo omnis debet esse composita ex potentia, & actu; sed compositio ex potentia & actu conveniens omni creaturæ, alia esse non potest, nisi compositio ex essentia, & existentia; ergo omnis creatura est compositio ex essentia, & existentia, & per consequens essentia realiter distinguitur ab existentia, sicut potentia realiter distinguitur ab actu. 5to. Essentia creaturæ est indifferens ad existendum; sed omnis indifferentia tollitur per aliquid realiter superadditum, ergo R. ad 4tum. Non potest ulla creatura esse purus actus, intelligendo per ly *purus actus* naturam non perfectibilem ab intrinseco, & habentem in se omnem perfectionem vel formaliter, vel eminenter, C. A. intelligendo per ly *purus actus* naturam aliquam incompletam, non compositam ex potentia & actu, seu materia, & forma, N. A. & C. Ex hoc enim solùm deducitur non posse esse creaturam illimitatam. Ad 6tum D. M. Est indifferens indifferentiâ logicâ, C. M. indifferentiâ physicâ, N. M. & D. m. Indifferentia physica debet tolli per aliquid superadditum realiter, C. m. logica indifferentia, subd. per aliquid causale sibi superadditum, C. per aliquid formale, N. m. & C.

Instabis: Existentia est donum creaturæ, sed donum distinguitur à donatario, ergo R. D. M. est donum

num primum, C. M. donum non primum, N. M.
& concessa min. N. C.

SECTION IV.

An impossibile sit cognoscibile?

Dico cum *Martinez sup. citato.* Impossibilitas suo modo intrinseca impossibilibus cognosci potest. Prob. 1^{mo}. Omnis veritas objectiva potest esse Terminus potentiaë intellectivaë; impossibilitas suo modo intrinseca impossibilibus, est veritas aliqua objectiva, ergo est cognoscibilis. prob. m. Quod datur pro legitimo responso ad quaestionem, cur DEUS non possit producere chymaram, illud debet esse aliqua veritas objectiva, verificans objectivè hanc propositionem: *DEUS non potest producere chymaram*; sed ad illam quaestionem legitime respondetur dicendo: quia chymara est incapacitas terminandi actionem sui productivam, seu essentialis disconvenientia prædicatorum, & terminorum, ita ut si producerentur, existerent, & non existerent, ergo.

Prob. 2^{do}. Dum negas impossibile intrinsecè tale esse cognoscibile, vel cognoscis, quod negas, vel non? Si non, stultè negas, quia iudicas cæcus de colore: si ita, falsè negas impossibile intrinsecè tale esse cognoscibile, quia tibi contradicis. *Confir.* Improducibilitas objecti non est necessariò connexum prædicatum cum incognoscibilitate, ergo impossibile intrinsecè tale erit cognoscibile.

Obj. 1^o. Si impossibile intrinsecè tale esset cognoscibile, deberet esse objectum verum, vel falsum participare rationem veritatis; sed neutrum habet

bet, go m. prob. Impossibile intrinsecè tale constat ex terminis repugnantibus, videlicet ex esse, & non esse, mutuò se invicem, destruentibus non solum pro statu reali, sed etiam pro statu intentionali, go nec habent, nec participant ullam veritatem. A. prob. Formalis *realis* inclusio hirci, est formalis *realis* exclusio cervi; go etiam formalis *intentionalis* inclusio cervi, erit formalis *intentionalis* exclusio hirci, & è contra; ergo sicut se excludunt ab omni esse reali, ita se excludent ab omni esse intentionali, & per consequens nequeunt esse objectum intellectûs. R. N. m. ad ejus prob. N. secundam partem antecedentis, ad hujus prob. C. A. N. C. Repugnantia enim in prædicatis objecti impossibilis solum est pro statu reali, non verò intentionali, ut ipse Adversarius concedere debet, si quæramus ex illo, dum hanc objectionem nobis objicit, an sciat, & concipiat id, quod objicit.

Instabis: Eo ipso, quòd alicujus cognitionis posset esse objectum aliquod impossibile intrinsecè tale, v. g. Hircus non hircus, cognitio talis objecti nec esset repræsentatio hirci, nec non hirci; sed implicat cognitio, quæ sit repræsentatio hirci non hirci, & tamen nec sit repræsentatio hirci, nec non hirci, R. D. M. Cognitio talis objecti nec esset repræsentatio hirci solius, nec non hirci solius, C. M. Nec esset repræsentatio hirci non solius, N. M. & similiter D. m. & N. C. Cognitionis hujus objectum nec esset solus hircus, nec solus non hircus, sed hircus non hircus; cum go omnis cognitio sit sui objecti repræsentatio, hæc erit repræsentatio hirci non solius, & non hirci non solius, quòd idem est, ac hirci non hirci.

Obj. 2dò. Si impossibile intrinsecè tale est cognosci-

gnoſcibile, tunc etiam incognoſcibile erit cognoſcibile; hoc implicat contradictionem, go & primum. prob. ſeqv. 1. Qui negat cognoſci incognoſcibile, id quod negat cognoſcit, ſeu concipit. 2. Actus iſte: *Incognoſcibile eſt cognoſcibile*, eſt cognitio; omnis autem cognitio eſt ſui objecti cognitio, ſeu repræſentatio; go cùm objectum huius cognitionis ſit incognoſcibile, hoc erit cognoſcibile. R. D. ſeqv. Incognoſcibile erit cognoſcibile, ſi per ly *incognoſcibile* idem explicare velis, ac quod omne Ens dabile ſit cognoſcibile, C. ſeqv. ſi per ly *incognoſcibile* velis aliquod aliud objectum manifeſtare, N. ſuppoſitum, quod præter omne Ens dabile ſit aliquod aliud, & ly *incognoſcibile* ſit aliquis terminus philoſophicus, ſi hoc ſecundo modo ſumatur. Proſus enim eſt idem dicere ac: *ego nunc nihil loquor.*

Dices: Per hanc vocem *Impoſſibile* non intelliguntur omnia poſſibilia; go nec per vocem *incognoſcibile* omne Ens dabile cognoſcibile, ſed aliquod objectum aliud, de quo prædicari poſſit forma incognoſcibilitatis. R. C. A. N. C. diſp. eſt, quod dari aliquod impoſſibile contradidinctum ſuo modo ab omni poſſibili probetur poſitivâ ratione, & ex admiſſo tali objecto intellectus ſibi non contradicit. Oppoſitum ſequitur ex admiſſo ſecundo.

Dices 2dò. Ergo iſti duo actus non diſtingventur ab invicem: *incognoſcibile eſt cognoſcibile*, & hic: *omnia cognoſcibilia ſunt cognoſcibilia.* R. eos diſtingui in hoc, quod diverſo modo tendant in idem objectum. Primus enim tendit in objectum removendo ſignatè ab illo formam cognoſcibilitatis, implicite tamen & exercite admovendo. Secundus verò ſignatè ſimul, & exercite admovendo. Ut ſi diceret: *Homo eſt animal, homo non eſt animal.*

S E C T I O V.

De Ente rationis chymarico.

ENS rationis chymæricum sumitur pro eo, quod habet esse tantum objective in intellectu. Quia verò *ly tantum* dupliciter sumi potest: 1. videlicet ita rigorosè, ut objectum illud extra intellectum nec habeat esse actuale, nec possibile, nec pro statu colectivo partium, nec pro statu distributivo earundem. 2. minùs rigorosè, ita videlicet, ut partes illæ ab intellectu indebito modo apprehensæ, & repræsentatæ, solum objective habeant esse in intellectu pro statu colectivo earundem, licet secundum se sumptæ pro statu, & in statu distributivo habeant esse reale, vel possibile. Hinc Ens rationis duplex esse potest: rigorosè tale, & minùs rigorosè. hâc sectione agendum est de rigoroso.

Dico: Etiam si particula *tantum objective* in definitione Entis rationis sumatur strictissimè, datur nihilominus Ens rationis, quod radicaliter sumptum, seu prout præscindens ab actuali existentia intentionali, est ipsum impossibile intrinsecè tale, cognoscibile. Formaliter verò, seu actualiter existens, est ipsum impossibile intrinsecè tale actu terminans cognitionem sui. Ita *Compt. disp. 13. Log.* Prima pars conclusionis prob. Positâ solâ impossibilitate intrinsecè tali, ejusque cognoscibilitate, ponitur radicaliter Ens rationis, & alterutrâ harum non positâ non ponitur; ergo Ens rationis radicaliter sumptum est complexum ex impossibili intrinsecè tali, ejusque cognoscibilitate. A. prob. Si detur præcisè impossibile cognoscibile, habetur id, quod *tantum objective in intellectu esse*

habere potest; sed hoc est radicaliter Ens rationis, go. M. prob. Impossibile intrinsecè tale nullum potest habere, nec habet esse reale, sed tantum esse objectivum, quod cum sit cognoscibile, sequitur, quod solum habere possit esse objectivum in intellectu; go. positis solis illis duabus formalitatibus, habetur id, quod tantum habere potest esse objectivum in intellectu; hoc autem est Ens rationis radicaliter sumptum, go.

Prob. 2da Pars: Ens rationis formaliter tale, est ens, quod habet actu esse tantum objective in intellectu, seu tantum actualem intentionalem existentiam, & aliam nullam, nec ullo modo habere potest; sed impossibile intrinsecè tale actu terminans cognitionem sui est illud, quod habet actu intentionalem existentiam tantum, seu esse tantum objective in intellectu, ita ut nullam aliam, nec ullo modo habere possit, go.

Obj. 1mo. Impossibile intrinsecè tale cognitum, vel esset Ens rationis, in quantum cognosceretur impossibilis identitas inter extrema secundum se possibilia, vel in quantum totum objectum propositionis esset impossibile intrinsecè tale cognitum; neutrum dici potest, go. m. prob. Nullum objectum per seipsum fert secum duo contradictoria; sed quocumque ex duobus modis superioribus impossibile intrinsecè tale cognitum esset Ens rationis, ferret secum duo contradictoria, go. M. prob. Nullum objectum potest secum ferre duo contradictoria actualia, aliàs cum illis actu existeret: non etiam possibilia, aliàs posset cum illis existeret: non etiam conditionata, & ex suppositione, si existeret; aliàs primò vera esset hæc propositio conditionalis: si illud objectum existeret, existerent duo contradictoria. Secundò, verum esset, quòd
duæ

duæ propositiones contradictoriæ defactò essent simul veræ, quòd prob. Ponamus enim veram esse hanc conditionalem: *si alter DEUS existeret, esset existens, & non esset existens*, tunc vera est hæc propositio: *si alter DEUS existeret, existeret, & simul vera esset contradictoria ejusdem: si alter DEUS existeret, non existeret.* R. C. M. N. m. ad hujus prob. Dico, quòd objectum aliquod possit secum ferre duo contradictoria conditionatè, inquantum videlicet verum est, quòd utràmque pars contradictionis existeret, si impossibile existeret. Admitto itidem in hypothese illa impossibili, si alter DEUS existeret, utràmque propositionem fore veram, sed nego illas fore contradictorias in hypothese illa impossibili, adeoque nego, quòd sequeretur actu verificari duas propositiones contradictorias. Dico igitur, ad veram contradictionem requiri, ut una pars contradictionis alteram omnino excludat, & ex nulla ratione simul inferat. Sic inter Petrum, & ejus negationem est vera contradictio, quia existentia Petri omnino excludit sui negationem, & hæc vicissim excludit omnino existentiam Petri. At verò in impossibili intrinsecè tali, quodcùnque illud sit, ita est quælibet pars sui esse, ut sit simul sui non esse: sic si alter DEUS in hypothese impossibili existeret, existentia ejus in illa hypothese simul esset exclusiva, & simul illativa negationis existentiae alterius DEI. Unde ut hæc propositiones reddantur contradictoriæ, debet semper iisdem addi particula tantum, in quo sensu non amplius utraq; illa propositio erit vera, sed altera tantum, v. g. in substrato exemplo hæc: si existeret alter DEUS, non esset verum, quòd existeret tantum, huic verò contradictoria esset falsa.

Urgebis: Existentia alterius DEI etiam in hy-

pothesi impossibili verè est exclusiva negationis existentiae alterius DEI; go propositiones de illius existentia, v. g. hæ: *si existeret alter DEUS, existeret,* &: *si existeret alter DEUS, non existeret,* erunt veræ contradictoriæ. R. D. A. Existencia alterius DEI, etiam in hypothesi impossibili, esset verè exclusiva negationis alterius DEI, & simul ejusdem illativa, C. A. tantum exclusiva, N. A. & N. C.

Instabis: Si prædictæ propositiones non sunt vera contradictoria, impossibile non infert vera contradictoria; sed quod non infert vera contradictoria, non est impossibile, go impossibile non est impossibile. R. D. M. Si prædictæ propositiones non sunt vera contradictoria nec pro statu existentiae absolutæ, præscindentis ab hypothesi impossibili, nec pro statu existentiae sub hypothesi impossibili, tunc impossibile non infert vera contradictoria pro statu existentiae absolutæ, C. si non sint solum pro statu existentiae sub hypothesi impossibili, sunt tamen pro statu existentiae absolutæ, tunc pro hoc statu impossibile non infert vera contradictoria, N. M. & similiter distinctâ m. N. C. Prædictæ enim propositiones licet pro statu existentiae in hypothesi impossibili non sint vera contradictoria, sunt tamen pro statu existentiae absolutæ.

Obj. 2dò. Si statuatur Eas rationis in impossibili intrinsecè tali cognito, hoc ipso nullæ dantur propositiones contradictoriæ pro ullo statu, quod probatur, quia nunquam habebunt idem objectum terminativum adæquatè sumptum. Nam hæc propositio: *homo est lapis,* habet pro objecto partialiter terminativo identitatem impossibilem intrinsecè talem, quam affirmat. Hæc verò: *homo non est lapis,* habet identitatem realem, quam negat; impossibilem enim

non negat, aliàs esset falsa, ergo negat identitatem realem. R. N. seqv. ad prob. N. A. ad hujus prob. N. quòd propositionum illarum objectum terminativum partialiter sit identitas. Dico enim, quòd objectum adæquatum terminativum propositionum sit solum prædicatum, & subjectum, ipsa verò copula habet solam rationem modi tendendi in illud objectum, videlicet vel modo compositivo, si sit propositio affirmativa, vel modo divisivo, si sit negativa, ut patet ex Philosopho, qui verbum *est* in propositionibus vocat unionem intentionalem extremorum, seu copulam, hoc est, modum, quo intellectus tendit in objectum suum terminativum. Identitas verò est objectum motivum, quæ apprehensa ut possibilis movet intellectum ad affirmandum prædicatum de subjecto, & apprehensa ut impossibilis movet intellectum ad negandum prædicatum de subjecto. Si enim omnia illa, quæ per propositionem exprimuntur, vel quoquo modo attinguntur, essent objectum ejusdem terminativum, sequeretur, quòd hæc propositio: *homo non est lapis* pro objecto suo terminativo haberet subjectum, prædicatum, identitatem realem, & simul ipsam negationem objectivam identitatis, per *ly non est* expressam & significatam; hoc autem dici nequit, go. m. prob. Quia vel hæc objectivam negationem identitatis affirmaret, vel negaret: si affirmaret, esset propositio affirmativa, adeoque non esset contradictoria huic: *homo est lapis*. Si verò negaret, tunc hæc propositio esset falsa, negaret enim negationem identitatis inter hominem & lapidem, quæ negatio objectiva identitatis verè datur inter hominem & lapidem, & per consequens ejusdem contradictoria esset vera: *homo est lapis*, quod est ridiculum.

Obj. 3^{tiò}. Nullus datur status impossibilitatis;

go nullum datur impossibile intrinsecè tale, & consequenter Ens rationis in illo statui non potest. A. prob. Quia aliàs eadem res deberet simul & semel esse in statu vel possibilitatis, vel actualis existentiae; & simul in statu impossibilitatis, quod implicat. Probatur autem, quia impossibile, quod poneretur in statu impossibilitatis, haberet partes contradictorias, v. g. hoc: *hircocervus*, cujus partes sunt: esse hirci non esse hirci, esse cervi non esse cervi; hæc autem partes secundùm se sumptæ sunt vel in statu possibilitatis, vel actualis existentiae; esse enim hirci vel est existens, vel possibile, go. B. N. A. ad prob. N. M. ad hujus prob. C. M. N. m. quòd illæ partes objectivè sumptæ sunt vel in statu possibilitatis, vel existentiae, quatenus sunt partes impossibilis; sunt enim tantùm in statu impossibilitatis, quia esse cervi ita est pars impossibilis, ut semper simul per essentiam sit non esse, & non esse cervi semper per essentiam simul sit esse cervi. Unde quia quælibet pars impossibilis est essentialiter exclusiva simul, & illativa ejusdem termini, quælibet objectivè sumpta est tantùm in statu impossibilitatis. Nulla igitur est tantùm esse, vel tantùm non esse, adeoque objectivè nulla potest esse in statu possibilitatis, vel existentiae, sed ad summum sic potest esse intentionaliter, quatenus intellectus, præscindendo ab una ejus formalitate, solum v. g. *esse*, vel solum *non esse* potest considerare.

Dices: Ex responsione sequitur, quòd impossibile intrinsecè tale habeat actu in se contradictoria, & non habeat, quia *esse* impossibilis ita esset *esse*, ut simul sit per essentiam *non esse*, & vicissim, go. B. D. seqv. sequitur quòd impossibile habeat actu in se contradictoria, & non habeat, id est, quòd in statu
exi-

existentiæ absolutæ, seu si absolute existeret, haberet & non haberet contradictoria, N. A. In statu existentiae sub hypothese impossibili, hoc est, si per impossibile existeret, tunc haberet & non haberet, contradictoria, C. A. at ex hoc nihil sequitur absurdi, ut patet ex responsione ad primam objectionem.

Obj. 4^{to}. Si Ens rationis rigorosum formaliter sumptum esset impossibile intrinsecè tale, actu terminans cognitionem sui, vel cognitio esset ejusdem pars constitutiva, vel non? neutrum dici potest, go. m. prob. Imprimis dici non potest, quòd esset, aliàs jam falsum esset, quòd Ens rationis haberet tantum esse objective in intellectu, siquidem ipsa cognitio habet esse verè reale subjectivè, & effectivè in intellectu. 2^{do}. Omnis cognitio, seu vera seu falsa sit, est forma realis denominans in genere causæ formalis intellectum cognoscentem. 3^{to}. Cognitio cognoscens impossibile intrinsecè tale, non est cognitio sui-ipsius, quia illa non est impossibilis; sed si esset pars constitutiva entis rationis, deberet esse cognitio sui-ipsius, go. Prob. etiam 2. pars m. quòd videlicet dici nequeat, quòd cognitio non sit constitutiva Entis rationis: Intellectus cognoscens impossibile intrinsecè tale, & faciens Ens rationis rigorosum, agit realiter; go hujus actionis realis debet dari terminus realis, siquidem omnis actionis realis terminus debet esse realis; sed ipsum impossibile intrinsecè tale non est terminus realis; go debet esse ipsa cognitio, adeoque hæc erit pars constitutiva Entis rationis. R. C. M. N. m. ad hujus prob. C. Imam partem m. quòd videlicet cognitio non possit dici pars constitutiva Entis rationis ob allegatas rationes. N. 2dam partem, & Dico, cognitionem non esse partem constitutivam Entis rationis, ad hujus prob. D. A. Intellectus co-

gnoscens impossibile agit realiter actione reali intentionali, C. A. agit realiter actione reali non intentionali, N. A. & D. C. go hujus actionis realis debet dari terminus realis per illam productus, tr. C. debet dari terminus realis per illam repræsentatus, N. C. ad prob. D. M. Omnis actionis realis debet esse terminus realis, si actio illa non sit intentionalis, C. M. si actio illa sit intentionalis, debet dari terminus realis, subd. terminus repræsentatus per illam, N. M. terminus productus per illam, tr. M. & concessâ m. N. C. Cognitio, quæ est actio realis intentionalis, duas habet formalitates: una est, quod illa sit repræsentativa, secunda, quod sit efficiens, seu productiva suæ speciei, quam relinquit post se. Terminus qui respondet primæ formalitati, non debet esse temper realis, quia circa illum cognitio non versatur efficienter, sed tantum repræsentativè: sicut go potest imago Cæsarem v. g. jam mortuum repræsentare realiter realitate imaginis repræsentantis, non verò realiter realitate Cæaris repræsentati, ita cognitio potest repræsentare realiter terminum, qui realis non est, ut patet in cognitionibus repræsentantibus realiter rem præteritam. Terminus verò, qui correspondet secundæ formalitati, est realis, ipsa videlicet qualitas, seu species, & semen aliquod relictum ab illa cognitione in intellectu. Verùm hoc semen, seu terminus à cognitione productus, non est Ens rationis chymæricum, seu terminus per illam repræsentatus, quia hic non habet esse tantum *objectivè* in intellectu, id est, repræsentativè tantum existens in intellectu, prout terminus repræsentatus, qui nec efficitur, nec subiectatur in intellectu, nec ullum esse reale habere potest.

Argues contra: Omnis actio specificatur à suo termino; go si actio intellectûs, quâ cognoscitur impossi-

possibile intrinsecè tale, est actio realis, debet etiam ejusdem terminus, à quo desumit hanc denominationem, seu specificationem, esse realis; sed si terminus erit realis, ipsum impossibile, quod est terminus hujus actionis, debet esse reale, adeoque non erit id, quod habet esse tantum objectivè in intellectu. R. D. A. Omnis actio specifiatur à suo termino quoad aliquas denominationes, C. A. quoad omnes denominationes, N. A. aliàs actus vitalis, v. g. visio, non posset esse objecti non viventis. Sicut ergo visio denominationem vitalis non accipit à termino, sed à causa, ita etiam cognitio denominationem realis desumere potest vel à causa, vel à termino per illam producto, non verò necessariò à termino repræsentato.

Instabis: Ens rationis rigorosum est, quod habet esse tantum objectivè in intellectu; sed impossibile intrinsecè tale cognitum non haberet esse tantum objectivè in intellectu; ergo illud non erit Ens rationis rigorosum. m. prob. Impossibile intrinsecè tale habet aliquod esse in statu impossibilitatis ante omnem operationem intellectûs, ergo. *Confir.* In hac propositione: *Antichristus existit*, non est ens rationis, licet enim in existentia Antichristi, quam propositio illa enunciat, non habeat esse actuale reale, quia tamen habet esse in statu possibilitatis, non potest dici, quod habeat esse tantum objectivè in intellectu; ergo etiam quia independenter ab intellectu impossibile habet aliquod esse in statu impossibilitatis, non potest dici, quod habeat esse tantum objectivè in intellectu. R. C. M. N. m. ad prob. D. A. Impossibile intrinsecè tale habet aliquod esse reale in statu impossibilitatis, vel posset habere esse reale, & physicum in statu absolutæ existentie, N. A. habet esse tantum aliquod logicum cognoscibile, C. A. & N. C. Ad *Confir.* R. ean.

eandem esse pro nobis. Ideò enim illa propositio non est ens rationis, quia existentia, quam enunciat propositio, licet non habeat esse reale in statu possibilitatis, potest tamen habere esse reale in statu absolutæ existentiae, quod de impossibili dici nequit.

S E C T I O VI.

De Ente rationis minùs rigoroso.

Dico: Si particula definitionis tantùm objectivè in intellectu minùs rigorosè sumatur, videlicet ut excludat ab objecto solummodò esse actuale, vel possibile pro statu collectivo partium, non verò etiam pro statu distributivo, datur Ens rationis, illudque componitur ex partibus secundùm se possibilibus, & realibus, sed per indebitam intellectùs compositionem, & repræsentationem incomponibilibus. ita Perez de scientia DEL diss. 5. Morauski in Princ. phil. diss. 1. qu. 2. §. 6. Prob. Itæ partes secundùm se possibilis sic in statu collectivo sumptæ nullum aliud esse habere possunt, quàm esse objectivum in intellectu; go sunt verè Ens rationis minùs rigorosè sumptum. C. constat. A. autem etiam patet. Hæc enim propositio: *homo est lapis*, sumpta in statu collectivo suarum partium, seu prout sic indebitè ab intellectu apprehensa, & repræsentata, nullum aliud esse habere potest, quàm esse objectivum in intellectu.

Obj. imò. Quidquid habet esse tantùm objectivè in intellectu, debet esse ab omni possibili distinctum; ens rationis, quod consurgeret ex partibus secundùm se realibus, non esset ab omni possibili distinctum, go. R. D. M. Eo modo sumptum, quo habet esse tantùm objectivè in intellectu, debet esse

esse ab omni possibili distinctum, C. M. sumptum aliò modò, N. M. Ens rationis minùs strictè tale, constans partibus seorsim sumptis realibus solùm pro sensu copulativo partium est Ens rationis, & sic sumptum est distinctum ab omni possibili, quia sic sumptum non habet ullum aliud esse, nec habere potest, præterquam objectivum in intellectu.

Instabis: Hoc ipso, quòd partes seorsim, & secundùm se sumptæ, non habeant esse tantùm objectivè in intellectu, nec habebunt simul sumptæ esse tantùm objectivè in intellectu, go. A. prob. 1. Totum non distinguitur à partibus, go quales sunt partes, tale est totum. Sed partes præter esse objectivum in intellectu habent esse reale, vel possibile; go & totum ex illis conflatum. Prob. 2. Bona est hæc illatio: quælibet pars domûs est alba, vel lignea, go tota domus est alba, vel lignea. go etiam ista erit bona illatio: quælibet pars præter objectivum in intellectu habet esse reale, vel possibile; go etiam totum ex illis conflatum præter esse objectivum in intellectu habebit esse reale; vel possibile. R. N. A. ad 1. prob. D. A. Totum non distinguitur à partibus simul sumptis, C. A. à partibus seorsim sumptis, N. A. & D. C. go quales sunt partes simul sumptæ, tale est totum, C. C. quales sunt partes seorsim, & distributivè sumptæ, tale est totum, N. C. & D. subs. m. Sed partes Entis rationis minùs rigorosi præter esse objectivum in intellectu habent esse reale, vel possibile, si sumantur seorsim, & distributivè, C. si sumantur simul, & in statu copulativo, N. subs. m. & C. Ad 2. Prob. 1. modò. retorqueo argumentum. Bona est hæc illatio: quælibet pars domûs est alba &c, go etiam hæc erit bona illatio: quælibet pars hominis, est pars hominis; go etiam totus homo est pars hominis. R. 2. ad. dire-

directè, C. A. N. C. ratio disp. est, quòd prædicata aliqua sint talis naturæ, quæ partibus & seorsim, & copulativè sumptis conveniunt, qualia sunt: esse lignum, esse album &c. Aliqua verò prædicata sunt talia, quæ conveniunt partibus solùm tunc, quando illæ dicunt conjunctionem cum alijs, & sumuntur in statu copulativo, talia sunt: exercitus, populus, domus &c. Alia iterum sunt, quæ conveniunt partibus solùm tunc, quando sumuntur distributivè, & separatæ ab alijs, qualia sunt: esse unum, esse partem incompletam &c. Hinc dico non esse bonam illationem objectionis, quia prædicatum esse tantùm objectivè in intellectu est prædicatum tale, quod convenit partibus tantùm simul, & in statu copulativo acceptis. Prædicatum verò possibile, reale, est talis naturæ, quod partibus seorsim sumptis convenit, non verò sumptis copulativè per identitatem cum alijs. Atque aded quemadmodum Adversarij negabunt nobis consequentiam in hoc argumento: Petrus non est populus, Paulus non est populus, & sic de millenis hominibus distributivè sumptis loquendo; ergo nec omnes simul sumpti sunt populus. Vel: Materia non est compositum, forma non est compositum, unio non est compositum; ergo nec materia cum unione & forma est compositum: ita & nos negamus illis consequentiam in argumento contra nos allato.

Obj. 2dò. Intellectus enunciando hanc propositionem: homo est lapis, facit Ens rationis minùs rigorosum; sed hoc non constat partibus merè realibus, vel possibilibus; ergo Ens rationis minùs rigorosum non constat partibus merè realibus, vel possibilibus. m. prob. Pars hujus propositionis est identitas inter hominem, & lapidem; sed hæc non est realis.

alis, nec possibilis; go aliqua pars illius propositionis non est realis, nec possibilis. m. prob. Identitas, quæ per propositionem illam enunciatur, deberet unire inunibilia; sed nulla identitas realis, vel possibilis potest unire inunibilia; go identitas, quæ in præfata propositione enunciatur, non est realis, nec possibilis. R. C. M. N. m. ad hujus prob. C. M. D. m. Nulla identitas realis, vel possibilis potest unire inunibilia realiter, & à parte rei, C. m. nulla identitas realis potest concipi unire inunibilia realiter, N. m. & D. C. go hæc non est identitas realis, nec concipitur esse realis, N. C. non est realis, concipitur tamen esse realis, C. C.

Instabis: Nulla identitas realis potest concipi unire realiter inunibilia, aliàs intellectus sibi contradiceret; primò enim judicaret duo esse realiter inunibilia, secundò judicaret ea esse unibilia realiter, quia judicaret illa uniri unione reali, quod est impossibile, go R. D. A. Nulla identitas realis potest concipi unire inunibilia realiter, quæ quidem sunt inunibilia, sed per errorem apparent intellectui esse unibilia N. A. quæ sunt, & apparent intellectui esse inunibilia, C. A. & N. C. Hâc distinctione etiam solvitur probatio antecedentis.

Obj. 3tiò. Ut intellectus in hac propositione *homo est lapis* faciat Ens rationis, debet concipere talem identitatem, quæ implicat; go hoc ens rationis non constat ex meris partibus realibus, vel possibilibus. R. D. A. quæ implicat in sensu copulativo partium, C. A. quæ implicat etiam secundum se, & in sensu distributivo partium, N. A. & C. Unde sequitur, quòd illa identitas esset possibilis quidem secundum se, & seorsim sumpta; non autem quòd esset possibilis etiam in conjunctione, seu statu copulativo homi-

hominis, & lapidis accepta. Nec sunt ista contradictoria, quia non sequitur esse possibilem & impossibilem identitatem eodem modo acceptam, sed tantum diverso, & in diverso statu: sicut nec hæc sunt contradictoria: Petrus cum conjunctione mille hominum est populus, Petrus sine conjunctione mille hominum sumptus non est populus.

Nota: Hujus propositionis: *homo est subiectum*, licet objectum habeat tantum esse objective in intellectu, non est tamen Ens rationis, quia non enunciat pro statu reali, quasi à parte rei haberet esse reale objectum illius propositionis. Pariter negationes licet habeant esse tantum objective in intellectu, non sunt tamen ens rationis, quia dum concipiuntur, non concipiuntur quasi haberent esse reale à parte rei, nec in se includunt esse, & non esse.

S E C T I O VII.

De Ente negativo.

Nomine negationis communiter intelligunt Philosophi *Non esse rei alicujus*. Negationes hæc duplicis sunt generis: aliæ formales videlicet, aliæ fundamentales, seu causales. Negationes causales esse identificatas alicui Enti positivo facile omnes concedunt. De formalibus activis quæstio celebris est, in quonam essentia illarum statuenda sit: an in Ent aliquo positivo, an in aliquo negativo reipsa existente saltem diminutè, an in solo termino negativo?

Dico cum *Isqu. disp. 9. Phari Num. 59*: Negationes formales quæ tales nihil omnino sunt in esse rei, seu extra intellectum. *Prob.* Negationes forma-

males quâ tales sunt purum non esse rei, seu termini sui negati; sed purum non esse termini negati nihil omninò est in esse rei, seu extra intellectum, aliàs hoc ipso non esset purum non esse rei, go. M. prob. Negationes formales opponuntur contradictoriè suis terminis negatis, seu rebus; sed solum purum non esse rei, seu termini negati, opponitur contradictoriè termino negato, seu rei, go. m. est certa, quia illud solum contradictoriè opponitur rebus negatis, quod præcisè tollit res negatas, quin aliquid ponat de suo. Hinc frigus non opponitur contradictoriè calori; go. Idem proportionaliter intelligendum est de privationibus.

Quare Infertur imò contra Nomina'es: Negationes rerum non esse ipsas res possibles, quatenus connotant propositionem negativam, aliàs terminus negatus esset negatio sui, cum terminus possibilis sit terminus negatus per negationes contingentes. Hinc sicut defactò existit negatio alterius mundi, ita alter mundus existeret eidem identificatus, & consequenter idem simul esset, & non esset.

Infertur 2dò. contra Telez. disp. 23. sect. 6. Negationes formales rerum non esse Entia quædam diminuta, & abusiva, distincta ab omnibus entibus positivis. Prob. Quia hoc ipso, quòd negatio formalis esset aliqua forma existens à parte rei, distincta realiter ab omni Ente positivo, illa negatio hoc ipso esset aliquod Ens reale positivum. Ens enim reale positivum est illud, cui non repugnat existere à parte rei. Prob. 2dò. Quia vel sententia hæc loquitur universaliter de omnibus negationibus, tam necessarijs videlicet, quàm contingentibus, vel tantum de contingentibus. Si secundum, infert defactò existere infinitum categorematicum entium diminutorum, cum

infiniææ possibilis sint res, quæ defactò non existunt; Si primum, sequitur negationes formales vel esse DEUM, vel chymæram. Hæ enim negationes essent ab æterno existentialiter, cum ab æterno possibilis fuerint creaturæ, & non essent à DEO productæ, cum DEUS ab æterno nihil produxerit; go existerent à se ab æterno, go vel DEUS essent, vel chymæra. Quidquid enim est existens à se ab æterno, & DEUS non est, chymæra est.

Infertur 3tiò contra *Esparzam quest. 16. de DEO, & multos RR.* Negationes formales, seu activas non esse à parte rei identificatas alicui Enti positivo reali, impossibili cum eo, quod per negationem negatur. Prob. Quia aliàs oppositio contradictoria non differret à contraria. Oppositio enim contraria est, quæ est inter rem & rem; atqui omnis oppositio inter rem & sui negationem esset inter rem & rem, cum negatio esset identificata rei realiter, seu Enti positivo impossibili cum re negata, go. Prob. 2dò. cum *Isqu.* Non implicat, quò minùs DEUS nullum actum suum liberum positivum exercuisset circa existentiam alterius mundi v.g. sed tunc extitisset negatio alterius mundi, néque tamen daretur impossibile Ens aliquod positivum cum altero mundo, cum illud, juxta explicationem Adversariorum sit decretum DEI positivum, go.

Obj. 1mò. Objectum propositionis negativæ est negatio formalis; sed hujus: *Alter mundus non existit* objectum est alter mundus possibilis; go hic est negatio sui formalis. R. D. M. Objectum verificativum, C. M. objectum præcisè terminativum, N. M. & similiter distinctâ m. N. C.

Obj. 2dò. Inter cæcitatem & surditatem datur aliqua distinctio; sed si hæc nihil essent extra intellectum, nulla

nulla inter illas daretur distinctio. Inter nihil enim & nihil nulla est distinctio, go. R. D. M. secundum quod cæcitas & surditas significant, seu secundum illud, cujus nobis notitiam pariunt, C. M. secundum quod supponunt, N. M. & similiter distinctâ m. N. C. Privationes enim, & negationes significant, seu notitiam pariunt semper termini negati, qui termini negati cum inter se distingvantur, etiam eorum privationes, vel negationes inter se distingventur. Juxta S. Thomam enim privationes & negationes suo modo specificantur à terminis, quos excludunt. Ita quippe ille *2da 2de quæst. 87. art. 2* ☉ *Omnis defectus, seu privatio speciem sortitur secundum habitum, seu terminum oppositum.*

Obj. 3^{to}. Hæc propositio: *Datur nunc negatio Antichristi*, est vera nunc, go debet nunc dari ejusdem objectum verificativum; sed hoc est juxta nos negatio formalis activa, go hæc debet dari nunc, & consequenter negationes formales activæ existunt, adeoque sunt aliquid extra intellectum. R. C. A. D. C. go debet dari nunc, hoc est, existere ejus objectum verificativum tamquam aliquid, quod sit in esse objecti, seu rei, N. C. tamquam aliquid, quod sit solum in esse veri, C. C. & similiter reliqua. Similes igitur propositiones: *datur negatio Antichristi* &c. solum materialiter sunt affirmativæ, reipsa & formaliter negativæ, quia utraque hæc: *datur negatio Antichristi*, & : *Non datur Antichristus*, contradictoriè opponitur huic: *datur Antichristus*. Unde licet ad affirmativam propositionem requireretur, ut suum objectum verificativum existat realiter pro tempore per copulam importato, non probatur tamen id fieri debere cum prædictæ propositionis objecto verificativo.

Obj. 4^{to}. Homo non est per seipsum cæcus, go.

per aliquid superadditum; go. id, per quod est formaliter cæcus, est aliquid existens: sicut v. g. albedo, per quam est albus. R. C. A. D. C. quod superadditum sit aliquid in esse rei, N. quod sit aliquid in esse veri, C. C. Ad paritatem de albedine Diss. est, quòd esse album sit denominatio affirmativa, & positiva, adeóque debet haberi per formam positivam. E contra esse cæcum est denominatio negativa, adeóque non debet haberi per formam positivam, sed per carentiam formæ positivæ. *Juxta Arist.* enim: *ex eo quod res est, vel non est, propositio vera vel falsa est.*

Dices: Nequit propositio de se indifferens ad veritatem, vel falsitatem determinari potiùs ad veritatem, quàm falsitatem per nihil; go cùm negationes formales rerum nihil sint, per has determinari propositiones indifferentes, quales sunt: *Antichristus non existit, Petrus est cæcus &c.* non possunt ad unam partem. R. D. ly *per nihil*, si illud *nihil* sit tam transcendentaliter, quàm supertranscendentaliter nihil, C. si solum sit nihil transcendentaliter, & intellecto hoc jam intelligitur sic se habere objectum propositionis, sicut enunciat propositio, N. A. & C.

Instabis: Duo contradictoria nunquam possunt simul non esse. R. D. Non possunt simul non esse in esse veri, C. in esse rei, N.

Obj. s^{to}. Negationibus formalibus, seu activis conveniunt prædicata Entis positivi, go sunt identificate alicui Enti positivo. A. prob. Imprimis negatio v. g. Antichristi independenter ab omni operatione intellectus est indivisa in se, & divisa à negationibus v. g. Petri, Pauli &c. go est quid *unum*. 2^o Negatio est sæpè melior, quàm res negata, go convenit illis etiam prædicatum *bonum*. R. N. A. ad primam

nam prob. hujus patet responsio ex objectione secunda. Ad 2. prob. R. Negatio est melior, hoc est minus mala, quàm res negata, C. est melior, hoc est, magis bona propriè loquendo, N. A. & C. Negationes sunt meliores subinde eo pacto terminis negatis, quo dicitur ægrotus v. g. meliùs habere, cum remittit intensus morbus, estò tunc verè bene adhuc non habeat, quia non habet sanitatem, sed tantùm dicitur habere meliùs, quia non habet tantum morbum.

Dices: Negationes formales sunt prudenter appetibiles, & eligibiles tamquam medium utile ad finem aliquem, go sunt verè bonum. A. patet, quia ipse DEUS plurimis vult, & eligit v. g. negationem ingenij, vel opum, ut salventur faciliùs. Deinde innocentia est negatio peccati; hæc autem est eligibilis prudenter ad finem bonum, go. R.; D. A. eligibiles, & appetibiles formaliter, & positivè, N. A. æquivalenter, C. A. & N. C. Ad prob. R. DEUM solùm æquivalenter eligere negationes, quando ex intentione finis non ponit rem negatam. Idem enim est æquivalenter nolle DEUM, ut res negata existat, quæ fini intento posset esse impedimento, ac velle, ut negatio rei negatæ suo modo existat, ut finis intentus obtineri possit. Ad 2. prob. N. A. aliàs lignum esset innocens, cum habeat negationem peccati. Innocentia igitur est vita innocens, & conformis præceptis Divinis.

Obj. 6to. Scriptura S. loquitur de negationibus & privationibus, quasi haberent aliquod esse positivum, ut in *Psal. Benedicite lux, & tenebra Domino*, go. Item *Arist. 2. de anima, t. 138.* ait: *privations percipi sensu, & tenebras aspectu*, ergo R. Scripturam Sacram ibidem accipere tenebras pro causa aliqua excludente positivè lucem, qualis potest esse

esse condensatio nimia aëris. Unde *Exod. 10. v. 11. ait. Sint tenebrae super terram Ægypti tam dense, ut palpari possint.* Ad textum Arist. *Æ.* intelligendum esse Aristotelem, quod sit locutus tantum arguitivè, non verò formaliter, & propriè sensu percipi privationes, & tenebras. Quoties enim sensus, vel oculus bene dispositus in loco aliquo non habens obicem, non percipit v. g. hominem esse vel animal, intellectus desuper arguit ibidem esse carentiam hominis. Unde & bruta non gemunt ideo, quod videant carentiam v. g. suorum pullorum, sed ideo, quod non habeant visionem illorum, quorum habent phantasticam apprehensionem.

Ultimò *Nota*: Forma impossibilis cum altera potest dici hujus exclusio formalis, sed solum per modum contrarij, non verò per modum contradictorij. Et hinc ut salvetur oppositio contradictoria, admittendæ sunt negationes non identificatæ Entibus positivis, quæ videlicet in se nihil sint in esse rei.

S E C T I O VIII.

De Ente præscindente à differentijs.

Quæstio non procedit de Ente latissimè sumpto, sed de Ente sumpto nominaliter, quod definitur: *Esse aptum existere, vel Esse oppositum chymaræ.*

Dico. *Imò.* Ens formaliter sumptum præscindit à suis differentijs. Prob. Animal perfectè præscindit à suis differentijs, rationali videlicet, & irrationali; go etiam Ens à suis, perfectitate videlicet, & ãnaleitate &c. prob. C. Tam parum Ens in suo conceptu

ceptu formali, & quidditativo includit conceptum differentiarum, quàm parum animal; go si hâc ratione animal præscindit perfectè à suis differentijs, præscindet etiam Ens. A. prob. Ideo animal in suo conceptu formali, & quidditativo non includit formaliter conceptum suarum differentiarum, quia intellecto conceptu animalis, qui est: *esse vivens, vel sentiens*, nescio an vivens hoc, vel sentiens, sit rationale, vel irrationale, cùm sit indifferens animal, ut contrahatur ab alterutra hac differentia; sed etiam intellecto conceptu formali, & quidditativo Entis, qui est *aptum existere, vel opponi chymaræ*, non intelligo adhuc, an hoc aptum existere sit aptum existere per se, vel in alio &c. cùm hic conceptus *aptum existere* sit indifferens, ut contrahatur ab alterutra differentiarum.

Confir. 1^{mo}. Si Ens in suo conceptu formali, & quidditativo includeret formaliter differentias, hæc prædicatio vera: *substantia est ens*, esset falsa, quia illius sensus esset: *substantia est substantia & accidens*. Ad veritatem siquidem propositionis affirmativæ requiritur adæquata identitas inter rectum subjecti, & rectum prædicati, adeoque in illa propositione ly *Ens*, quod est prædicatum, deberet identificari subjecto secundùm omnia illa, quæ dicit in recto expressè, atquæ expressè diceret, si non præscindit à differentijs, omnes quatuor differentias, go.

Confir. 2^{do}. Ens ut Ens non est formaliter perfectitas, go præscindit ab illa. A. prob. Si ens ut ens esset formaliter perfectitas, accidens esset perfectitas, seu substantia, quia accidens est ens. C. etiam prob. à paritate de animali: ideo siquidem animal præscindit perfectè à rationali, vel irrationali, quia animal quæ animal est negabile de rationali vel irrationali.

Dico 2dò. Etiam differentiarum quæ tales perfectè præscindunt ab Ente. ita *Arriaga diss. 21. Log. Prob. I.* Conceptus formalis entis vel est tota ratio constitutiva differentiarum, vel tantùm pars illius? si unum, sequitur illas inter se non differre, cum cujuslibet ratio adæquatè constitutiva esset eadem. Si 2. go præter rationem Entis est aliquid in differentijs, quod formaliter non est Ens.

Prob. 2dò. Conceptus formalis differentiarum non explicat expressè conceptum entis, go differentiarum præscindunt ab ente. C. tenet à paritate desumpta à rationali, & irrationali præscindentibus formaliter ab animali. A. prob. Conceptus formalis perfectitatis v. g. est *independentia à subjecto, Inaleitatis, exigentia inherentia*; sed hi conceptus non explicant expressè, & formaliter conceptum formalem entis, nempe *aptum existere, vel opponi chymaræ*; go. m. prob. Imò. Per hunc conceptum rationalis: *principium ratiocinandi*, non explicatur expressè, & formaliter animal, ideo, quia animal quæ tale est negabile de rationali; sed etiam Ens quæ tale est negabile de perfectitate, vel inaleitate, go. Prob. 2dò. Per hunc conceptum: *Infinitum est extensio sine fine*, non explicatur conceptus Entis expressè, seu non repugnantia ad existendum, ideo, quia etiam habito conceptu Entis dubitare possum, an sit possibilis extensio sine fine; sed etiam cognito conceptu entis, & inaleitatis possum dubitare, an accidens sit possibile, prout dubitavit, & negavit dari, licet falsò, Dechartes, go.

Obj. Imò. Prædicatum Entis est prædicatum transcendens suas differentias, go includitur formaliter in omnibus differentijs. R. D. A. Est transcendens per adjectionem, seu connexionem metaphysicam, C. A. per identitatem seu inclusionem metaphysicam
N. A.

N. A. & C. Vel dic, Ens transcendere suas differentias sumptas realiter, non autem sumptas formaliter.

Obj. 2dò. Differentiæ semel præcisæ ab ente possunt iterum secundo præscindi, go adhuc sunt Ens. R. D. A. Possunt adhuc præscindi acceptæ in statu præcisionis primæ, N. A. acceptæ & consideratæ in statu reali. C. A. & sub eadem distinctione C. & N. C.

Obj. 3tò. Differentiæ Entis in suo conceptu formali acceptæ includunt bonitatem, & perfectionem, go in suo conceptu formali includunt Ens. A. pr. Quia perfectitas addita Enti facit perfectius ens, quàm inaleitas; sed non posset facere perfectius, si in suo conceptu formali non includeret perfectionem, ergo. R. N. A. ad prob. C. M. N. m. ad hoc enim, ut differentia addita enti constituat cum eo perfectius ens, nec requiritur major perfectio, vel bonitas in una, quàm in alia, nec simpliciter bonitas, vel perfectio: quemadmodum ad hoc, ut aliquid constituat majorem numerum additum alteri, nec requiritur, ut sit major, nec ut sit numerus in se, ut patet in unitate addita numero v. g. ternario; satis igitur est, ut differentia cum Ente faciat perfectius ens, quòd sit quædam taleitas perfectionis, seu bonitatis: quemadmodum rationalitas est taleitas animalis, & per hoc faciat perfectius animal addita animali, quàm hinnibilitas.

Obj. 4tò. Differentiæ in suo conceptu formali habent veram essentiam, go sunt ens. R. D. A. Habent veram essentiam differentiæ, hoc est, taleitatem essentiæ. C. Essentiam entis nominaliter accepti, seu pro eo, quod dicit aptum existere, vel opponi chymææ, N.

Obj. 5tò. Differentiæ formaliter sumptæ non sunt nihil, go sunt aliquid. R. præscindere easdem ab

utróque. Néque enim in conceptu suo formali, seu in statu præcisivo sumptæ dicunt formaliter se esse nihil, neq; se esse aliquid, quemadmodū rationale formaliter nec dicit se esse animal, nec dicit se non esse animal.

Obj. 6^{to}. Perseitas in suo conceptu formali formaliter opponitur chymææ, go est ens A. prob. Perseitas in suo conceptu formali est perseitas; sed perseitatem esse perseitatem, formaliter opponitur huic: perseitas non est perseitas, quod est chymæra, go. R. N. A. ad prob. C. M. N. m. solum enim deductivè ex illo conceptu infertur hæc oppositio, aliàs etiam rationale formaliter se diceret aptum existere, cū rationale esse rationale, formaliter opponeretur huic: rationale non est rationale, quod est chymæra. Unde dum dicitur unum contradictorium formaliter opponi alteri, non est sensus, quòd oppositionem hanc dicat expressè in suo conceptu formali, & quidditativo, sed quòd aliud excludat per modum formæ essentialiter, & metaphysicè secum impossibilis.

Obj. 7^{mo}. Si perseitas ita poneretur à parte rei, sicut per intellectum præcisa consideratur, vel esset ens, vel non ens: non 2^{dum}. quia nihil potest existere, quod non sit ens, ergo 1^{um}. R. Imò. Si irrationale ita poneretur à parte rei, sicut præcisum est ab animali, vel esset animal, vel non? non 2^{dum}. quia irrationale impossibile est existere sinè animali. R. 2^{dò}. esset Ens sumpta realiter, non esset sumpta formaliter.

Obj. 8^{vo}. Differentiæ Entis etiam ut præcisæ vel sunt differentiæ entis realis, vel entis non realis? R. In suo conceptu formali consideratæ neutrum sunt formaliter, quia præscindunt ab utróque. Sed in suo conceptu formali perseitas, est: independentia à sub-
jecto;

jecto ; Inaleitas: exigentia inhærentiæ &c. quemadmodum hinnibile, vel rationale nec dicunt se differentias animalis, nec non, in statu præcisivo formaliter acceptæ.

Pro cæteris objectionibus solvendis *Nota* universaliter, conclusionem nostram procedere de differentijs sumptis secundum conceptum suum quidditativum, seu definitivum. In hoc enim solum dicimus easdem formaliter non involvere rationem Entis. Non verò de differentijs consideratis secundum omnes respectus, & habitudines, quas dicunt ad varios terminos; sic enim non nego easdem involvere formaliter rationem Entis: quemadmodum & rationale, vel hinnibile sic acceptum, involvit formaliter rationem animalis. Verùm quia respectus hos, & habitudines conceptus quidditativus, & definitivus differentiarum solum per adjectionem metaphysicam includit, ideo etiam rationem Entis ab iisdem solum per adjectionem metaphysicam involvit. Taliter abaleitas (quæ definitur *Dependentia ab alio in esse*) in hoc conceptu formaliter non involvit *ens*; si tamen consideretur cum respectu & habitudine ad causam, à qua dependere debet, involvet non repugnantiam existendi. Sed quia hanc ipsam habitudinem solum per adjectionem metaphysicam includit, adhuc præscindit formaliter ab Ente.

Ex his infertur imò. *Ens* formaliter sumptum respectu differentiarum suarum esse univocum. Patet: Univoca enim sunt, quorum nomen commune, ratio verò per nomen significata in omnibus eadem. Sed hoc ipso, quòd *Ens* perfectè præscindat à differentijs, ratio formaliter significata per vocem *Ens* est in omnibus eadem, go. m. prob. Ex eo enim, quòd diverso modo, rationem Entis parti-

cipet DEUS, diverso modo creatura, diverso iterum substantia, & accidens, non sequitur rationem Entis non esse in omnibus perfectè eandem: sicut licet diverso modo participet rationem animalis quà talis equus, diverso homo, quatenus equus participat per identitatem cum irrationali, & hinnibili, homo verò per identitatem cum rationali, & risibili, quæ identitates inter se specie differunt, non sequitur tamen rationem animalis in equo, & homine non esse perfectè eandem, go.

Néque dicas 1mò. Rationem Entis esse vel prædicatum Divinum, vel creatum. R. enim rationem entis in statu præcisivo in conceptu suo formali formaliter nec dicere se esse prædicatum Divinum, nec prædicatum creatum, sed solummodò *aptum existere*.

Dices 2dò. Magis inter se distant Ens increatum, & Ens creatum, quàm homo pictus, & homo verus; sed ratio hominis non est univoca respectu hominis picti, & veri, go nec ratio Entis respectu DEI, & creaturæ. R. D. M. Magis distant considerando prædicatum illud, quòd ab utroque tam creatura videlicet, quàm DEO comprehenditur. N. considerando prædicatum comprehendens utriusque aseitatem & abaleitatem videlicet, C. M. & C. m. N. C.

Dices 3tiò. *Arist.* pluribus in locis dicit Ens esse analogum, quemadmodum *sanum* R. Aristotelem locutum esse de ente realiter sumpto, & considerato indivisibiliter cum differentijs, non verò de Ente considerato abstractivè.

Infertur 2dò. Ens respectu suarum quatuor differentiarum esse Genus. Nec obstat DEUM non esse speciem prædicabilem, potest enim esse species subijcibilis, quod sufficit ad rationem genericam.

DISPUTATIO III.

De Ente uno, & distincto.

SECTIO I.

Quid sit Identitas?

Identitas juxta Philosophum 5. *metaph. c. 9.* Est unitas quedam essentiae. Bifariam hæc in scholis dividitur: in identitatem videlicet realem, & rationis. Hæc est solum dependenter ab intellectu inter eos conceptus, quos Intellectus solâ distinctione rationis ratiocinantis separat. Realis duplex est: pura, & mixta. Hanc Fides tradit in Mysterio SS. Trinitatis, quæ in scholis obtinuit nomen: identitas eminentialis, seu essentialis mixta distinctione personali. De hac Theologorum sunt quæsitæ. Nos de ea solum, quæ in creatis reperitur, quærimus quomodonam definienda sit? Pro d. cisione hujus.

Dico Identitas pura, est summa communicatio eorum, quæ idem dicuntur, vi cujus unum tantum se communicat alteri, quantum se sibi. Ita Perez *dist. 1. de SS. Trin. num. 54.*

Probatur conclusio: Hæc definitio convenit omni, & soli definito, go. Deinde certum est, quod nihil sit magis idem cum animali v. g. quàm ipsum animal, & ideo animal est idem secum, quia se quoad prædicata, & perfectiones communicat sibi ipsi; go si omnia prædicata, & perfectiones suas communicet animal rationali, cum hoc erit idem, adeoque
ratio

ratio formalis, cur animal sit idem realiter cum rationali, est summa communicatio actualis cum rationali.

Dices contra *1mò*. Definitionem hanc non esse factam per prædicatum primum, quia affirmabilitas, vel negabilitas distinctionis est prius prædicatum, quam communicatio. *2dò*. Prædicatum communicabilitatis est prius ipsâ communicatione, *3tò* potius in hoc statuenda est identitas. *3tò*. Petrus, & animal Petri sunt realiter idem, & tamen animal Petri non communicat Petro omnia sua prædicata, aliàs Petrus etiam esset Genus. *4tò*. Summa communicatio est æqualitas, hæc autem fundat potius pluralitatem. *5tò*. Identitas est indefinibilis, quia præsupponitur esse nota, antequam definiatur. *R. ad 1mum*. Nego prædicatum affirmabilitatis, vel negabilitatis esse prius, quam sit communicatio summa, illud enim est hujus solummodò proprietas metaphysica. Ideo enim est animal affirmabile de rationali, quia animal se communicat rationali in omnibus prædicatis, & perfectioribus tantum, quantum sibi ipsi. *Ad 2dum*. *R.* Sicut communicabilitas est prædicatum prius ipsâ communicatione, ita identificabilitas esset prior nostro modo concipiendi ipsâ identitate; igitur solum identificabilitas potest statui in communicabilitate, non autem identitas. *Ad 3tium* nego, quòd animal Petri se perfectè non communicet Petro, & nego suppositum, quòd animal Petri habeat hoc prædicatum, quòd sit Genus, solum enim animal ut sic est Genus, non verò hoc animal determinati individui. *Ad 4tum*. D. A. Summa communicatio est æqualitas logica, C. physica, & realis, N. hæc arguit, non illa pluralitatem realem rerum. *Ad 5tum*. N. A. ad prob. D. assumptum: præsupponitur nota antequam definiatur, nota inquam

quam dialecticè, & scientificè, N. rudi aliquâ notitiâ, eâque non scientificâ, C. Assump. & N. C.

SECTIO II.

In quo consistat formaliter distinctio realis.

Rem esse distinctam idem est, quod rem esse negabilem de alia, seu rem esse hanc, & non aliam. Duplex potissimum consideratur ab Authoribus distinctio: Realis alia, alia rationis. De hac nos sequentibus sectionibus. De reali hinc agere instituimus. Quæritur de hac, quodnam sit qualibet in re prædicatum illud, in quo distinctio realis formaliter consistere dicatur, an videlicet sit modus aliquis superadditus, an negatio identitatis cum re alia, an relatio, an ipsa rei hæcitas, & hæc an una sola, an necessariò duorum individuorum?

Dico 1^{mo}. Distinctio realis formaliter non consistit in ullo superaddito realiter rei, quæ distincta dicitur, seu deinde superadditum hoc sit quid positivum, seu negativum, seu modus, seu aliquid absolute. Probatur argumento universali: Quidquid realiter superadditur rei, præsupponit distinctionem realem adæquatè formaliter constitutam; ergo in nullo tali superaddito reali consistit distinctio realis formaliter. A. prob. Quidquid realiter superadditur rei, vel superadditur rei ab alijs distinctæ, vel indistinctæ. Si primum, ergo præsupponit distinctionem realem adæquatè formaliter constitutam. Si 2^{dum} ergo non distinguet illam, quia quæ semel sunt sibi

sibi identificata, semper sunt identificata, & per nullum superadditum sibi realiter distinguuntur amplius.

Dico 2dò. Distinctio realis formaliter non consistit in negatione identitatis. Ita *Uquierdo contra Suarez diss. 7. metaph.* Prob. Ante omnem negationem identitatis datur Entitas illa, quæ est essentialiter fundamentum talis negationis; sed hoc ipso distinctio realis formaliter non consistit in negatione identitatis, ergo. m. prob. Negatio identitatis stante veritate majoris est quid consequens ad entitatem talem, go. prob. C. Quia Entitas illa pro illo priori, pro quo datur ante negationem Identitatis, distinguitur sine dubio realiter ab ipsa Negatione identitatis; non per ipsam negationem Identitatis, cum hæc tunc non supponatur esse, go.

Nequè dices Entitatem illam pro illo priori esse distinctam à negatione Identitatis, sed solum fundamentaliter, non verò formaliter. Contra enim est. 1mò. Sinè manifesta petitione principij nequit ad distinctionem formaliter talem desiderari amplius, quàm esse rem aliam ab ipsa Negatione Identitatis, & ab alijs Entitatibus; sed pro illo priori Entitas Petri v. g. est alia à negatione Identitatis cum Paulo, & simul ab alijs Entitatibus; go est distincta distinctione reali formaliter, & non solum fundamentaliter. Contra est 2dò. Quia pro illo priori Entitas, quæ est fundamentum Negationis Identitatis, formaliter non est eadem cum negatione Identitatis, nec cum alijs Entitatibus; ergo est formale exclusivum a negationis Identitatis, & simul aliarum Entitatum, ergo formaliter distincta. A. prob. Nulla res est indifferens, ut distingvatur ab alia distinctione formali, vel non, cuilibet enim rei existenti est essentialiter, ut non sit chymæra. Si autem non esset essentialiter distincta

ta distinctione formali ab alia re, posset esse chymæra, quia posset esse eadem formaliter cum alia, & sic hircus posset formaliter esse cervus.

Ex hoc infero Distinctionem realem formaliter non consistere in relatione prædicamentali, quia hæc solùm est respectus rei accidentalis. Distinctio autem non potest esse respectus rei accidentalis, sed est essentialis, go.

Unde cùm dicitur: Rem distingui, est rem non esse aliam, dupliciter potest intelligi *ly non esse aliam*: videlicet vel non esse aliam positivè, hoc est per formam positivam, vel non esse aliam *ly non* intelligendo solùm per modum explicationis, non verò per modum rationis formalis: quemadmodum punctum dicitur, quod non habet partes, quamvis esse puncti non sit situm in aliqua negatione formali partium, sed in esse positivo. Et hinc infertur distinctionem non esse contradictoriè oppositam Identitati, sed tantùm contrariè, cùm esse distincti sit denominatio positiva.

Dico 3tiò. Distinctio realis non mutua formaliter non consistit in duabus hæcceitatibus. est contra *Urtadum disp. 6. sect. 1. Prob.* Per quod res est potius hæc res, quàm alia, per illud distingvitur realiter formaliter; sed nulla res est potius hæc per duas hæcceitates, go. M. prob. Homo quia per rationale est potius homo, quàm leo, homo per rationale specificè distingvitur à leone, go.

Prob. 2dò. DEUS defactò verè distingvitur distinctione reali à negatione sui seu chymæra, & tamen nec negatio, nec chymæra existunt; go distinctio habetur sinè duabus hæcceitatibus. A. prob. Quia defactò DEUS verè, & adæquatè non est suum contradictorium, go.

Prob. 3tiò. Quamvis unio non possit esse uniens
for-

formam, absque existentia formæ, forma tamen non constituit rationem seu formam unientis; ergo quamvis non haberetur denominatio distincti Pauli à Petro non existente Petro, hujus tamen existentia non constituet rationem, seu formam distingventis. Antecedens pr. Quia aliàs prædicatum, quod ex genere suo est intrinsecum rei, quale est vis activè uniendi, constitueretur per aliquid extrinsecum, quod est impossibile; sed etiam vis distingvendi, est prædicatum intrinsecum ex genere suo, ut consideranti patet, ergo. Simile argumentum desumi potest à virtute sustentativa materiæ, quæ pariter ad hoc, ut sustentans denominetur, exigit formæ vel accidentis existentiam in se per unionem, & tamen eadem virtus sustentans non constituitur per existentiam formæ vel accidentis. ergo nec virtus distingvendi, seu ipsa distinctio.

Objicies contra *iam* conclusionem: Similitudo, dissimilitudo, duratio &c. habetur per aliquid superadditum Entitati denominatæ simili &c. ergo etiam distinctio. R. C. A. N. C. Disp. est, quod res existens sit indifferens adhuc ad has denominationes, ergo illas habere debet per aliquid superadditum. E contra verò nulla res existens est indifferens ad distinctionem realem ab alia, sed essentialiter distingvitur. Ubi verò indifferentia non est, nec quidquam superaddi debet rei ad talem denominationem habendam.

Contra Concl. *adam*. Obj. *imò*. Per illud una res distingvitur ab altera, per quod maximè distat ab identitate cum illa; sed maximè distat per negationem identitatis, cum hæc opponatur contradictoriè identitati, & oppositio contradictoria sit oppositio maxima, ergo. R. D. M. Per quod maximè distat positivè

vè ab identitate cum illa, C. per quod distat maximè distantia negativâ, N. M. & sic distinctâ m. C. & N. cætera. Distinctio non opponitur contradictoriè Identitati, sed tantum contrarie; go non debet in negativo, sed in positivo statui, quod positivum tollit formaliter positivè identitatem inter duo distincta, qualis est v. g. hæcceitas Petri tollens formaliter positivè identitatem inter Petrum & Paulum; Petrum quippe positivè non esse Paulum, est formaliter distingvi à Paulo.

Obj. 2dò. Positâ præcisè negatione identitatis inter Petrum, & Paulum, ponitur distinctio realis, & non positâ illâ non ponitur; go distinctio Petri à Paulo consistet formaliter in negatione Identitatis inter Petrum, & Paulum. R. D. A. Ponitur distinctio prima, & propriè talis, N. A. ponitur distinctio consecutiva, & explicativa primæ distinctionis C. A. & N. C. sub eadem distinctione. Positâ præcisè negatione identitatis non intelligitur posita res, go nec intelligitur distinctio realis propriè talis.

Dices: Præcisè ablatâ negatione identitatis inter Petrum, & Paulum, aufertur inter eos distinctio realis propriè talis; go negatio identitatis inter Petrum, & Paulum, est vel tota distinctio, vel pars ejusdem. C. patet, A. prob. Ablatâ præcisè negatione identitatis inter Petrum, & Paulum, aufertur contradictorium identitatis inter Petrum, & Paulum; sed ablatio unius contradictorij, est formalis positio alterius; go ablatâ negatione identitatis ponitur identitas. Sed positâ identitate inter Petrum & Paulum, Petrus & Paulus sunt idem; atqui nequeunt esse idem, nisi deficiat distinctio realis inter illos, go. præcisè ablatâ negatione identitatis inter Petrum & Paulum, aufertur inter eos distinctio realis. R. N. A. ad prob.

concesso toto syllogismo. D. subsumptam : Positâ identitate inter Petrum & Paulum in hypothese possibili, Petrus & Paulus sunt idem, C. positâ in hypothese impossibili sunt idem, subdistingvo, sunt vi illationis materialis, C. vi illationis formalis, iterum subdistingvo, sunt, & non sunt, C. præcisè sunt, N. & similiter distinctâ adâ subsumptâ N. C. ultimam. In hac enim hypothese identitas adderetur hæcceitati Petri, & hæcceitati Pauli, go adderetur distinctioni, & consequenter resultaret Petrus & Paulus idem, & simul distinctus, ut patet in hoc argumento : Id quod præcisè ablato aufertur irrationalitas in bruto, est vel tota irrationalitas, vel pars irrationalitatis; sed ablatâ præcisè negatione rationalitatis, aufertur irrationalitas in eodem, go. m. prob. Ablatâ præcisè negatione rationalitatis in bruto ponitur formaliter rationalitas; sed nequit poni rationalitas, nisi auferatur irrationalitas, cum illa sit capacitas discurrendi; nequit autem aliquid esse capax discursus, nisi deficiat incapacitas discursus, quæ est irrationalitas; go ablatâ præcisè negatione rationalitatis in bruto, aufertur irrationalitas. Unde notandum. Quod omnis suppositio, quæ non solum consecutivè, sed formaliter includit contradictionem, sit illegitima, talis autem est Adversar. suppositio enim hæc inducit identitatem inter Petrum & Paulum, ermanentibus eorum prædicatis intrinsicis, go. illam inducit permanentem cujuslibet differentiâ individuali; sed hæc differentiæ sunt secum metaphysicè oppositæ; go invehitur identitas inter Petrum & Paulum conjuncta metaphysicè oppositioni. Omnis autem metaphysica oppositio formalem fert secum contradictionem, go suppositio Adversar. formaliter includit contradictionem.

Dices contra interro : Omnis diversitas est relatio,

tio, omnis distinctio est diversitas, go omnis est relatio. R. D. M. Est relatio vel prædicamentalis, vel transcendentalis, C. solùm prædicamentalis, N. M. & D. etiam m. Omnis distinctio est diversitas essentialis, C. diversitas accidentalis, N. m. & D. C. go est relatio transcendentalis, C. C. prædicamentalis, N. C.

Instabis: Si omnis distinctio realis esset relatio transcendentalis, quælibet res singularis esset connexa necessariò, & essentialiter cum quidditate alterius. R. D. assumptum: Esset connexa connexione exclusivâ identitatis cum quidditate alterius, C. connexione inclusivâ, seu exigente quidditatem alterius, N.

Instabis 2dò. Priùs est rem esse, quàm referri; go nec in Relatione transcendentali formaliter consistet distinctio realis. R. D. A. priùs est rem esse, quàm referri relatione non constituyente rem singularem quâ talem, C. A. relatione constituyente rem singularem quâ talem, subd. priùs est rem esse, quàm referri, si res concipiatur secundùm adæquatum suum conceptum, N. A. si sumatur res singularis solùm secundùm conceptum inadæquatum, C. A. & N. C. Quamvis igitur res aliqua singularis secundùm conceptum inadæquatum, quo v. g. præcisè intelligitur esse hæc, non intelligatur referri. Eadem tamen res singularis secundùm conceptum suum adæquatum nequit intelligi, nisi intelligatur referri, quia per hoc ipsum, per quod res singularis intelligitur excludere ab identitate secum, quidquid ipsa non est, refertur formaliter ad terminum exclusivum, ut patebit ex sect. sequenti, ubi adæquatum conceptum hæcseitatis examinabimus.

Contra Conclus. 3tiam. Objicies: Illud ingreditur intrinsecè, & formaliter distinctionem v. g. Petri à Paulo, quod est exclusivum Identitatis chymæ-

ricæ inter Petrum & Paulum ; sed hoc exclusivum est non solus Petrus, sed etiam Paulus, cum indivisibiliter excludant identitatem illam chymæricam, go. R. D. M. Illud omne, & totum ingreditur intrinsecè, & constitutivè distinctionem consideratam in esse distinctionis præcisè, N. M. Illud omne, & totum ingreditur constitutivè distinctionem consideratam in esse mutuxæ distinctionis, C. M. & C. m. N. C.

Dices : Sola hæcitas v. g. Petri, non est mihi motivum sufficiens dicendi, Petrum non esse Paulum, seu esse distinctum, prout etiam distinctio sumitur non in ratione mutuxæ, sed præcisè in ratione distinctionis, go. A. prob. Sola hæcitas Petri non potest me movere ad dicendum, Petrum esse distinctum à Paulo, nisi factâ suppositione de Pauli alietate, go. R. N. A. ad ejus prob. N. A. aliàs non haberem motivum dicendi DEUM esse distinctum à chymæra, cum alietatem, utpote soli Enti positivo convenientem, chymæra non habeat. Vel dic: nisi factâ suppositione de Pauli alietate, ita ut hæc concipiatur tamquam terminus exclusus ab essentia distinctionis C. A. tamquam constitutivum distinctionis N. A. & consequentiam. aliàs DEUS constitueret creaturam, cum hæc nec esse, nec concipi possit sine DEO.

Dices. Quidquid ingreditur definitionem rei. est constitutivum ejusdem ; sed hæcitas ingreditur definitionem distinctionis ; hæc enim definitur esse : res alia ab alia. go. R. Imò. N. m. Distinctio enim definitur esse : *adequata individuitas rei.* R. 2dò. D. M. quod ingreditur expressum in recto, seu per modum generis & differentix C. M. quod solum expressum in obliquo N. universaliter. Sic enim etiam creaturam definimus : *Ens ab alio.* quin ly aliud sit ejusdem constitutivum.

Dices :



Dices : Unitas est identitas, ergo distinctio debet esse pluralitas, ergo eam intrinsecè constituunt plura. R. D. C. ergo distinctio debet esse pluralitas radicalis, C. formalis, N. Formalis pluralitas constituitur per plura, non radicalis, hoc est, radix pluralitatis.

S E C T I O III.

Utrum distinctio realis consistat formaliter in hæcceitate?

HÆcceitas, seu rei cujuslibet singularitas, terminus essentia, individuatio, duplex munus habet : primum est includere omnia, quæ spectant ad talis rei essentiam, seu facere, ut res sit hæc res. Secundum, excludere omnia, quæ sunt extra essentiam rei illius, seu facere, ut res illa positivè non sit alia, hoc est, ut sit alteri incommunicabilis. Duo hæc munera distingvuntur in hæcceitate solùm ratione nostrâ, quemadmodum animal à rationali in homine. His stantibus.

Dico ; Distinctio realis cujuslibet rei formaliter est rei ejusdem hæcceitas. ita *Oviedo controuv. 1. Met. punct. 1.* Prob. Forma distinctionis, per quam una res ab altera nemine cogitante distingvitur, est illud prædicatum, quod est primum, propter quod res aliqua nemine cogitante non est alia positivè, seu est negabilis de alia ; atqui hoc prædicatum est cujusque rei hæcceitas, ergo. M. est definitio distinctionis, m. patet ex conceptu hæcceitatis paulo antè explicato, ergo.

Confirmatur : Omnis hæcceitas cujuscunque rei est terminus essentia ; ergo illa, quemadmodum alij

termini, seu limites rerum, includet omnia essentialia rei, & simul excludet omnia, quæ sunt extra essentiam rei ejusdem; atqui hoc est distingvi rem, ergo.

Obj. contra: Potest concipi res esse hæc, nec tamen hoc conceptu concipi non esse alia positivè; go sola una hæcceitas rei non est distinctio realis formaliter. R. D. A. Potest conceptu adæquato concipi esse res hæc, nec tamen hoc conceptu concipi non esse alia, N. A. conceptu inadæquato, subd. & non concipi non esse alia positivè, non concipi inquam conceptu exprimente saltem implicite, non esse aliam positivè N. explicitè exprimente non esse aliam, C. A. & N. C. secunda pars distinctionis elucescet ex sectione subsequenti de præcisionibus.

Dices 2dò. Per solum secundum munus hæcceitatis habetur formaliter distinctio; go hæc non in hæcceitate, sed in solo prædicato secundario hæcceitatis, videlicet negabilitate, consistet formaliter. R. D. A. per solum secundum munus hæcceitatis habetur distinctio realis formaliter adæquatè; N. inadæquatè C. A. & N. C. Adæquatus conceptus distinctionis non est præcisè non esse aliud, aliàs chymæra realiter distingveretur à Petro. Sed adæquatus conceptus distinctionis est, rem esse, & non esse positivè aliam, quod non per unum, sed per utrumquè prædicatum hæcceitatis habetur.

Quæres hic: quid sit differre specie? R. & Dico: illa differunt specie, quæ differunt in prædicato aliquo essentiali, præscindendo ab omnibus hæcceitatibus non solum eorum, quæ differunt, sed etiam causarum, & circumstantiarum loci, temporis &c. ad quæ respectum dicunt illa, quæ differunt. ita P. Me-

rauski Princ. phil. disp. 3. q. 9. Prob. Quia præcisè positâ hâc dissimilitudine in prædicato essentiali, præscindendo ab omnibus hæceitatibus, intelliguntur aliqua distingvi specie, & hâc præcisè non potâ, non intelliguntur distingvi, go. A. patet ab inductione.

Dices contra: Visio albedinis *A.* & visio albedinis *B.* Item unio inter corpus & animam Petri, & inter corpus & animam Pauli, differunt inter se specie, & differunt solum propter respectum ad distinctas hæceitates; go falsum est, quòd dissimilitudo, fund ta præcisè in respectu ad distinctas hæceitates, sit præcisè numerica differentia. A. prob. Illæ visiones differunt inter se plùs, quàm solo numero, go differunt specie. prob. A. quia visio albedinis *A.* & visio albedinis *B.* differunt plùs, quàm visio *A.* & *B.* ejusdem albedinis *A.* v. g. go. A. videtur certum, quia visio albedinis *A.* & visio albedinis *B.* præterquam quòd differant per hæceitates, differunt etiam in hoc, quòd prima sit essentialiter respectiva albedinis *A.* cujus non est essentialiter respectiva secunda, sed hæc potius est essentialiter respectiva albedinis *B.* cujus non est respectiva visio albedinis *A.* R. N. A. ad prob. D. A. Differunt plùs quàm solo numero, hoc est plùs quàm omnia, quæ differunt solo numero, N. A. hoc est, plùs quàm aliqua, quæ solo numero differunt, seu pluribus titulis, C. A. & D. C. go differunt specie, si differrent plùs quàm omnia solo numero differentia, C. si tantùm plùs quàm aliqua, seu pluribus titulis, quàm aliqua, quæ solo numero differunt, N. C. Differre igitur in numero non consistit in indivisibili, sed suscipit magis, & minùs, & consequenter solum arguitur, visiones has pluribus titulis differre numero, quàm v. g. Petrus differat à Paulo; non verò specie.

Dices: Quæ differunt in aliquo prædicato prædicabili de pluribus numero differentibus, non differunt solo numero; sed visio albedinis *A.* & visio albedinis *B.* differunt in prædicato prædicabili de pluribus numero differentibus, siquidem prædicatum visionis albedinis *A.* v. g. est esse respectivum albedinis *A.* quod de pluribus visionibus ejusdem albedinis *A.* prædicari potest. *M.* verò prob. Illa, quæ præterquam quòd differant in prædicato individuali, si differunt etiam in aliquo prædicato non individuali, non differunt solo numero, go. R. N. *M.* ad prob. *D. A.* Si differant etiam in aliquo prædicato non individuali, quod videlicet nec formaliter, nec radicaliter sit tale, *C.* si tantùm formaliter non est individuale, est tamen radicaliter, quale prædicatum est omne fundatum in ipsa hæcceitate rei, vel respectu ad hæcceitatem, *N. A.*

SECTIONO IV.

De distinctione Scotistica.

Scotus subtilis Doctor duplicem asserit dari identitatem realem, utramque quidem nemine cogitante, ita tamen, ut una sit in majori gradu, quàm alia. Hanc autem duplicem identitatem sic explicat: Prima inquit est, vi cujus verificatur hæc propositio: *Hæc entitas est illa.* Altera, vi cujus verificatur hæc propositio: *hæc Entitas quia est hæc entitas, est illa.* sive: *hæc Entitas in sua ratione formali, & definitiva constituitur per illam.* Hanc secundam Identitatem asserit Scotus dari inter *hominem*, & *animal rationale*, seu inter definitum, & definitionem tantùm, ex eo, quòd

quodd non solum verum sit dicere: homo est animal rationale, sed etiam verum sit dicere: homo, quia est homo, est animal rationale, seu homo in sua ratione formali, & definitiva constituitur per animal rationale. E contra verò inter animal & rationale, asserit solummodò dari primam, & hoc ideo, quia, inquit ille, licet verum sit dicere: animal est rationale, non est tamen verum dicere: animal quia est animal, est rationale, seu animal in sua ratione formali, essentiali, & definitiva constituitur per rationale. Quare concludit, inter hominem & animal rationale reperiri aliquem majorem gradum Identitatis, quàm inter animal & rationale. Et quia simul ante omnem operationem intellectus ille major gradus reperiretur inter hominem & animal rationale, non verò inter animal & rationale, necesse est, ut ante omnem operationem intellectus detur negatio illius majoris gradus Identitatis inter animal & rationale, ac proinde distinctio tali majori Identitati opposita, consistens in eo, quòd cum veritate dici possit de animali v. g. animal non est ideo rationale, quia est animal. Item animal in sua ratione formali essentiali definitiva non constituitur per rationale. Quæritur an hæc sententia subsistat?

Dico, & implicare distinctionem Scotisticam. Prob. Si daretur inter formalitates realiter identificatas distinctio formalis ex natura rei, seu Scotistica, daretur inter illas distinctio realis major; sequela est impossibilis, go & id, unde sequitur. prob. sequela: Distinctio actualis nemine cogitante, quæ datur inter Entia absolutè realia, est distinctio realis major; sed distinctio ex natura rei foret talis distinctio, go. m. pr. imò. foret distinctio actualis, & nemine cogitante; sed etiam foret inter Entia absolutè realia, go. prob. m. Hæc distinctio daretur v. g. inter animal, & rationale

tionale hominis ; sed animal , & rationale hominis sunt entia absolute realia , go. m. prob. Quidquid nemine cogitante existit , est Ens absolute reale ; sed animal & rationale hominis sic distincta , nemine cogitante existunt , ergo sunt entia absolute realia.

Nequè dicas , ad Entia absolute realia requiri , ut possint existere realiter cum mutua separabilitate , vel si inseparabilia sint , sit unum producens , alterum productum , vel certè , ut neutrum sit alterius perfectivum intrinsecè. Contra enim est : Juxta Scotum etiam si Spiritus S. non procederet à Filio , tamen distingveretur realiter ab illo. go nec separabilitas requiritur ad distinctionem realem majorem , nec stante inseparabilitate requiritur , ut unum sit producens , alterum productum. Estò autem Filius non esset *perfectivus* Spiritus S. vel è contra , hoc tamen superflue requiritur ad rationem Entis realis , & sine fundamento , cum potius omne id debeat esse ens reale , quod identificatum est Enti reali. go cum rationalitas v. g. Petri sit identificata Enti reali , nempe Petro , erit ens reale.

Prob. 2da. Hæc distinctio Scotistica est essentialiter superflua , go repugnat. A. prob. Vel enim nulla dantur prædicata contradictoria inter gradus metaphysicos , ut patebit ex solutione objectionum , ad quæ salvanda est excogitata : vel si dantur , per illam salvari non possunt. prob. 2da. pars. Si dantur prædicata contradictoria independenter ab intellectu inter animal , & rationale , illa sibi opponuntur summè , ergo salvari debent per summam distinctionem. Quanto enim major est oppositio , tantò major requiritur distinctio ad salvandam illam. *Confir.* Oppositio relativa producentis & producti non est tanta , quanta

est

est oppositio contradictoriorum; go si illa arguit distinctionem realem majorem, multò magis arguet hæc.

Prob. 3tia. cum *P. Caregnas n. 593. Log. m. S.*
 Si daretur distinctio formalis ex natura rei inter animal hominis, & rationale hominis, tunc animal hominis esset specie distinctum ab animali Leonis, & non esset specie distinctum. sequela est impossibilis, go & distinctio, ex qua illa sequitur. prob. seqv. quoad 1mam partem, 2da enim est Adversariorum: Animal hominis Scotisticè distinctum à rationali hominis haberet aliquod prædicatum sibi intrinsecum, quod non haberet animal leonis; go animal hominis sic distinctum à rationali esset essentialiter dissimile animali leonis, & per consequens specie distinctum. A. prob. Animal hominis per Scotistas habet distinctionem essentialem à rationali hominis, & animal leonis non habet hanc distinctionem essentialem à rationali hominis, go. prob. 2da pars antecedentis. Juxta doctrinam Scoti ut duo habeant essentialem distinctionem, debent esse identificata realiter; sed animal hominis non est identificatum animali leonis, aliàs esset identificatum etiam irrationali leonis, seu rugibilitati, quod quis non videt esse chymæram; go animal leonis non habet hoc prædicatum, quòd sit essentialiter, seu formaliter ex natura rei distinctum à rationali hominis.

Pro Objectionibus notandum est universaliter, quòd quidquid dicitur nemine cogitante de una formalitate, id totum dici debeat de altera eidem realiter identificata. Unde hæc, & similes propositiones: *Animal hominis est simile equo, rationale hominis non est simile equo.* secunda propositio tantùm tunc est vera, quando negat aliam aliquam similitudinem inter rationale hominis, & equum, quâ videlicet nec
 anie

animal hominis est simile equo. Breviter : Est vera secunda propositio, si negat specificam similitudinem tali animalis; falsa, si neget genericam similitudinem, hæc enim secundâ, non primâ similitudine est simile animal hominis equo.

Nequè dicas : Ex hac doctrina sequi hominem esse similem leoni, & esse dissimilem, hoc autem est impossibile, sicut est impossibile eandem rem alteri esse æqualem, & esse inæqualem, ergo. Respond. enim hominem esse similem leoni similitudine inadæquatâ, & imperfectâ, exprimente videlicet duo animalia, seu viventia; esse autem dissimilem dissimilitudine itidem inadæquatâ, & imperfectâ, nec priori similitudini oppositâ, negante videlicet hominem & leonem esse duo rationalia. Hoc autem minimè est impossibile, quia non est affirmatio, & negatio ejusdem, & eodem modo. Et licet eandem rem sit impossibile esse æqualem alteri, & simul inæqualem, minimè tamen impossibile est, eandem rem esse similem alteri similitudine inadæquatâ, & imperfectâ, & dissimilem dissimilitudine inadæquatâ & imperfectâ, non excludente priorem similitudinem. Disparitatis ratio est, quòd æqualitas consistat in indivisibili, siquidem æquale illud est, quod habet tantum, quantum alterum, & nec plùs, nec minùs. Hæc autem veritas per quamcunquè etiam minimam inæqualitatem destruitur, cum quælibet etiam minima inæqualitas dicat plùs unum habere, quàm aliud habeat. Similitudo autem non consistit in indivisibili, sed potest esse vel in uno tantùm prædicato, vel in pluribus, & vel perfectâ, vel imperfectâ, adeoque nec destruitur per quamcunquè dissimilitudinem, sed tantùm per oppositam, & excludentem se.

Dices iterum : Si tam rationale hominis, quàm ani-

animal independenter ab intellectu est simile leoni, inter Petrum, & leonem erit eadem similitudo, quæ est inter Petrum hominem, & Paulum hominem, quia in omnibus illis prædicatis erit similitudo inter Petrum, & leonem, in quibus est inter Petrum hominem, & Paulum hominem. Sed hæc est similitudo adæquata, & perfecta, nullam secum compatiens dissimilitudinem, go & illa. R. N. M. Licet enim similitudo inter hominem, & leonem sit in omnibus illis prædicatis Petri, in quibus est inter Petrum, & Paulum, non est tamen eodem modo, quia non est similitudo exprimens Petrum, & leonem esse duo animalia rationalia, sed solum est exprimens duo animalia. Hæc autem inter Petrum, & Paulum est exprimens duo animalia rationalia, adeoque hæc erit perfecta, illa imperfecta.

Dices 3tio. Major est identitas inter hominem, & animal rationale, quàm inter animal, & rationale; go animal hominis à rationali hominis independenter ab intellectu distingvetur aliquâ distinctione, non reali majori, go minori. A. prob. Definitio hominis, est ipsa definitio animalis rationalis, è contra definitio animalis non est definitio rationalis, nec è contra, go R. N. A. ad prob. D. 2dam partem A. Definitio animalis præcisivè accepti non est definitio rationalis, C. definitio animalis hominis, seu animalis identificati rationali hominis non est definitio rationalis, & è contra, N. A. & C. Unde colliges ante operationem intellectûs animal hominis esse essentialiter rationale, & rationale hominis esse essentialiter animal. Nec ex hoc inferas omne animal esse essentialiter rationale, quia à specie non valet argumentum ad genus, aliàs omne animal deberet etiam esse rugibile, quia animal leonis est tale. Colliges 2do. Inde.

Independenter ab intellectu sumptas esse veras has propositiones : *homo quia animal est rationalis, homo quia rationalis est principium sentiendi.*

Dices 4to. Potest stare cum distinctione reali identitas secundum quid, seu identitas similitudinis, & convenientiæ; go etiam cum identitate reali distinctio secundum quid. R. C. A. N. C. Disp. est, quod identitas secundum quid non sit proprie talis, sed tantum metaphorica, & impropria, nec inferens duorum extremorum à se invicem distinctorum de se mutuam affirmabilitatem, sed solum convenientiam, & similitudinem, adeoque opposita non est distinctioni. At verò distinctio realis minor, seu secundum quid, esset vera distinctio, & proprie talis, adeoque inferens negabilitatem unius de alio duorum prædicatorum identificatorum realiter inter se, hæc autem distinctio est opposita identitati, & ideo impossibilis inter duo realiter identificata.

Dices 5to. cum Pontio disp. 4. *Metaph. quest. 2. num. 19.* Non potest assignari implicancia, cur non possint dari duo Entia positiva mutuo inseparabilia, & quæ non habeant se ad invicem ut producaens, & productum, sint tamen ante operationem intellectus verè de se invicem negabilia; go distinctionis scoticæ nulla est implicancia. C. prob. Quia hoc ipso illa duo Entia non distingverentur tantum per intellectum, cum independenter ab intellectu unum de alio verè esset negabile: non etiam distinctione reali majori, aliàs possent saltem Divinitus separari, vel unum esse sine alio, go distingverentur distinctione reali minori. R. imò. transf. A. N. C. ad hujus prænego, quod non distingverentur distinctione reali majori, ad quam falsò requiritur separabilitas. Nam juxta Scotistas Spiritus S. si non procederet à Filio, disting-

distingveretur adhuc ab illo distinctione reali majori, & tamen non esset separabilis mutuo à Filio, nec haberent se ad invicem ut producens & productum. R. 2dò. N. A.

Dices 6to. Animal in homine perficitur à rationali, go non est idem cum rationali. A. patet: animal est genus, rationale est differentia, ergo. 7mo. Animal hominis est indifferens, ut sit animal hominis, vel equi, rationale non; go animal & rationale suscipiunt prædicata contradictoria. 8vo. Ad hoc, ut hæc propositio sit vera: *homo est animal*, requiritur animalitas, & non requiritur rationalitas, go hæc sunt distincta. A. prob. Licet homo per impossibile esset equus, adhuc esset vera propositio: *homo est animal*. 9no. Naturæ humanæ, & singularitati, quæ realiter sunt idem, independenter ab intellectu conveniunt prædicata contradictoria; go & distinctio realis: non major, go minor. A. prob. Natura humana est species, singularitas non est species: Natura humana Petri est prædicabilis de Paulo, singularitas non: Natura est multiplicabilis, singularitas non: Verum est dicere: *Petrus est animal, quia est animal*, non autem est verum dicere: *Petrus est animal, quia est hoc individuum*, go. R. ad 6tum D. A. Animal independenter sumptum ab operatione intellectus, N. A. sumptum præcisivè, tr. A. N. C. Animal enim solum præcisivè sumptum, & dependenter ab intellectu est genus, quod clarum est, quia esse genus, esse speciem, differentiam &c. sunt termini secundæ intentionis, ut constat ex Dialectica. Ad 7mum N. A. si sit sermo de animali hominis realiter, & independenter ab intellectu sumpto. Ad 8vum N. A. Ad hoc enim, ut hæc propositio vera sit: *homo est animal*, requiritur illa animalitas, quæ est in homine, sed

sed illa animalitas est rationalitas, go. Hinc ad prob. Si homo per impossibile esset equus, illa propositio: *homo est animal*, esset vera solum vi illationis materialis ex parte subjecti, non esset autem vera vi illationis formalis, & ex parte prædicati, quia necessario deberet esse, & non esse animal, siquidem esset chymæra. Ad 9num N. A. cum suis probationibus, si sermo sit de natura humana Petri realiter, & independentem ab intellectu sumpta.

Dices ultimò: Animalitas ita secum est identificata, ut nec per rationem à se ipsa sit distingvibilis: è contra rationali non ita identificatur, ut saltem per rationem non sit distingvibilis à rationali; go majori identitate est secum ipsa, quàm cum rationali identificata, ideòque dabitur major, & minor identitas, & consequenter major, & minor distinctio. R. C. A. sed nego suppositum, quòd hæc distingvibilitas per rationem animalis à rationali proveniat ex identitate reali, quam habet animal cum rationali, vel secum; sed provenit ex parte potentie intellectivæ, quæ independentem à specie vel propria vel aliena nihil repræsentat, & species mediante quâ repræsentatur hominis animal, licet sit in actu 1mo repræsentativa etiam rationalis, non est tamen semper in actu 2do. ut patebit pluribus ex dicendis. è contra verò species repræsentans animal in actu 2do. non potest esse non repræsentans, go nec potest ab intellectu ita concipi, & intelligi animal, ut non intelligatur animal, quamvis possit intelligi animal, quin intelligatur esse animal hominis, ut uberius dicam inferius.

SECTIO

S E C T I O V.

De distinctione virtuali intrinseca.

Distinctio virtualis intrinseca, quam Thomistæ independenter ab intellectu dari inter duo realiter identificata asserunt, explicatur ab Authoribus, quòd sit æquivalentia alicujus veræ distinctionis realis, quæ æquivalentia duo prædicata realiter identificata reddit capacia ad verificanda duo contradictoria prorsus sic, ac si hæc contradictoria de rebus duabus realiter distinctis affirmarentur. Distinctionem hanc excogitavit schola Thomistarum vel maximè ad salvandas difficultates, quæ occurrunt in mysterio SS. Trinitatis. Cùm enim juxta omnes verificentur hæc propositiones de SS. Trinitate: *Paternitas generat, natura Divina non generat: Natura communicatur Filio, Paternitas non communicatur Filio &c.* & hæc, inquit, sunt propositiones contradictoriæ, utpote quæ affirmantur, & negantur de eadem realiter indivisibili Entitate, videlicet de natura Divina, & Paternitate. Ad salvandas has propositiones contradictorias, dicunt illi, requiritur aliqua distinctio: realis major inter identificata implicat, minor realis non datur; ergo, inferunt Thomistæ, debet dari virtualis intrinseca. Porro distinctio hæc distinguitur à Scotistica in hoc, quòd hæc reddat extrema sua, seu formalitates sibi realiter identificatas, de se invicem negabiles, nemine cogitante; Virtualis intrinseca autem non facit extrema sua de se invicem negabilia, ut v. g. cum veritate dici possit: *Pater non est natura Divina*; sed solum facit extrema sua virtualiter, seu æquivalenter distincta, hoc

est, facit ea æquivalere duabus Entitatibus realiter distinctis quoad munus suscipiendi duo contradictoria sine contradictione. Jam quæritur, utrum possibilis sit hæc distinctio virtualis intrinseca in creatis?

Dico igitur: Impossibilis est in creatis distinctio virtualis intrinseca. est plurimorum apud *Isqv. Phari disp. 13. quæst. 6. contra Linze, & Thomistas lib. 2. met. tr. 4. Prob. imò.* Hæc distinctio implicat in Divinis, go etiam in creatis. A. supponitur ex Theologia. C. patet, quia fundamentum eam in Divinis admittendi foret *Mysterium SS. Trinitatis*, quod cum in creatis sit impossibile, etiam distinctio hæc erit impossibilis.

Prob. *add.* Impossibilis est in creatis talis distinctio, vi cujus duæ formalitates realiter identificatæ reddantur capaces ad suscipienda duo prædicata contradictoria sine contradictione; hæc distinctio autem est hujus essentia, ergo hæc implicat. M. prob. Quia hoc ipso vi hujus distinctionis formalitates realiter identificatæ essent realiter distinctæ, cum capacitas verificandi duo contradictoria sine contradictione sit signum infallibile distinctionis realis, go. Unde infertur tolli etiam per distinctionem hanc in creatis prima Philosophiæ principia, nempe: *Non potest idem simul esse, & non esse &c.*

Dices fortè cum nonnullis: Beneficio distinctionis Virtualis in creatis salvari solum prædicata contradictoria rebus extrinseca, ut sunt: cognosci non cognosci, amari non amari &c. non verò intrinseca, adeoque nec tolli signum infallibile distinctionis realis. nec sequi, quòd idem possit simul esse & non esse. Contra est imò. Quia in divinis excogitata est hæc distinctio ad salvanda prædicata contradictoria intrinseca; go si in creatis admittenda foret, deberet etiam ex hoc sine admitti. Contra

tra est 2dò. Si semel admittatur, quod sine contradictione eidem indivisibili entitati conveniant prædicata contradictoria extrinseca, tunc ars syllogistica redditur inefficax, quod est contra omnes Phil. ergo. prob. seqv. Quia admissio hoc, in optimis syllogismis potest negari consequentia concessis præmissis. Hi enim syllogismi v. g. (Hoc animal est cognitum cognitione a. sed hoc rationale est hoc animal; go hoc rationale est cognitum cognitione a. Item: hoc rationale non est cognitum cognitione a. sed hoc animal est hoc rationale; go hoc animal non est cognitum cognitione a.) sunt syllogismi expositorii in *ima* Figura, & tamen admissâ doctrinâ adversariorum, concessis præmissis posset in illis negari consequentia sine contradictione. go stantè hâc doctrinâ redditur ars syllogistica inefficax. Contra est 3tò. Quia non tantum extrinseca, sed etiam intrinseca prædicata contradictoria verificarentur de duabus formalitatibus realiter identificatis. v.g. in animali esset prædicatum cognoscibilitatis per cognitionem a. quod non esset in rationali, si per eandem rationale non cognosceretur, ut patebit consideranti. Neque enim hâc cognitione esset cognoscibile rationale, siquidem cognitio est actus vitalis intrinsecus, essentialiter respiciens suum objectum; go cognitio repræsentans animal simul & rationale, non est eadem, quæ fuit repræsentans solum animal. adeoque per talem cognitionem rationale non esset cognoscibile, & per consequens animal non communicaret se rationali tantum, quantum sibi, ergo nec esset identificatum, quæ omnia sunt absurda.

Objicies: Datur actus Contritionis; go datur distinctio virtualis intrinseca in creatis. prob. C. Actus Contritionis est indivisibiliter amor, & odium;


go sicut dicitur esse amor DEI, ita dici debet esse odium DEI, si in eodem indivisibili actu amor, & odium non distinguuntur virtualiter intrinsecè. prob. C. Ideo dicitur esse amor DEI, quia est amor, & terminatur ad DEUM; go quia est etiam odium, & terminatur ad DEUM, erit etiam odium DEI. R. C. A. N. C. ad prob. C. A. N. C. ad hujus prob. D. A. quia est amor, & terminatur ad DEUM terminatione speciali amoris, hoc est, tamquam affectiva unio voluntatis cum DEO, C. A. quia terminatur quomocumque, N. A. & N. C. Quia non terminatur hic actus ad DEUM terminatione speciali odij, hoc est, tamquam affectiva fuga, & recessus à DEO, quod requiritur, ut denominetur hic actus esse odium DEI, go. Eodem pacto respondetur, & ostenditur, non esse simul odium & amorem peccati. Unde Nota. Amorem, & odium esse formas intentionales, seu logicas, hoc est, objecto extrinsecas, quæ ut denominent objectum suum, & sint sufficienter applicatæ objecto, non sufficit, ut terminentur ad objectum intentionaliter quomocumque, sed præterea requiritur, ut terminentur terminatione aliquâ speciali. Hinc si non terminentur tali speciali terminatione, jam non sunt sufficienter applicatæ, nec dant objecto suo denominationem, quam aliàs darent, si applicarentur sufficienter. In exemplo: hæc secunda mentis operatio, quâ intellectus dicit: *Creatura est dependens à DEO*, non denominat DEUM speciali denominatione cognitum, id est *judicativè*, quia licet terminetur ad DEUM intentionaliter, non tamen terminatur ad illum *judicativè*, seu speciali terminatione judicij, quia non terminatur ad DEUM affirmando, vel negando de illo, sed solum sic terminatur ad creaturam.

Dices : Cognitio, hoc ipso quòd terminetur ad aliquod objectum, sufficienter est applicata, ut denominet objectum illud cognitum; go etiam odium, hoc ipso quòd terminetur ad DEUM, erit sufficienter applicatum, & denominabit DEUM odio habitum. *R.* D. A. Cognitio, hoc ipso quòd terminetur ad aliquod objectum ut cognitio, est sufficienter applicata, & denominat objectum illud cognitum, C. A. si non terminetur ut cognitio, N. A. & sub eadem D. C. aliàs omnis cognitio denominaret etiam Intellectum cognitum, cum omnis terminetur, seu referatur ad intellectum tamquam effectus ad suam causam.

Instabis : Hoc ipso, quòd cognitio terminetur intencionaliter ad aliquid ut objectum, quomodocunque tandem terminetur, denominat illud cognitum; go etiam amor & odium, hoc ipso quòd terminentur ad DEUM, quomodocunque tandem terminentur, denominabunt DEUM amatum & odio habitum. *R.* C. A. N. C. Disp. est, quòd cognitio non possit terminari ad aliquid ut objectum, nisi hoc ipso terminetur ut cognitio repræsentando illud, adeòq; hoc ipso terminetur terminatione sufficienter applicante se ad objectum; è contra verò amor, & odium possunt terminari ad aliquid ut objectum suum, quin terminentur ut amor, & odium, ut patet in instantia : sic amor ille, quo Medicus amat liberationem amici ab infirmitate, terminatur quidem tam ad infirmitatem, quàm ad liberationem, non tamen denominat infirmitatem amatam, sed potius odio habitam.

Obj. 2dò. Actus supernaturalis, v. g. visio beatifica, habet duas formalitates realiter identificatas, videlicet supernaturalitatem, & vitalitatem. Supernaturalitas exigit procedere à principio supernaturali, & non vitali; vitalitas verò exigit procedere à principio

vitali, & non supernaturali; ergo de his formalitatibus verificantur duo contradictoria, ad quæ salvanda necessaria est distinctio nemine cogitante: non realis major, quia hæc implicat inter formalitates identificatas, non item realis minor, quia hæc est impossibilis, ergo virtualis intrinseca. R. C. M. D. m. Supernaturalitas exigit procedere &c. si accipiatur præcisivè supernaturalitas, C. M. Si accipiatur in sensu reali, quæ est identificata vitalitati, N. M. Idem est de vitalitate, & N. C. In sensu reali visio beatifica non qualicumquè supernaturalitate est supernaturalis, sed hæc determinatâ, identificatâ huic vitalitati, & non est vitalis quacumque vitalitate, sed hæc determinatâ identificatâ supernaturalitati, adeoque utraq; formalitas exigit procedere ab utraq; causâ indivisibiliter. Hæc responsio applicatur etiam objectioni illi, de cognitione lapidis, quæ est indivisibiliter cognitio, & repræsentatio, & quæ repræsentatio oritur à speciebus, quæ cognitio ab intellectu. In sensu enim reali utraq; formalitas, & cognitio videlicet, & repræsentatio petit procedere indivisibiliter ab intellectu, & speciebus, cum non sit qualiscunq; cognitio, nec qualiscunq; repræsentatio, sed cognitio identificata huic tali repræsentationi, & vicissim. Cur autem species non denominet cognoscentes, sed solum repræsentantes objectum, ratio est, quia denominatio cognoscentis est denominatio vitalis, ergo non potest convenire nisi subjecto vitali, moventi se ab intrinseco ad talem denominationem.



S E C T I O VI.

De Præcisionibus, seu Distinctione Rationis.

Distinctio rationis ratiocinatæ est: Cognitio, per quam expressè cognoscitur objectum esse, quod est, quin expressè cognoscatur esse, quidquid realiter est. Unde inadæquata objecti cognitio, seu cognitio intentionaliter præcisiva dicitur. Fundamentum verò hujus cognitionis est duplex in ipsis objectis. Primum quidem, quòd frequenter in entitate aliqua prædicata talia conjungantur, quæ reperiuntur separata in alijs entitatibus realiter distinctis, adeoque entitas talis, virtualiter multiplex, potest per intellectum comparari in ordine ad unum terminum, quin hoc ipso comparetur ad alterum. 2dum Fundamentum est: Quòd intellectus noster defactò nullum objectum cognoscat independentè à speciebus impressis; hæ autem species, cum sint aliquæ clariores, seu plura objecti prædicata repræsentantes in actu 2do, aliæ verò obscuriores, & non nisi aliqua objecti prædicata repræsentare possint in actu 2do, eò quòd impediuntur, vel propter nimiam distantiam objecti, vel propter medium, per quod deferuntur ad potentiam, minus rite dispositum, vel deniquè propter ipsius potentiaæ organicæ indispositionem. Hinc fit, ut imperfectæ & obscuræ pertingant ad potentiam organicam, & ab hac transmittantur imperfectæ ad phantasiam, ac tandem intellectum, dependentè à quibus postea cognitio producitur obscura, inadæquata, & imperfectè repræsentans objectum. Hoc posito quæritur, an hæc

cognitio sic præcisiva objecti, sit cognitio præcisiva objective, ita videlicet, ut unam solùm formalitatem objecti repræsentet, & alteram nullo modo, prorsus ac si nec esset in objecto illa formalitas? Vel verò an sit præcisiva solùm formaliter, ita quidem, ut utramquè formalitatem objecti repræsentet, non tamen possit determinare intellectum ad affirmandum, utramque illam formalitatem esse in objecto, vel ad negandum, esse ibidem aliam?

Dico: implicat, ut cognitio inadæquata objecti, sit cognitio præscindens objective. Prob. Implicat cognitio, per quam cognoscatur v. g. animal hominis à longè visi, ita, ut simul per eandem cognitionem nullo modo cognoscatur idem animal hominis; sed si daretur cognitio præscindens objective, hoc fieret, go. m. prob. Per cognitionem præscindentem objective, cognito animali hominis à longè visi, nullo modo cognosceretur rationale ejusdem hominis; ergo nullo modo cognosceretur per illam animal hominis illius. prob. C. Hominis à longè visi hoc animal, quod cognosco, est hoc rationale; sed hoc rationale nullo modo cognosco illâ cognitione; ergo hoc animal nullo modo cognosco per talem cognitionem.

Nequè dicas *mò*. Syllogismum ultimum non concludere, quia est ex meris particularibus. Contra enim est. Quòd ex hoc sequeretur, nullum syllogismum expositoryum (qui tamen inter demonstrativos reputantur) concludere.

Nequè dicas *2dò*. Hoc animal hominis à longè visi in se realiter, & materialiter acceptum, esse hoc rationale hominis, non autem sumptum animal hominis in imagine sua, seu in esse objectivo. Contra est *mò*. Esse objectivum animalis, vel est esse objectivum hujus animalis hominis à longè visi, cui realiter identi-

tifi-

tificatum est rationale hominis, vel non? Si *1^{um}*.
 go implicat esse objectivum animalis, & non esse si-
 mul esse objectivum rationalis; aliàs jam animal ho-
 minis haberet nemine cogitante aliquod prædicatum,
 nempe repræsentabilitatem per esse objectivum anima-
 lis, quod non communicaret rationali, consequen-
 ter non esset eidem identificatum. Contra est *2^{do}*.
 Si esse objectivum animalis non est esse objectivum
 rationalis, nulla fit præcisio cognoscendo illud non
 cognito isto; præcisio enim non fit inter duo reali-
 ter distincta, sed inter formalitates realiter identifi-
 catas. Contra est *3^{io}*. Dum cognoscitur animal ho-
 minis in esse objectivo, seu imagine sui, vel terminat
 hanc cognitionem animal hominis in se realiter exis-
 tens, vel non? Si *1^{um}*. go eandem terminabit eti-
 am rationale hominis, quia animal hominis in se rea-
 liter existens est rationale hominis intrinsecè. Si *2^{dum}*,
 sequitur, quòd videns à longè moveri aliquid motu
 progressivo, propositio, quâ dicerem: cognosco ibi-
 dem esse animal, non verificaretur de animali illo rea-
 li ibidem existente, sed de animali ficto, seu imagine
 ejusdem in intellectu existente, cum tamen hanc non
 cognoscam, si videlicet non sit cognitio reflexa super
 seipsam. Item, si dicerem: amo illud animal ibidem
 se movens, verificaretur solùm de imagine animalis
 illius, cum tamen imaginem hanc possim odisse re-
 flexè, & nihilominus animal illud amare.

Ex hac ratione infero contra nonnullos RR.
 Quòd, licet in hac providentia intellectus noster mul-
 ta objecta solùm per species alienas cognoscat, ni-
 hilominus tamen objecta illa terminant cognitionem
 nostram in seipsis: quemadmodum dum cognosco obje-
 ctum per species proprias, licet illud cognoscam median-

tibus speciebus, cognitionem tamen hanc terminat ob-
jectum in seipso.

Respondet quidam Recentior : Omnino impli-
care eâdem cognitione cognosci animal hominis à lon-
gè visi, & non cognosci rationale, quando animal co-
gnoscutur in se, ac & prout est in se, non verò, quan-
do cognoscitur quidè animal in se, aliter tamen, quàm sit
in se. Contra est. Quando animal cognoscitur aliter,
ac est in se, ipsum animal in se realiter terminat im-
mediatè cognitionem, quia illud repræsentatur per ta-
lem cognitionem aliter, ac est in se; ergo etiam talera
cognitionem terminabit rationale eo modo, quo ani-
mal, adeoque etiam hoc repræsentabitur per illam ali-
ter, ac est in se.

Stephanus Spinula *Diss. 6. Log. sect. 5.* Docet,
animal hominis à longè visi formaliter sumptum,
esse ipsam cognitionem expressivam animalis : & ra-
tionale formaliter sumptum, esse ipsam cognitionem
expressivam rationalis. Hinc docet præscindi obje-
ctivè animal hominis formaliter sumptum à rationali,
quatenus potest cognosci illud, nullo modo cognito
hoc, cum cognitiones illæ realiter inter se distin-
guantur. Doctrinam hanc & inutilem ad salvandas
præcisiones objectivas, & simul falsam esse egregiè
probat P. Caregnas num. 569. M. S. Inutilem, quia
præcisio non fit inter realiter distincta, quales sunt il-
læ duæ cognitiones : falsam, quia animal forma-
liter sumptum, seu in esse cogniti, non est sola co-
gnitio. Animal enim in esse cogniti, est animal co-
gnitum per cognitionem animal; sed per cognitionem
animal non cognoscitur ipsa cognitio; illud enim per
cognitionem illam cognoscitur, quod per illam repræ-
sentatur. Sicut ergo per cognitionem homo, non co-
gnosci-

gnoscitur ipsa cognitio hominis, cum non sit reflexa, ita nec per priorem.

Pro solvendis objectionibus *Nota universaliter.* Ad omnes has, & similes propositiones: *Cognosco animal, non cognosco rationale: cognosco animal clarè, non cognosco rationale clarè: amo principium causativum sanitatis in medicina amara, non amo amaritudinem.* &c. applicandam esse distinctionem sequentem: Non cognosco rationale, si ly non negat cognitionem, vel claritatem illà, quâ cognosco, animal, N. si ly non negat aliam cognitionem vel claritatem, quâ videlicet nec animal cognosco, C. Idem est proportionaliter de aliis propositionibus.

Quod si quæras, quomodo ergo fiat cognitio inadæquata objecti, & præscindens formaliter, cum tam animal, quàm rationale cognoscatur clarè? *Res.* Dum à longè objectum se movet motu progressivo, motus hic immittit mihi in oculum speciem, oculus in phantasiam, & hæc in intellectum; dependenter ab hac specie determinor ad talem cognitionem illius objecti, vi cujus possum objectum illud discernere ab omni, quod non est animal, adeoque cognosco dependenter ab hac specie objectum illud à longè se movens, esse animal, & hoc quidem discernibiliter, & clarè. Quia verò species illa ex motu progressivo illo in oculum mihi immissa &c. non determinat me ad affirmandum objectum illud esse determinatè rationale, vel negandum, cum non causet cognitionem discretivam objecti illius ab omni, quod non est rationale vel irrationale, sequitur, quòd objectum illud cognoscam clarè totum claritate cognitionis distinguentis illud ab omni, quod non est animal, & simul confuse totum defectu cognitionis distinguentis illud ab omni, quod non est rationale vel irrationale. at-

quò

què hinc dicor cognoscere objecti illius clarè animal, confusè rationale.

Dices : Motus ille progressivus profluit indivisibiliter tam ab animali illius objecti, quàm rationali ; ergo species orta ex illo motu progressivo, sicut me determinare potest ad affirmandum objectum illud esse animal, seu distingvendum ab omni, quod non est animal, ita me determinabit, ad distingvendum objectum illud ab omni quod non est rationale. R. C. A. D. C. determinabit me in actu 1mo, C. consequ. In actu 2do, N. consequentiam. Licèt enim species illa de se sit determinativa mei ad affirmandum objectum illud esse rationale seu cognoscendum cognitione discretivâ illius objecti ab omni etiam quod rationale non est ; hîc & nunc tamen in actu 2do non me sic determinat, quia impeditur vel propter nimiam distantiam objecti, vel propter medium indispositum, v. g. nebulosum aërem, vel deniquè propter potentiaë organicæ imperfectionem, ut contingit apud Myopes, quibus impedimentis ablatis, species illa etiam in actu 2do me determinaret ad prædictam cognitionem.

Dices tamen: Si cognitio animalis est indivisibiliter cognitio rationalis, hoc ipso, quòd objectum à longè se movens cognoscam clarè esse animal, cognosco illud clarè esse rationale ; ergo sicut possum illud discernere ab omni, quod non est animal, etiam discernere posse debeo ab omni, quod non est rationale. Adeoque si objectivè non præscindo, nullo modo præscindo. R. N. consequ. Istæ enim duæ propositiones : Cognosco rationale objecti, & cognosco objectum esse rationale : vel cognosco clarè objectum hoc esse animal, & cognosco clarè objectum hoc esse rationale, non sunt eadem. 1ma. enim ad sui verificationem
non

non petit plus, quàm ut objectum illud quod cognitionem meam terminat, sive quod repræsentatur per illam, sit in se rationale. 2da verò ad sui verificationem petit, ut objectum illud, quod per illam repræsentatur, cognoscatur per tales species, quæ in actu 2do sint determinativæ Intellectûs in ordine ad judicandum, objectum illud esse rationale, & discernendum infallibiliter ab omni non rationali. Dicere enim: *Cognosco objectum illud esse rationale*, est actus judicij, quem Intellectus nequit cum veritate exercere, nisi habeat motiva in actu 2do se determinantia ad hoc affirmandum. Quæ cum in præsentî casu absint, nequit Intellectus dicere: *objectum quod à longè video se movere, est rationale*, licet dicere possit, *illud esse animal*.

Dices: Dum objectum, quod clarè cognovi esse animal, postea clarè cognosco esse rationale, vel hâc 2dâ cognitione cognosco plus in illo objecto, vel non? Si plus, go per 1mam cognitionem aliquid objecti non fuit cognitum, adeoque præcisum objectivè. Si nihil plus, go 2da cognitio non erit clarior. R. per 2dam cognitionem cognosco plus adverbialiter, non substantivè. Quia cognosco illud objectum clariori modo, quatenus illud jam possum discernere à pluribus, quæ non sunt objectum illud.

Obj. 2do. Hæc propositio: *Objectum quod video est animal*, non æquivalet huic *objectum quod video est rationale*. aliàs valeret consequentia à 1ma ad 2dam. go per 1mam propositionem objectum 2dæ non attingitur. go præscinditur objectivè R. D. A. non æquivalet quoad objectum terminativum, N. A. quoad objectum motivum, C. A. & N. C. Tunc igitur valeret consequentia à 1ma ad 2dam, quando illæ propositiones æquivalerent sibi quoad objectum adæquat-

tum,

tum, nempe tam terminativum, quàm motivum, non secus. Quòd autem non æquivalent quoad objectum motivum, certum est, quia imæ objectum motivum est species ex motu progressivo emissa, in actu 2do determinans intellectum ad affirmandum objectum, quod videtur, esse animal, quæ tamen in his circumstantijs non est in actu 2do determinativa ad affirmandum objectum illud esse rationale. Quòd autem quoad objectum terminativum sibi æquivalent, etiam est certum, quia primam propositionem illud animal terminat, quod ibi verè à parte rei se movet, hoc autem est rationale, go.

Dices: Hoc ipso, quòd hujus propositionis in alio casu objectum terminativum esset etiam rationale, cognosceretur etiam rationale illius objecti, go etiam cognosceretur ratiocinium; quia rationale est potentia essentialiter respectiva ad ratiocinium, cognitâ autem potentiâ essentialiter respectivâ cognoscitur etiam ipsius terminus, go. & N. adam Conf. ad prob. D. m. cognitâ potentiâ essentialiter respectivâ, cognitione eandem discernente ab omni alia, quæ ipsa non est, seu per speciem determinante me in actu 2do ad affirmandam illam in objecto, cognoscitur etiam terminus, transeat, secus N. C. Alij dicunt. D. adam partem anteced. cognosceretur etiam rationale reduplicativè sumptum N. sumptum specificativè C. & sub hac distinct. cætera.

Obj. 3tio. Potest Intellectus duo realiter separata identificare intentionaliter ita, ut per modum unius objecti eadem repræsentet; go etiam duas formalitates identificatas realiter separare intentionaliter ita, ut per modum duorum objectorum, distinctorum realiter, easdem repræsentet diversis cognitionibus, go potest præscindere objective. 4to. Potest oculus,

vel

vel voluntas unum prædicatum separare affectivè ab alio sibi realiter identificato, ut fit, dum ille videt albedinem, & non videt relationem transcendentalem ejusdem ad DEUM. hæc dum amat virtutem sanativam medicinæ, non amat ejus amaritudinem. go multo magis Intellectus. 5^{to}. Causa physica producendo effectum communicat illi unum prædicatum, v. g. sol luci materialitatem, non communicato altero realiter identificato, v. g. substantiæ. go. R. ad 3^{tium} C. A. N. C. Præsciendentium enim non est mendacium. mentiretur tamen intellectus, si sic repræsentaret duas formalitates illas. Unde sic concipiuntur illæ tamquam impossibiles. Ad 4^{tum} N. C. eadem enim visione, quâ oculus videt albedinem, videt etiam relationem: & voluntas eodem amore, quo amat virtutem sanativam in medicina, etiam amaritudinem amat. Unde si virtutis sanativæ sit amor efficax, odium, ad quod excitari potest voluntas per distinctam cognitionem, repræsentantem molestiam, quam causat ejusdem amaritudo, erit solum inefficax. Ad 5^{tum} similiter R. N. A. eâ enim communicatione, quâ sol lucis communicat materialitatem, etiam eidem communicat substantiam, communicatione videlicet materialitatis; licet non communicet substantiam communicatione substantiæ. Per illam igitur communicationem sol lucis communicat substantiam, per quam lux capax est verificare propositionem affirmantem, lucem hanc esse materialem. Non autem communicat substantiam per illam communicationem, per quam lux fiat capax verificare propositionem affirmantem, lucem hanc esse substantiam.

Obj. ultimò ex Spinula: Negatis præcisionibus objectivis evertuntur Principia hæc: *Dici de omni, dissi de nullo.* prob. Sensus horum Principiorum est, quòd

quòd totus conceptus, qui per prædicatum aliquod superius exprimitur, debeat posse prædicari de inferioribus illius; negatis autem præcision. object. hoc non est possibile. go. prob. m. Animal, quod est prædicatum superius respectu hominis & bruti, si à rationali & irrationali non præscindit objective, repræsentat in suo conceptu saltem confuse rugibilitatem, hinnibilitatem &c. sed hæc de homine nequeunt prædicari. go. ¶ N. A. ad prob. D. M. totus conceptus prædicati superioris repræsentatus expressè, & in recto, debet prædicari de inferioribus C. M. etiam confuse repræsentatus, N. M. & similiter dist. min. N. C.

Instabis: stante hâc doctrinâ evertitur ars syllogistica. go. Prob. A. Quia stante illâ non valebit hæc argumentatio: *Petrus est homo, go est risibilis.* Homo enim hoc prædicatum *risibilis* non repræsentat expressè, & in recto, sed tantùm confuse. go. ad hoc, ut Petrus sit verè homo, non requiretur, ut sit risibilis, quia inferiora non debent prædicati superioris participare totum conceptum etiam confuse repræsentatum; adeoque poterit Petrus esse homo, quin sit risibilis, sicut potest esse animal, quin sit rugibilis vel hinnibilis. ¶ N. assum. ad prob. D. A. non valebit hæc argumentatio in sensu reali physico, N. A. in sensu formali & præcisivo, subd. Non valebit immediatè, C. consequ. mediatè saltèm, & per legitimas consequentias, N. C. Homo in statu physico acceptus, formaliter & essentialiter constituitur per omnia sua prædicata; essentia enim physica reru n constitutivè habetur per omnia prædicata in tali entitate reperta. go. in hoc sensu argumentatio valet; quia est similis huic: *Petrus est homo, go est animal.* In sensu formali & præcisivo autem valet illa argumentatio saltèm mediatè, quia per legitimas consequenti-

as sic argumentor : Petrus est homo , go est animal rationale ; sed animal rationale per metaphysicam adjectionem includit risibilitatem ; go si Petrus est animal rationale , erit risibilis. go si est homo erit risibilis. Unde observandum : animal in statu præcisivo genericè sumptum solùm cum alterutra differentia , rationalitate videlicet vel irrationalitate est determinatè metaphysicè connexum , & non cum utraqùè simul , go alterutra etiam necessariò debet prædicari de inferiori , non utraqùè. Homo in statu præcisivo sumptus est determinatè connexa species cum proprietate sua metaphysica , risibilitate videlicet. go hæc : determinatè debet participari à quolibet inferiori individuo , contento sub specie homo. adeoque licè : non valeat ista argumentatio : hæc entitas est animal go est risibilis. valet tamen hæc : hæc entitas est homo , ergo est risibilis.

DISPUTATIO IV.

De Ente universali.

SECTIO I.

Utrum Universale metaphysicum , vel logicum detur independentè ab intellectu ?

Bifariam Universale considerari potest. Aliud enim est , quod vocatur universale metaphysicum , aliud quod vocatur universale logicum. Illud dicitur : *Unum aptum esse realiter plura per sui realitatem*

multiplicitatem; hoc verò : Unum aptum predicari de pluribus affirmative, in quibus multiplicatur. De utroque quaeritur, an detur independentem ab intellectu?

Dico : Universale formale à parte rei implicat. Prob. Universalis formalis constitutiva nequeunt dari à parte rei; ergo universale formale à parte rei implicat. prob. A. Ex constitutivis universalis est etiam unitas sufficiens ad universale formale; hæc non datur à parte rei, ergo. m. prob. Unitas sufficiens ad universale formale est solum illa, vi cuius natura ita est una, ut tota sit in inferiori per identitatem; sed talis unitas implicat à parte rei, ergo. M. est certa. Natura enim universalis debet multiplicari in suis inferioribus, usque inesse per identitatem; ad hoc autem requiritur, ut reperiatur tota in quolibet inferiori, ergo. m. verò prob. Omnis unitas reperta in natura independentem ab intellectu, est intrinseca naturæ; sed unitas naturæ intrinseca, vi cuius natura sit una intrinsecè, & simul multiplex per sui realem multiplicitatem, implicat, quia involvit contradictionem, ut patet consideranti. Esse enim intrinsecè multiplex, seu multiplicatum, est intrinsecè non esse indivisum in se, seu non esse unum.

Hinc infero: unitatem convenientiæ, seu similitudinis, non esse sufficientem ad constituendum universale metaphysicum, vel logicum formaliter tale, quia per hanc unitatem natura v. g. humana independentem ab intellectu non est aliquid aliud, quam collectio hominum inter se similitum; hæc autem collectio hominum inter se similitum nequit esse tota in quolibet inferiori.

Dices ad Universale sufficere illam unitatem, vi cuius ita fiat aliqua natura una, ut sit tota in quolibet inferiori secundum rationem intensivam; hoc autem

autem habetur per unitatem convenientiæ, go. Contra est. Ratio illa intensiōis, vel independenter ab intellectu distinguitur à ratione extensiva talis naturæ, vel non? Si non, ergo independenter ab intellectu deberet etiam secundum rationem extensivam esse in quolibet inferiori, quod implicat, aliàs quilibet homo singularis esset collectio omnium hominum. Si primum, quâ distinctione, an reali minori, an virtuali intrinsecâ? at hæc utraq̃ue implicat. Reali majori etiam non, quia hæc inter prædicata identificata non datur, ergo.

Obj. contra 1mò. Si non datur universale à parte rei, sequitur naturam humanam non esse unam, eandemque in omnibus hominibus; hoc autem dici nequit, aliàs Christus non assumpsisset naturam humanam, go. R. D. seqv. Sequitur naturam humanam non esse unam, eandemque in omnibus hominibus unitate identitatis, C. unitate convenientiæ, & similitudinis, N. & similiter distinctâ m. N. C.

Obj. 2dò. Unitas specifica est sufficiens ad universale; talis est unitas convenientiæ, go. M. est certa, m. prob. Quia natura humana in Petro, & Paulo &c. est una unitate specificâ, go. R. D. M. Unitas specifica fundamentaliter talis est sufficiens ad universale formale, N. Unitas specifica formalis, C. M. & similiter distinctâ m. N. C.

Dices unitatem convenientiæ esse unitatem specificam formalem, quia Petrus, Paulus &c. nemine cogitante non sunt plures specie formali; go à parte rei sunt unum in specie formali. Juxta Aristotelem enim *quæcunq̃ue divisionem non habent, quatenus non habent, unum sunt*, go. R. N. A. ad prob. R. 1mò. ex illa inferri Petrum, & Paulum nemine cogitante esse chymæram, quia nemine cogitante Petrus,

& Paulus non sunt plures chymæræ, go una, ut patet ex textu Aristotelis. R. 2dò. C. A. N. C. ad textum Aristotel. R. In ea ratione, in qua aliqua non sunt plura, sunt unum, si participant eam rationem, C. si non participant, N. Cùm igitur Petrus & Paulus nemine cogitante non participant rationem speciei formalis, nec unum sunt, nec plura nemine cogitante in specie formali: quemadmodum nec sunt unus, nec plures lapides.

Dico 2dò. Universale formale tam metaphysicum, quàm logicum fit per intellectum præscindentem formaliter. Ita Oviedo, Hurtadus, & com numeriter RR. Prob. 1mò. autoritate Arist. 7. *Metaph. docentis: Intellectum esse, qui facit universalia; sed per præcisionem objectivam non facit, cùm hæc implicet, go per præcisionem formalem.*

Prob. 2dò. Unitas sufficiens ad universale habetur per intellectum præscindentem formaliter, go. A. prob. Vi cognitionis præscidentis formaliter, hoc est, expressè repræsentantis naturam, non repræsentatis expressè differentijs, fit natura extrinsecè, seu per intellectionem, ita una, ut simul sit apta inesse, & prædicari per identitatem de inferioribus cum sui multiplicatione reali. Sic enim repræsentata non est aliud, quàm prædicata quidditativa, seu definitiva naturæ; hæc autem de quolibet inferiori prædicari, vel ijs inesse possunt per identitatem, cum sui multiplicitate reali, go.

Pro solvendis objectionibus contra hanc conclusionem, Notandum est universaliter: Objectum cognitionis formaliter præcisivæ esse duplex, saltem ratione nostrâ distinctum: Unum repræsentatum expressè, alterum repræsentatum confuse. Objectum, quod expressè repræsentatur, debet totum identificari

eari inferioribus; non verò illud, quod solùm confusè repræsentatur per illam. Ex. gr. Cognitionis hujus formaliter præscindentis, quâ cognosco naturam humanam, duplex est objectum: primum, quod expressè per eam repræsentatur, & hoc sunt ipsa prædicata constitutiva naturæ humanæ. Secundum, quod repræsentatur confusè, & hoc sunt singularitates, seu individuaciones hominum omnium. Natura humana, quæ est objectum expressè repræsentatum, identificatur cum omnibus inferioribus secundùm adæquatam suam rationem significatam expressè per vocem homo; non verò Individuaciones, quia hæ expressè per vocem homo non significantur. Hæc doctrinâ intellectâ facilè omnes objectiones contra hanc doctrinam solvuntur.

Dices tamen: Objectum expressè repræsentatum per cognitionem formaliter præscidentem v. g. naturam humanam, est homo, seu natura humana; sed natura humana est omnes homines, hi autem non insunt cuilibet particulari; ergo objectum expressè repræsentatum per cognitionem formaliter præscidentem, inesse non potest cuilibet inferiori per identitatem. *R. D. M.* Est natura humana, cognitis, & repræsentatis expressè singularitatibus, *N. M.* non cognitis, & expressè non repræsentatis, *C. M. & D. m.* Natura humana est omnes homines, in statu reali accepta natura humana sunt omnes homines per singularitates suas distincti, *C. m.* in statu intentionali, & præcisa à singularitatibus natura humana, est omnes homines per suas singularitates distincti, nego *m. & C.*

Dices *addo.* Per cognitionem facientem universale debent plura apparere unum; hoc autem non fit per cognitionem præscidentem formaliter, *ergo. D. M.* Debeat plura apparere unum signatè

tè, & reflexè, N. M. exercitè, hoc est, plura cognosci debent sinè divisione, & sinè expressa multiplicitate, C. M. & similiter distinctâ m. N. C. Nec ex hoc sequitur tamèn, naturam humanam esse illud ipsum in cognitione, quod est in se eodem modo. Natura enim illa, quæ in se realiter est multiplex ex parte objecti, in cognitione non repræsentatur esse multiplex. Siquidem vi cognitionis formaliter præscindentis nequit intellectus eam discernibiliter distingvere ab omni alia natura non multiplici.

Unde Objectum cognitionis Universale facientis, sunt quidem multa individua, sed non expressa sub nomine *multorum*. quia sic impediretur Unitas ad Universale requisita, sed sub nomine, & ratione quadam, in qua conveniunt omnia, & similia sunt, ita tamèn ut neque similitudo, neque multitudo ista formaliter, & expressè repræsententur ex parte actûs, siantque non signatè, sed solùm exercitè unum. Unde neque unitas debet esse intrinseca Objecto, seu ipsis individuis multis, sed solùm extrinseca exercitè per cognitionem.

Dices 3^{tiò}. Quia unitas sufficiens ad universale non datur à parte rei, infertur non dari universale à parte rei, go quia multiplicitas, quæ est pars constitutiva universalis, non datur per intellectum, infertur universale non fieri per intellectum. R. C. A. N. C. disparitas est, quòd hoc ipso, quòd non dentur omnia constitutiva universalis à parte rei, non datur à parte rei pars ultimò determinativa, & constitutiva universalis, vi cujus aliæ partes determinantur ad esse actualis constitutivi universalis; datur verò hæc pars per intellectum, go meritò denominabitur ab illa universale fieri solùm per intellectum, cùm illa faciat, & determinet cæteras partes ad esse actualium constitutivorum universalis.

Dices

Dices 4to. Impossibile est naturam esse totam in quolibet inferiori; go non requiritur ad universale, ut insit per identitatem omnibus. A. prob. Quia impossibile est, ut Petrus sit totus Tyrnaviæ, & tamen naturaliter sit etiam Pofonij, go. r. D. A. Esse totam exclusivè est impossibile. C. esse totam sufficienter, quatenus quodlibet inferius habet rationem repræsentatam per cognitionem eo modo, quo sufficiat ad constituendum Individuum, N. A. & C.

Ex his Colligo imò. Implicare Universale Platonium, situm in naturis idæalibus, & incorruptibilibus, æternis, à singularitatibus separatis, & in concavo lunæ existentibus. Quia ostendimus in disputatione de Ente possibili nihil dari positivum, & æternum, præter DEUM; go Idææ hæ Platonice vel non dantur, vel sunt DEUS. Si secundum, universale non sunt, quia DEUS non est aptus inesse pluribus per identitatem, cum sui multiplicitate reali.

Colligo 2do. Implicare etiam universale Scoti, & Cajetani, docentium, naturam independentem ab intellectu esse distinctam à singularitatibus distinctione Scotisticâ, & sic esse unam multiplicabilem realiter in pluribus. Hæc enim sententia utitur fundamento implicatorio; distinctionem enim Scotisticam implicare jam ostensum est disputatione superiori.

Colligo 3to. Implicare etiam universale Fonseca, sive naturam nemine cogitante universalem in statu possibilitatis. Quia natura, quæ in statu possibilitatis esset universalis, vel esset una sola natura apta ad existendum in pluribus individuis per identitatem, vel essent plures naturæ aptæ singulæ in singulis individuis existere? Secundum dici nequit; primum autem repugnat, go. prob. m. quoad primam partem; Quia hoc ipso illa natura non esset una ne-

mine cogitante ; plures enim non sunt unum ; go si non esset una , nec esset universalis. Prob. 2da. pars m. Si una sola natura in statu possibilitatis esset apta inesse pluribus per identitatem , non repugnaret quò minus una sola natura in statu existentiae actualis possit inexistere pluribus per identitatem , & in ijs multiplicari. Nequè enim repugnat id poni in statu actualis existentiae , quod antea erat in statu possibilitatis. hoc Fonseca negat , go & primum.

S E C T I O II.

Utrum prater intellectum aliqua alia potentia faciat universale ?

Dico 1mò. Voluntas creata potest suo modo facere universale : Ita *Hurtad. disp. 6. Met. sect. 12.* Prob. Potest voluntas tendens affectivè in objectum sibi propositum ab intellectu sub ratione boni amare illud in communi , absque omni specie boni particularis ; sed hoc est suo modo , seu appetitivè facere universale , go. m. prob. Ideo enim intellectus facit universale quia præscindit prædicatum commune , repræsentando illud sine differentijs clarè repræsentatis ; go etiam voluntas faciet suo modo universale , quia appetet bonum commune absque eo , quò appetat aliquam illius speciem determinatam , & individuatam expressè.

Dices : Voluntas non potest abstrahere prædicatum commune à differentijs , go A. prob. Quia abstrahere est , objectum multiplex realiter , & extra animam , quodammodo fieri unum in anima ; per actum autem voluntatis objectum non fit unum in ani-

anima, quia voluntas non dicitur esse per actum voluntatis in anima, sed potius voluntas per amorem in se amata, go. R. N. A. ad prob. D. M. Si per ly fieri quodammodo unum in anima intelligatur, quod fiat unum in anima terminando ipsum actum alicujus potentiae animae, C. M. secus, N. M. & D. m. Per actum voluntatis objectum non fit unum in anima, seu non terminat actum alicujus potentiae animae, ne m. non fit alio modo, tr. m. & N. C.

Dices 2dò. Voluntas non constituit objectum prædicabile de multis. R. Non constituit prædicabile prædicabilitate actuum voluntatis, C. prædicabilitate actuum intellectus, N. Prædicabile enim est idem, ac affirmabile; go. sicut hoc dicit ordinem ad actus intellectus, ita & prædicabile ad hos dicit, non verò ad voluntatis.

Dices: Voluntas præsupponit universale jam factum. R. D. A. Præsupponit jam factum sub ratione cogniti, C. sub ratione voliti, N. A.

Dices: Voluntas non potest ferri in objectum aliquod commune, nisi ut jam præcisum ab intellectu; go. illa non præscindit amplius, & consequenter nec facit universale. prob. C. Actio physica, quæ ferretur in objectum jam prius separatam physicè, non potest illud amplius separare; go. nec voluntatis actus præscindere jam præcisum. R. C. A. N. C. disparitas est, quod objectum semel physicà actione separatam non amplius maneat in se unum, go. nec per secundam actionem separabile. Contrarium autem fit in objecto præciso per intellectum; aliàs nec posset præscindi per secundam mentis operationem objectum semel præcisum per primam mentis operationem.

Pro reliquis Nota imò. Facere universale, est

cognoscere objectum sine circumstantijs individuanti-
bus objectum, qualis non est cognitio, adeoque estò
feratur voluntas in objectum cognitum, faciet univer-
sale. 2dò. Actus, per quem fit universale, debet esse
imago intentionalis sui objecti, hoc est, imago in
potentia aliqua vitali animata.

Dico 2dò. Sensus nec externi nec interni faciunt
universale propriè loquendo. Ita *Compt. diss. 3. Log.*
Prob. Quia hi sensus non possunt attingere objectum,
nisi certis, ac determinatis circumstantijs illud indi-
viduantibus vestitum; ergo non possunt objecto mul-
tiplici addere unitatem præcisivam, vi cujus objectum
fiat unum, aptum inesse, vel prædicari de multis
per identitatem cum sui multiplicitate reali. A. pa-
tet. Hi sensus enim sunt materiales, adeoque obje-
ctum non attingunt, nisi materializatum, hoc est,
certis circumstantijs vestitum.

Pro solvendis Objectionibus *Notandum* imò. In-
tellectus omnem cognitionem inchoativè accipit à sen-
sibus; non autem totum id est formaliter in sensi-
bus, quod in intellectu. 2dò. Oculus à longè videns
objectum se movens, nec discernens an sit homo, vel
brutum, percipit objectum aliquod commune sine dif-
ferentijs individuantijs illud, sine omnibus, N. sine
aliquibus, C. 3tò. Videre plura per modum unius
ita, ut id, quod videtur unum, sit prædicabile per
identitatem de inferioribus, & in illis multiplicabi-
le realiter, est facere universale, C. secus, N. Ocu-
lus autem videns plura per modum unius, primo mo-
do non videt. 4tò. Lupus esuriens repræsentat sibi
semper ovem cum aliquibus circumstantijs individuanti-
bus, v. g. loci, sitûs, magnitudinis &c. consequen-
ter non facit Universale. 5tò. Ovis fugam lupi priùs
nun-

nunquam visi non svadet apprehensio lupi ut sic, sed contrarietas, & antipathia naturæ, quæ causat in ove imaginem hostis sui. 6to. Phantasia quidquid in somno percipit, est certis circumstantijs vestitum, faciendibus objectum tale singulare.

S E C T I O III.

*Utrum in actuali prædicatione maneat
Universale logicum?*

Dico imò. Universale logicum prædicatum de suo inferiori retinet suam universalitatem. Ita *Cornimb. quest. 6. Prob.* In hac prædicatione: *Petrus est homo*, ex parte prædicati repræsentatur natura humana, quin ulla singularitas, vel pluralitas expressè repræsentetur naturæ humanæ; go ex parte prædicati in hac prædicatione retinetur universalitas. *A. prob.* Imprimis quòd non repræsentetur expressè ulla pluralitas, est clarum; sed nec repræsentatur singularitas, quod probatur: Non repræsentatur expressè singularitas Petri, go nulla. *prob. A.* Si in prædicatione propositione ex parte prædicati expressè repræsentaretur singularitas Petri, hæc consequentia esset legitima: *Petrus est homo, go non est Paulus.* *Prob.* Ideo præcisè valet hæc consequentia: *Petrus est hic homo, go non est Paulus*, quia per *ly hic*, ex parte prædicati exprimitur, seu repræsentatur expressè singularitas Petri; go si in priori propositione etiam repræsentatur expressè singularitas Petri ex parte prædicati, valebit eodem modo illa consequentia.

Ut objectiones facilè solvas observa: Omnium propositionum, in quibus prædicatum universale de
sub

subjecto singulari prædicatur, duplex objectum ex parte prædicati esse considerandum: Unum terminativum, aliud verificativum, & solum objectum verificativum debere identificari subjecto, non verò terminativum. Objectum verificativum est illud, quod ex parte prædicati importatur in recto expressè, & clarè; terminativum vero, quod etiam importatur confusè. Item observa, identitatem, quæ est inter rectum subjecti & rectum prædicati, hoc est objectum verificativum propositionis, esse identitatem adæquatam non exclusivè, sed sufficienter. Hinc si

Objicias imò. Si in propositione: *Petrus est homo*, retinetur universalitas ex parte prædicati, tunc de Petro prædicarentur omnes homines, *æ*. Prædicarentur omnes homines in suppositione abstractiva accepti, *C*. accepti in suppositione collectiva, vel distributiva. *N*. In suppositione abstractiva omnes homines non sunt aliud, quàm natura humana repræsentata expressè, non repræsentatâ expressè ullâ differentiâ, vel pluralitate.

Instabis: Ad veritatem propositionis prædictæ, etiam in suppositione abstractiva sumptæ, requiritur identitas inter rectum prædicati, & rectum subjecti; rectus autem prædicati sunt omnes homines, *g*. *æ*. *D*. *M*. Requiritur identitas inter rectum prædicati, & rectum subjecti, secundùm quod rectus prædicati repræsentatur expressè, *C*. *M*. Secundùm quod rectus prædicati repræsentatur tam expressè, quàm confusè. *N*. *M*. & similiter distinctâ *m*. *N*. *C*. Ex hac doctrina patet, quare non possit cum veritate dici de uno milite v. g. Petro: *Petrus est exercitus*, quia videlicet hujus prædicati, *exercitus*, rectus importat expressè, & clarè exercitum, seu totam aggregationem militum, & confusè solummodo individua militum.

Plu-

Pluralitas autem, qualis est aggregatio, non potest dici cum veritate per identitatem de uno singulari.

Obj. 2dò. Si in hac propositione: *Petrus est homo*, maneret universale ex parte prædicati, tunc prædicaretur de Petro homo universalis, seu homo ut sic. R. Prædicaretur de Petro homo universalis exercitè, C. Universalis signatè, N. Homo universalis exercitè, est natura humana repræsentata per cognitionem eandem universalizantem.

Obj. 3tò. Hæc propositio: *Petrus est homo*, est unus actus realiter indivisibilis; ergo idem objectum, quod repræsentatur in illa ex parte subjecti, repræsentatur etiam ex parte prædicati. R. D. A. Est unus actus realiter indivisibilis, divisibilis tamen æquivalenter, & virtualiter C. A. etiam sic indivisibilis, N. A. & D. C. Ergo idem objectum repræsentatur in ea tam ex parte subjecti, quam prædicati, & eodem modo, N. diverso modo, C. C. Neque putes diversum hunc modum repræsentationis in eodem realiter indivisibili actu esse impossibilem. Clarum enim est, etiam Adversarijs fatentibus, in hac propositione: *Petrus est aliquis homo*, aliter repræsentari subjectum, aliter prædicatum; illud siquidem repræsentatur clarè, & determinatè, hoc indeterminatè.

Dices tamen: Nequit fieri, ut eadem indivisibilis cognitio repræsentet parietem cum albedine, & simul sine albedine; ergo etiam, ut repræsentet ex parte subjecti expressè v. g. singularitatem, & ex parte prædicati eam non repræsentet expressè R. D. A. ly sine negante omnem repræsentationem albedinis, C. ly sine negante solum aliquam repræsentationem non oppositam repræsentationi priori, N. A. & sub eadem distinctione C. Instantia est ab actu disjunctivo.

Dices : Si in hac propositione : *Petrus est homo*, ex parte prædicati non repræsentaretur expressè singularitas, actus hic esset falsus, quia diceretur de subiecto aliquid aliter, quàm in illo sit in se. R. N. A. ad prob. D. diceretur de subiecto aliquid aliter, quàm in illo sit realiter, & hoc, quod prædicatur de illo, prædicatur exclusivè, N. & non prædicatur exclusivè, sed tantùm præcisivè, C.

Dices : Hæc propositio : *Petrus est homo*, æquivalet huic : *Petrus est hic, vel ille homo* ; hæc secunda non est universalis ex parte prædicati, go nec prima. R. D. M. æquivalet illi materialiter, & secundùm veritatem, C. æquivalet quoad modum significandi veritatem, N. M. & concessâ m. N. C.

Dices ultimò : Quando terminus universalis coalescit in unitatem termini cum singulari, seu fit complexus, restringitur ejus universalitas ; go etiam, quando coalescit in unitatem propositionis. R. C. A. N. C. disp. est, quòd in casu priori terminus singularis addatur termino universali per modum differentie determinantis rationem termini universalis ad hoc potius, quàm aliud individuum ; hoc autem non fit in propositione.

Pro reliquis *Nota 1mò.* Cognitio, quâ dico : *Petrus est homo*, distingvit Petrum à cæteris hominibus ex parte subiecti, non prædicati. *2dò.* Illud ex parte prædicati dicitur de Petro, quod cognoscitur cognitione exprimente clarè objectum suum, non autem etiam illud, quod cognoscitur solummodò confusè exprimente cognitione. *Nota 3tiò.* Hic actus : *Petrus est homo*, ex parte prædicati neque distributivè, neque collectivè, neque disjunctivè fertur in suum objectum, sed solum præcisivè.

Hoc

Hoc est præcisè affirmat Petrum esse hominem, & nihil aliud. Unde ad sui verificationem nullam determinatè petit ex illis suppositionibus. Et quamvis hîc & nunc materialiter non verificetur nisi per hunc hominem singularem, hoc tamen est illi per accidens, cum æquè verum foret Petrum esse hominem, etiam si, ex parte materiæ, verificaretur per hominem collectivè supponentem, vel distributivè, vel disjunctim &c.

S E C T I O IV.

An ab omnibus quinque prædicabilibus possit abstrahi ratio Univoca?

✱. **A**ffirmativè. Prob. Prædicabilia omnia quinque sub ratione universalis prædicabilis non minùs conveniunt, quàm omnia animalia sub ratione animalis; go sicut ab omnibus animalibus potest abstrahi ratio communis univoca, ita etiam ab omnibus prædicabilibus. A. pr. Quia in hoc conceptu: *Universale prædicabile*, tam parum repræsentatur expressè differentia alicujus ex quinque prædicabilibus, quàm in hoc conceptu *animal* repræsentetur differentia rationalis, vel irrationalis, go. Item sicut quodlibet animal est verè animal: ita quodlibet prædicabile est verè universale prædicabile.

Obj. *contra* imò. Universale prædicabile in suo conceptu formali involvit expressè differentiam alicujus Inferioris, de quo prædicatur; go respectu suorum Inferiorum non est univocum. A. prob. Universale prædicabile respectu Inferiorum suorum est genericum, cum prædicetur de illis specie differentibus &c.

go involvit in suo conceptu differentiam alicujus inferioris, de quo prædicatur. R. N. A. ad prob. D. A. Universale prædicabile in suo conceptu formali formaliter sumpto, hoc est signatè & expressè, est genus, N. A. In suo conceptu formali materialiter & entitativè, hoc est exercitè tantùm, & quasi in actu primo, sumpto, est genus, C. A. & N. C. *Notandum* igitur est, quòd omnis ratio communis, prout substat cognitioni præcisivæ, facienti universale, duo importet: unum in suo conceptu formali formaliter sumpto, hoc est signatè & expressè: aliud verò in suo conceptu formali materialiter sumpto, & entitativè, hoc est exercitè, quasi in actu primo. In suo conceptu formaliter sumpto, seu signatè & expressè importat illam ipsam rationem, quæ per cognitionem abstractivam repræsentatur expressè & signatè; in suo conceptu verò formali materialiter sumpto, seu entitativè, seu exercitè & quasi in actu primo, importat illam denominationem, quam objectum ita repræsentatum accipit dependenter à cognitione. In exemplo: *Ratio animalis*, prout substat huic cognitioni abstractivæ *animal*, dicit duo: *idè.* enim dicit ipsam rationem animalis signatè, seu expressè, hoc est: dicit eam in suo conceptu formali formaliter sumpto, quia videlicet ratio animalis repræsentatur per cognitionem *animal*, *idè.* dicit denominationem generis, vel *universalis*, & hanc solum dicit exercitè, seu quasi in actu primo, hoc est, in suo conceptu formali materialiter sumpto, quia hæc ratio non repræsentatur expressè per cognitionem *animal*, sed solum exercitè, quatenus videlicet ratio animalis constituitur per illam cognitionem abstractivam una unitate genericâ, & consequenter sufficiens fundamentum præbet, ut cognitio reflectens se super hanc rationem

nem animalis sic abstractam, repræsentet eam, & affirmet cum veritate esse genus, seu universale. Idem applicandum est huic rationi communi, substanti cognitioni præcisivæ, facienti universale: *Universale prædicabile*. Hæc enim ratio, quatenus substat cognitioni huic: *universale prædicabile*, signatè & expressè, hoc est, in suo conceptu formali formaliter sumpto, importat tantùm ipsam rationem *universalis prædicabilis*; exercitè verò, & quasi in actu primo, hoc est, in suo conceptu formali materialiter sumpto, importat etiam rationem generis. Ex quo discursu colligitur.

Ad hoc, ut aliqua ratio sit univoca, requiri solum, ut ipsa in suo conceptu formali formaliter sumpto, seu signatè & expressè, non involvat differentias Inferiorum, estò easdem deinde in suo conceptu formali materialiter sumpto involvat, ut patet in ratione animalis.

Dices 2dò. Si universale prædicabile esset univocum respectu suorum Inferiorum, esset seipso superius, & inferius. Superius esset, siquidem contineret sub se quinque prædicabilia: Inferius etiam esset, siquidem esset illud universale etiam Genus, adeoque infra universale ut sic. *B.* Esset seipso superius, & inferius eodem modo sumptum, *N.* diverso modo, & sub diverso respectu sumptum, *C.* Universale prædicabile igitur in suo conceptu formali formaliter sumpto, seu secundùm rationem expressè, & signatè significatam, esset superius quinque prædicabilibus; sumptum verò in suo conceptu formali materialiter accepto, seu secundùm rationem exercitè solum, & quasi in actu primo significatam, esset inferius universali ut sic, quia sic solummodo consideratum est genus. Sic autem esse aliquid superius & inferius non implicat, ut patet in Definitione, quæ dicitur

citur esse: oratio explicans naturam rei, quæ definitio est omnium definitionum definitio, adeoque etiam sui ipsius; go est superior & inferior seipsa, sed sub diverso respectu.

Dices 3^{ti}o. Universale prædicabile si esset univocum respectu suorum quinque prædicabilium, esset respectu eorum genus; sed nequit esse genus, quia nequit de suis inferioribus prædicari essentialiter; prædicabile enim est terminus adjectivus, & terminus adjectivus nequit essentialiter prædicari de suis inferioribus, go. R. C. M. N. m. ad prob. N. A. ad hujus prob. C. M. D. m. Terminus adjectivus nequit essentialiter prædicari de suis inferioribus sumptis secundum rationem adjectivam, N. sumptis secundum rationem præcisè substantivam, C. m. & N. C. Sic prædicatum *albus* de *Petro albo* prædicatur essentialiter, licet non prædicetur essentialiter de *Petro*.

S E C T I O V.

De definitione Generis Logici, Specie, & Individuo.

Dico imò. Genus Logicum bene definitur, quòd fit: *Unum aptum prædicari de pluribus specie differentibus, tamquam pars determinabilis essentiæ metaphysicæ illorum.* Ratio, Quia hæc definitio convenit omni, & soli Geni logico.

Dices: Hæc definitio non est facta per Genus proximum, & differentiam ultimam, go A. prob. Quia aliàs deberet dari Genus supra Genus ut sic, cum in omni definitione id, quod ponitur pro Genere, debet latius patere, quàm ejus definitum; dari autem

tem Genus supra Genus ut sic, est impossibile, go. R. D. A. Non est facta per Genus sumptum materialiter, seu quod est tale exercitè, & quasi in actu primò intentionaliter, N. A. Non est facta per Genus sumptum formaliter, seu quod est tale signatè, & secundò intentionaliter sumptum, C. A. & N. C. ad prob. ¶ D. M. Debet dari genus materialiter sumptum, supra Genus ut sic sumptum formaliter, C. M. deberet dari Genus sumptum formaliter, supra Genus ut sic sumptum formaliter, N. M. & similiter distinctâ m. N. C.

Dices 2dò. Si Genus definiri posset, duo prædicabilia, videlicet Genus & species, non essent distincta prædicabilia, quia Genus esset species, siquidem constaret Genere & differentiâ. R. N. A. ad pr. D. A. ¶ Genus formaliter sumptum esset species formaliter sumpta, N. A. Genus materialiter sumptum esset species formaliter sumpta, C. A. & N. C. Hoc enim solùm significat, quòd Generis materialis conceptus objectivus sit talis, ut ab illo per cognitionem reflexam possit abstrahi ratio formalis speciei.

Dico 2dò. Quando definitur Genus, tunc definitum, seu objectum hujus definitionis est natura abstracta, prout terminans cognitionem abstractivam. Prob. Definitum illius definitionis est natura generica, quatenus illa est formaliter Genus; sed hæc est formaliter Genus, quatenus terminans cognitionem abstractivam, go. M. est certa; illud enim est definitum definitionis, quod per illam intenditur definiri; intenditur autem per definitionem Generis definiri Genus formaliter sumptum. go. m. patet ex disputatis superiùs.

Dices 3mò. Definitum in definitione Generis est id, quod est Genus, & prædicabile de multis; sed

sola natura est Genus, & prædicabilis de multis; go sola natura, non cognitio, est definitum Generis. R. D. M. id, quod est Genus & prædicabile de multis, secundum quod Genus, seu prædicabile dicit tam in recto, quam in obliquo, C. M. solum secundum quod dicit in recto N. M. & D. m. Sola natura est Genus, & prædicabilis, secundum quod Genus, & prædicabile dicit in recto, C. m. secundum quod hæc dicunt in obliquo, N. m. & C. Definitio go Generis attingit tam naturam, quam cognitionem ejus abstractivam: hanc in obliquo, illam in recto

Dices: Hæc propositio est vera: *animal est Genus*; sed animal non est cognitio; go cognitio non est Genus. Sed quod non est Genus, non definitur definitione Generis; go cognitio non definitur definitione generis, & consequenter non est definitum definitionis generis. R. C. M. D. m. Animal, quatenus est Genus, non est cognitio, secundum quod genus dicit in obliquo, N. m. secundum quod dicit in recto, C. m. & sub eadem distinctione C.

Dico 3tio. Genus Logicum necessario requirit sub se plures species saltem possibiles. Prob. Genus ut tale ex definitione sua est prædicabile de pluribus specie differentibus, tamquam pars determinabilis essentialis metaphysicæ; sed nisi habeat sub se plures species, non esset sic prædicabile, go. prob. m. animal v. g. in casu, in quo non haberet sub se plures species, saltem possibiles, non esset indifferens ad hoc, ut per differentiam contrahatur ad diversas species componendas, sed esset determinatum, tantum cum hac una differentia componere speciem; go in tali casu amitteret rationem determinabilitatis.

Hinc estd esset prædicabile Genus de pluribus Individuis ejusdem speciei, quæ individua ab alijs
spe:

specie differunt, quia tamen non prædicaretur de ijs, ut pars determinabilis, cum non esset indifferens ad plures species, non esset Genus. 2dò. Materia determinata ad unam formam, estò gratis admitteretur, non arguit admittendum esse etiam Genus; quia materia illa non esset universalis, sed particularis, ac specie distincta ab hujate; Genus autem supponitur esse universale.

Dico 4to. Species prædicabilis bene definitur, quòd sit: *Unum aptum prædicari de pluribus, tamquam tota essentia metaphysica illorum.* Definitionis bonitas patet, quia convenit omni, & soli speciei prædicabili.

Dico 5to. Si possibilis esset species immultiplicabilis; hæc etiam abstracta per cognitionem præcisivam à sua singularitate, non esset universalis. Ita Suarez apud Dequ. hic disp. 21. num. 8. contra Thomistas. Prob. ad omne universale requiritur, ut natura abstracta insit, vel prædicetur per identitatem de suis Inferioribus, & in illis verè realiter multiplicetur; hoc non haberet hujus speciei natura, go. M. est probata in præcedentibus, m. est clara, go.

Prob. 2dò. Juxta scholam S. Thomæ ut aliqua natura sit universalis, & prædicabilis, debet concipi si-
mè proxima repugnantia ad identitatem cum multis Inferioribus; sed natura Angelica v. g. Michaëlis, quam specie immultiplicabilem docent Thomistæ, non potest sic concipi, go. m. prob. Natura Michaëlis non potest concipi, nisi ut immaterialis, & Angelica; sed per Thomistas natura, quæ concipitur ut immaterialis & Angelica, concipitur semper cum proxima repugnantia ad identitatem cum multis inferioribus, go.

Dices 1mò. Natura specifica, præcisa à sua singula-

gularitate, posset concipi cum aptitudine ad identitatem cum multis Individuis impossibilibus, ergo adhuc esset universalis. R. Potest sic concipi cognitione falsa, C. cognitione verâ, N. adeoque illa nunquam de se in actu primo, & fundamentaliter esset identificabilis cum multiplicitate reali suis inferioribus, consequenter nec universalis.

Dices 2dò. Natura Michaëlis ut præcisa à sua singularitate esset negativè indifferens ad identitatem cum alijs differentijs, ergo adhuc esset universalis. R. N. A. Si per ly negativè indifferens intelligatur aliquid aliud, quàm, quòd non esset indifferens. Hoc ipso enim quod natura Michaëlis identificaretur alteri, quàm Michaëli, distingveretur realiter à Michaële; ergo sicut non esset Indifferens, ut à Michaële distingveretur realiter; ita non est indifferens, ut possit alijs identificari.


Dico 6tò. Probabiliùs est, quòd ab omnibus individuis possit abstrahi ratio communis Individui univoca. Ita Suarez *diss. 6. met. sect. 6. Prob. Definitio Individui*, quod videlicet sit *Indivisum in se, & divisum à quolibet alio*, convenit omnibus individuis prorsus eodem modo; ergo potest ab omnibus individuis abstrahi ratio communis, & univoca. A. prob. Quia tam bene Paulus Individuum, quàm Petrus, vel Bucephalus est indivisum in se, & divisum à quolibet alio, ergo. *Conf.* Individuum est definibile; ergo habet rationem, quæ abstracta convenit omnibus, & solis individuis.

Dices 7mò. Individuum prædicabile est, quod de uno tantùm prædicatur; sed quod de uno tantùm prædicatur, non potest inesse pluribus, ergo. R. D. M. Individuum prædicabile cognitum secundùm ultimam rationem Individuam expressè, C. M. cognitum se-

cundum rationem non ultimam expressè & signatè , secundum verò ultimam solùm exercitè & confuse N.M. & similiter distinctâ m. N. C. Quòd in individuo detur aliqua ratio generica , & non ultima , & alia ultima , patet. Si enim dicam : *Petrus est individuum* , longè alter est sensus , quàm si dicam : *Petrus est hoc individuum* ; hæc secunda enim potest esse falsa propositio , vera prima.

Dices 2dò. Si potest abstrahi ratio communis univoca ab individuis secundum rationem non ultimam , posset etiam secundum rationem ultimam ; secundum hanc autè non potest , go nec secundum imam. sequ. prob. Quia omnia individua conveniunt etiam in ratione ultima , quæ est *differre ab alijs ultimò*. R. N. sequ. ad prob. N. allatam rationem esse ultimam differentiam Individuorum ; illa enim est æquè generica , ac Individuum in se , & divisum à quolibet alio. Ultima igitur ratio Individuorum est : *differre ultimò hoc , vel illo determinato modo* , in quo perfectè convenire non possunt individua. Sic enim Petrus non per Pauleitatem , sed per Petreitatem distinguitur à Paulo , hic verò per Pauleitatem à Petro.

Dices 3tiò. Formalis ratio disconveniendi non potest esse ratio conveniendi ; sed individuum est formalis ratio disconveniendi , go. R. tr. M. D. m. Individuum secundum ultimam rationem explicitè cognitum , C. m. cognitum solùm explicitè secundum rationem genericam , & non ultimam , N. m. & C.



DISPUTATIO V.

De Ente vero, & scito.

SECTIO I.

In quo consistat veritas propositionum?

Dico imò. Veritas propositionum tam contingenter, quàm essentialiter, & necessariò verarum, est actibus partim extrinseca, partim intrinseca. Ita *Arriaga, Oviedo controv. 2. de anima. contra Esparzam, Alphonsum disp. 15. de anima.* Omnis veritas est conformitas actûs cum objecto; nulla conformitas est solus actus; go nulla veritas est adæquatè intrinseca soli actui. m. prob. Per possibile vel impossibile præcisè deficiente sic se habentiâ objecti, & manente actu, non maneret conformitas; go hæc non est adæquatè intrinseca actui. 2dò. Juxta *Arist. ex eo quod res est, vel non est, propositio vera, vel falsa est;* sed esse rem, vel non esse rem, non est actui intrinsecum; go id, quod est ratio veritatis, non est totum actui intrinsecum. 3tiò. probatur de actibus necessariò, seu essentialiter veris: Denominationes extrinsecæ, quæ pro aliquo casu sunt tales, non cessant esse semiextrinsecæ, licèt necessariò infint alicui, vel essentialiter ab aliquo exigantur, ut patet in coëxistentia creaturæ cum DEO; go cùm denominatio veri sit semiextrinseca actibus contingenter veris, non cessabit esse talis, etiam respectu illorum actuum, à qui-

quibus necessario, & essentialiter exigitur, cum non minus horum, quam aliorum actuum veritas sit quaedam similitudo intentionalis actus cum objecto, go.

Objicies contra imò. Cognitio reflexa, nihil aliud representans præter seipsam, potest esse vera; sed hujus veritas erit adæquate intrinseca actui, go. R. imò, multos esse, qui negant majorem. R. 2dò. tr. M. D. m. est adæquate intrinseca actui sumpto realiter. C. m. sumpto actui formaliter, prout distincto formaliter à suo objecto N. m. & C. Hinc eo pacto veritas est semiextrinseca actui, quo pacto hic distinguitur ab objecto suo, quod representat.

Obj. 2dò. Omni cognitioni est essentialiter, representare suum objectum; go omnis est essentialiter conformis suo objecto. R. D. A. Est essentialiter, representare suum objectum, prout hoc est à parte rei, N. A. prout est objective in intellectu, C. A. & D. C. go omnis est essentialiter conformis suo objecto, prout hoc est à parte rei, N. C. prout est in intellectu objective, C. C.

Dices: Actus iste, quo dico: *homo est animal rationale*, necessario representat suum objectum, prout hoc est à parte rei; go hic erit necessario conformis objecto suo, prout hoc est à parte rei; go erit necessario verus, go ei veritas erit necessaria, & consequenter non poterit haberi per aliquid actui extrinsecum. R. D. A. Necesario representat suum objectum necessitate ortâ ex ipso actu, N. A. necessario representat necessitate ortâ ex objecto necessario sic se habente, C. A. & D. C. go est necessario verus exigitivè, quatenus exigit necessario veritatem, C. C. formaliter, quatenus haberet sibi identificatam veritatem adæquate, N. C.

Institabis: Actus supernaturales v, Fidei &c. essentialiter

essentialiter repræsentant objectum, prout hoc est à parte rei, necessitate ortâ ex ipsis actibus; go saltem hi erunt veri per seipsos. prob. C. Hæc consequentia est bona: *Petrus est essentialiter homo, go per seipsum est adæquatè homo*; go & prior. R. C. A. D. C. Ergo sunt essentialiter veri exigitive, C. C. Sunt essentialiter veri formaliter, seu habent sibi adæquatè identificatam veritatem. N. C. Ex hoc enim inferitur, illos esse veros essentialiter radicali veritate, non formali. Ad paritatem R. D. A. Bona est hæc consequentia: *Petrus est essentialiter homo, si ly est significet idem ac exigit, nego esse bonam. Si ly est idem significet, ac in suo conceptu formali adæquatam rationem hominis includit. C. Actus Fidei solùm primo modo sunt essentialiter veri, non secundo modo.*

Urgebis: Tales actus transcendentaliter referuntur ad suum objectum; sed juxta vos relatio transcendentalis est adæquatè identificata fundamento, go. R. D. M. referuntur transcendentaliter ad objectum, & ratio fundandi hanc relationem est conformitas formalis actûs cum objecto, N. M. & ratio fundandi hujus relationis est solùm exigentia conformitatis, adeoque repræsentatio simpliciter sumpta, C. M. Unde sequitur, quòd solùm exigentia veritatis formalis, seu præcisa repræsentatio objecti, prout hoc est in intellectu, non autem veritas formalis sit adæquatè intrinseca actui.

Pro reliquis *Nota imò. Veritas ex eo, quòd constituatur per actum, & sic se habentiam objecti, non debet tam actum, quàm objectum denominare verum, quia objectum hujus denominationis non est capax, ut loquitur Arist. Verum, & falsum non sunt in rebus, sicut bonum & malum, sed sunt in intellectu.*

add. Veritas secundum totum id, quod dicit, non est perfectio actus entitativa, sed solum arguitiva. Sola verò perfectio entitativa debet esse adæquatè intrinseca actui, non verò etiam arguitiva. 3^{to}. Actus necessariò veri distinguntur à falsis per seiplos exigitive, non verò per seiplos formaliter. 4^{to}. Actus verus à falso differt specie accidentali, non essentiali, & consequenter adhuc veritas, per quam differt actus verus à falso, non debet esse adæquatè intrinseca actui. 5^{to}. Objectum est mensura, sed solummodò actus veri, non autem ipsiusmet veritatis. Hinc licet mensura non constituat intrinsecè mensuratum, non sequitur, quòd sic se habentia objecti non constituat intrinsecè veritatem. 6^{to}. Denominatio veri non est purè physica, sed physico-logica, adeoque dari potest, estò objectum non existat physicè.

S E C T I O II.

An aliqua propositio possit transire de vera in falsam, vel è contra?

Supposito, veritatem non esse adæquatè intrinsecam actui, eundemque actum posse durare pluribus instantibus, varièque posse repræsentari tempus ab aliquo actu, qui sit verus in materia contingenti.

Dico: Propositio veritatis contingentis non repræsentans expressè determinatum instans, potest de vera transire in falsam, & è contra. ita Suarez *disp.* 8. *Met. sect.* 2. Prob. imò. *Authoritate Arist. cap. de substantia sic loquentis: Veluti si vera sit oratio sedere quempiam, ipso surgente eadem falsa erit. Néque dixeris Aristotelem non esse locutum de eodem actu.*
 Quem-

Quemadmodum enim loquitur de eadem numero substantia, quòd sit susceptiva contrariorum, ita de eodem numero actu loqui censendus est, siquidem hunc comparat cum substantia.

Prob. 2dò. Hæc propositio : *Petrus disputat*, duret tribus instantibus, in primo disputet Petrus, in secundo non disputet. Hæc propositio in *imo* instanti est vera, quia est actus conformis suo objecto, in 2dò eadem erit falsa, quia non est conformis suo objecto, go.

Néque dicas hoc esse impossibile, quia illa propositio non potest ita significare tempus præcisivè, ut nec significet collectivè omne tempus, quo durat, nec disjunctivè, nec determinatè aliquod. Contra est : Potest hæc propositio v. g. *Petrus currit*, significare cursum præcisivè ita, ut nec significet collectivè omnem cursum dextrorsum, sinistrorsum, &c. nec disjunctivè vel hunc, vel illum, nec determinatè hunc; go etiam tempus potest ita significare. Contra est 2dò. Hæc cognitio, quâ dico : *homo est animal rationale*, repræsentat naturam humanam præcisivè ita, ut nullum individuum humanum repræsentet expressè, & determinatè; go etiam hæc; *Petrus nunc currit*, potest ita repræsentare tempus præcisivè, ut nullam differentiam temporis repræsentet determinatè, & expressè.

Obj. contra *imò*. Si posset hæc propositio : *Petrus disputat*, vel *Petrus nunc currit*, repræsentare tempus præcisivè, tunc posset repræsentare confusè jam instans *A.* jam instans *B.* sed hoc est impossibile, go. m. prob. Est impossibile, ut propositio manens eadem mutet objectum suum; sed si posset repræsentare propositio jam instans *A.* jam instans *B.* mutaret suum objectum, go. q. C. M. N. ad prob. D. M. ut

M. ut mutet objectum suum per se repræsentatum, C. M. ut mutet objectum suum per accidens repræsentatum, N. M. & similiter distinctâ m. N. C.

Ut doctrina hæc elucidetur, *observo* : Omnem actum abstractivum duplex habere objectum : unum per se, alterum per accidens. Objectum per se actûs abstractivi est illud, quod expressè repræsentatur per talem actum, ut si dicas : *aliquis homo sedet in foro*, objectum per se hujus actûs est sessio hominis, quia hæc repræsentatur expressè per eum actum. Objectum verò per accidens est illud, quod non repræsentatur expressè per talem actum, sed tamen repræsentatur confusè, & per accidens, quatenus videlicet accidentaliter contrahitur hic & nunc ratio illa, quam expressè repræsentabat actus, ad hoc individuum : ut si datus actus, *aliquis homo sedet in foro*, supponatur durare unâ horâ, & primo quadrante sedeat Petrus, secundo quadrante sedeat Paulus surgente Petro, &c. primo quadrante ratio per actum illum expressè significata, nempe sessio hominis, contraheretur accidentaliter à Petro, secundo quadrante à Paulo, ideóque actûs illius objectum per accidens primo quadrante erat Petrus, secundo Paulus &c. Idem proportionaliter loquendum est de tempore respectu instantis determinati *A. B. C.* &c. videlicet hujus propositionis : *Petrus nunc currit*, objectum per se esse tempus sibi coëxistens, quæ ratio quia accidentaliter contrahitur ab instanti *A.* in instanti *A.* & ab instanti *B.* in instanti *B.* hæc instantia erunt objectum per accidens. Licet ergo actus nequeat manens idem mutare objectum suum per se repræsentatum, potest tamen mutare objectum suum per accidens repræsentatum, & tamen manere idem in esse actus

Dices contra : Cognitio dicit relationem trans-

scen-

scendentalem ad suum objectum, quod repræsentat; ergo non potest manens eadem repræsentare modò unum, modò aliud objectum. & D. A. ad objectum, quod repræsentat per se, C. A. ad objectum, quod repræsentat per accidens tantùm, N. A. & sub eadem distinctione C. Hinc cognitio etiam secundo instanti repræsentat suum objectum per se, videlicet cursum Petri in tempore sibi coëxistenti, quæ repræsentatio cùm secundo instanti non existente cursu Petri sit falsa, propositio etiam ex vera fit falsa.

Obj. 2dò. Ut propositio hæc: *Petrus nunc currit*, sit vera, debet Petrus currere pro omni tempore importato per copulam; sed copula importat omne tempus præsens; ergo ut illa vera sit, debet Petrus currere pro omni tempore præsentis, ideòque semel vera nequit fieri falsa, quia aliàs deberet Petrus non currere pro aliquo tempore per copulam importato, quod est impossibile, si supponatur semel pro omni tempore importato per copulam currere. & D. M. Pro omni tempore importato per copulam tam in actu primo, quàm in actu secundo, N. M. Pro importato omni in actu secundo, C. M. & D. m. Copula importat omne tempus præsens possibile in actu primo, C. m. in actu secundo, N. m. In actu secundo enim solùm importat tempus præsens illud, cui coëxistit propositio, ideòque si in instanti *A.* existit, quia solùm instanti *A.* coëxistit, solùm hoc repræsentat in actu secundo, non quidem essentialiter repræsentat ipsum instans *A.* sed tantùm accidentaliter, quare non sequitur semel veram propositionem non posse transire in falsam.

Obj. 3tid. Idem actus voluntatis bonus, & honestus non potest transire in malum, & peccaminosum; ergo, neque idem actus intellectus de vero in fal-

falsum. R. imò. N. A. cujus falsitatem suppono ex Theologia. R. 2dò. tr. A. N. C. disparitas est, quòd actus voluntatis in esse boni, vel honesti constituitur per electionem objecti, dictante intellectu prudenter objectum hoc esse eligibile, adeòque cuilibet erit intrinseca adæquatè honestas, quod de veritate dici non potest.

S E C T I O III.

Utrum de futuris contingentibus detur determinata veritas?

Dico: Propositiones de futuris contingentibus, etiam liberis, sunt in se determinatè veræ, vel falsæ determinatè. Prob. imò. DEUS ab æterno cognovit, & plurimas etiam revelavit veritates futuras contingentes; sed veritates à DEO revelatæ, & cognitæ sunt determinatè veræ, go.

Prob. 2dò. Juxta Aristotelem: *Impossibile est rem nec esse, nec non esse, & simul juxta eundem ex eo, quòd res est, vel non est, propositio vera, vel falsa est.* Jam sic: Ex eo, quòd res est, vel non est, propositio vera vel falsa est; sed impossibile est, ut dum propositio enunciatur de re aliqua futura, res illa nec sit, nec non sit futura; ergo est impossibile propositionem de illa prolatam nec esse veram, nec falsam. Confirmatur: Propositio de præterito, v. g. de ortu solis hesternò prolata, est determinatè vera, vel falsa; ergo etiam propositio de re futura prolata. prob. C. Non minùs impossibile est, ut objectum cras v. g. determinatè nec sit, nec non sit, quàm ut heri determinatè nec fuerit, nec non fuerit; sed ideo

ideo propositio de præterito prolata est determinatè vera, vel determinatè falsa, quia objectum necessariò determinatè vel fuit, vel non fuit; ergo etiam quia objectum determinatè erit, vel non erit cras, propositio debet determinatè esse vera, vel falsa. *Confir. 2dò.* Ex duobus contradictorijs alterutrum est necessariò verum; sed hæ propositiones: *Petrus cras peccabit in instanti A. Petrus cras non peccabit in instanti A.* sunt contradictoria, go.

Obj. 1mò. Dum dico: *Petrus cras peccabit*, objectum hujus propositionis, videlicet tempus crastinum per copulam importatum, hodie non existit, go propositio illa hodie non est vera. R. 1mò. retorquendo argumentum per propositionem de præterito factam. 2dò. D. A. Tempus non existit physicè C. non existit Logicè, N. A. & C. Tempus importatum per copulam propositionis de futuro, ut illa vera sit, solùm eo modo existere debet, quo modo requiritur ad verificandam propositionem; sed requiritur solùm, ut cras existat physicè, non hodie, go. Instantia patet in propositione de præterito. Deinde non minùs voluntas Petri requiritur ad peccandum, quàm tempus, & tamen ad hoc, ut cras existat verè peccatum Petri, necessarium non est, ut hodie Petrus sit volens illud peccatum, go.

Dices: Hodie non darentur omnia constitutiva veritatis illius propositionis de futuro, go. adhuc non daretur determinata veritas. R. 1mò. quærendo an hodie dentur omnia constitutiva veritatis propositionis de præterito prolatae? R. 2dò. D. A. Hodie non darentur omnia constitutiva illius propositionis eo modo, quo necessarium est illa dari ad verificandam illam propositionem, N. A. & N. C. Sicut ergo propositio, quam ego effero hic Tyrnaviæ dicens:

Tura

Turca saltat Constantinopoli, saltante Turcâ est hîc vera: estò hîc non datur ejus saltus: ita illa erit vera de futuro hodie, estò hodie non existat physicè tempus futurum, vel peccatum. Sicut enim saltus Turcæ existit solum repræsentativè hîc: ita existunt repræsentativè, seu logicè hodie tempus, & peccatum, quod omninò cras futurum est.

Dices: Implicat propositionem nunc esse veram potius, quàm non veram, & nihil dari nunc, per quod potius sit vera, quàm non vera; sed nihil datur nunc, per quod potius sit vera, quàm non vera hæc propositio: *Petrus cras peccabit*; ergo implicat illam esse veram nunc. R. N. M. denominatio enim propositionis de futuro nunc veræ non habetur per id, quod nunc sit physicè, sed per id, quod res enunciata erit in tempore per copulam importato.

Obj. 2dò. Si hæc propositio: *Petrus cras peccabit*, est hodie vera determinatè, peccatum Petri cras non erit contingens. Suppositâ enim veritate hujus propositionis, Petrus cras necessariò peccabit, ergo. R. N. A. ad prob. D. A. necessariò peccabit necessitate consequenti, C. A. necessitate antecedenti, N. A. & C. Tunc fit aliquid necessariò necessitate antecedenti, quando ex parte actûs primi est tale aliquid constitutivum hujus actûs, quod est essentialiter connexum cum actu secundo, & simul est inimpedibile ab operante. Hîc tale quid non haberetur. Nequè enim veritas propositionis prædictæ, quæ hodie datur, est causa peccati Petri futuri, sed est solum repræsentatio objecti sui, prout hoc futurum est liberè. Siquidem non ideo peccabit Petrus cras, quia hodie propositio vera est: *Petrus cras peccabit*, sed ideo hodie propositio vera est, quia ille cras peccabit. Instantia est in speculo repræsentante homi-

nem sedentem, vel ambulantiem, ubi non ideo homo sedet, quia speculum illum repræsentat sedentem, sed ideo speculum repræsentat eundem sedentem, quia ille sedet. Item instantia est in actuali peccato à DEI scientia illud repræsentante. Doctrina hæc quantum ad contingentiam, libertatémque peccati futuri, de cujus futuritione hodie datur determinata veritas, sufficit pro Philosophis, ne nos in Theologorum materiam immittamus. Illud ad ultimum Notó, quòd ea, quæ hic dicta sunt de futuris contingentibus absolute futuris, etiam de futuris contingentibus conditionatè futuris tenenda sint.

S E C T I O IV.

De Ente scito.

Quid sit syllogismus, & quæ natura ejusdem constitutivorum?

Dico 1mò. Syllogismus bene definitur ab *Aristotele* lib. 1. priorum cap. 1. quòd sit: oratio, in qua quibusdam positis aliud quidpiam ex ijs, qua posita sunt, sequi necesse est, eò quòd hæc sint. Definitio probatur esse bona, quia convenit omni, & soli.

Dico 2dò. Syllogismus essentialiter, & intrinsicè constituitur tum per præmissas, tum per conclusionem. Ita *Dequiros*. Prob. 1mò. ex *Aristotelis* definitione allata, ubi per *ly* quibusdam positis designantur præmissæ, per *ly* aliud quid conclusio. Prob. 2dò. Syllogismus est discursus; omnis discursus est progressus ab una cognitione ad aliam; ergo includit intrinsicè tum, id, à quo progreditur, quod sunt

sunt præmissæ, tum id, ad quod progreditur, quod est conclusio. Consequentia patet à paritate transitus physici, intrinsicè, & constitutivè includentis tum terminum à quo, tum terminum ad quem. Deinde præcisè alterutro ablato horum non habetur syllogismus, ergo.

Dices *Aristotelem Lib. I. priorum cap. 25. docere, solas præmissas esse syllogismum. Et Lib. I. posteriorum cap. 2. Conclusionem vocat effectum syllogismi.* R. Aristotelem Imo loco dixisse præmissas esse syllogismum inadæquatum, tamquam id, quod est ratio formalis, quare conclusio sequatur. Ad adum dico conclusionem esse effectum syllogismi inadæquatè sumpti non verò sumpti syllogismi adæquate.

Quæres, utrum præmissæ causent conclusionem? R. Nec formales, nec objectivas præmissas esse causam physicam efficientem ipsius conclusionis formalis. Prob. imò. De præmissis objectivis videtur certum, causa enim physica nequit causare, nisi physicè existat, dum causat; præmissæ objectivæ verò causant conclusionem etiam dum non existunt physicè. Sæpe enim syllogismus fit de re præterita, vel futura, vel impossibili. De formalibus probatur etiam. Quia, ut suppono ex *Animastica*, actus unus intellectus non est physicè productivus alterius actus intellectus, sed solum suæ speciei, go.

R. 2dò. Præmissæ formales causant conclusionem illuminando intellectum, unde dicendæ sunt causalitas intentionalis ipsarum præmissarum objectivarum respectu conclusionis. Pars 1ma. prob. Intellectus per præmissas formales illuminatus continet omnes illas perfectiones, & formalitates, quæ sunt in ipsa conclusione formali; ergo causalitas præmissa-

rum formalium sufficienter explicatur per hoc, quòd causent conclusionem illuminando intellectum. A. patet, quia intellectus illuminatus à præmissis formalibus, continet certitudinem, evidentiam, vitalitatem &c. quæ sunt formalitates conclusionis formalis, go. Pars 2da probatur etiam: Cognitio, mediante quâ objectum aliquod movet intellectum ad actum suum, est causalitas intentionalis talis objecti; sed præmissæ objectivæ mediantibus præmissis formalibus movent intellectum ad eliciendam conclusionem, præstandumque conclusioni assensum, go.

Unde colligo præmissas objectivas causare conclusionem in genere causæ formalis extrinsecæ, quatenus nempe per præmissas formales illuminando intellectum, eundem determinant, & movent ad eliciendam conclusionem formalem, & eidem præstandum assensum. Ipsas verò præmissas formales esse causalitatem ut quo præmissarum objectivarum. Actio verò illa intellectûs, quâ producitur conclusio, est causa physica efficiens ut quo ipsius conclusionis.

Quæres 2da. Utrum actus conclusionis attingat objectum præmissarum? R. Actus conclusionis attingit objectum præmissarum intrinsecè saltem ut quo. Ita *Arriaga disp. 15. Log. cont. Alphonsum disp. 14. de anima.* Prob. Intellectus assentiendo conclusioni quâ tali, non assentitur, eidem ideo tantum, quia vera est, vel quia vera eidem apparet; hoc enim modo cuilibet etiam præmissæ assentitur, cum tamen assensus præmissarum non sit assensus conclusionis quâ talis; go assentitur conclusioni quâ tali, quia vera est propter aliud, hoc est, propter identitatem extremorum. ergo motivum formale assensûs præstiti ipsi conclusioni est identitas extremorum cum uno tertio; at qui motivum formale attingitur ab omni actu saltem ut quo, go.

Dices

Dices contra 1mò. Medius terminus non debet ingredi conclusionem, objectum autem præmissarum est medius terminus, go. R. D. M. Non debet ingredi ut quod, seu ut terminus, C. ut quo, seu ut objectum formale movens intellectum ad assensum conclusionis, N. M. & C. m. N. C.

Instabis: Experientia constat, quòd, dum assentimur conclusioni, non dicamus: *ideo concedo ista duo esse idem inter se, quia in præmissis ostensum est illa eadem esse uni tertio*, go. R. Non dicimus expressè, C. non dicimus implicite, N. A. Hæc enim reflexio semper exprimitur implicite per particulam *ergo*.

Dices 2dò. Sequeretur præmissas esse superfluas, quia haberetur per actum, quo conclusioni assentior, totum id, quod per præmissas, & conclusionem. R. N. seqv. ad prob. D. A. haberetur totum id eodem modo, N. Nisi enim intellectus priùs præmissis assensus fuisset, non posset conclusioni tam firmiter, & imperturbabiliter assentiri quàm tali.

Dices 3tiò. Ergo sequeretur, quòd intellectus semper bis assentiatur præmissis objectivis. R. Assentiretur bis, sed sub diversa ratione. 1mò. enim solùm assentiretur assensu directo, quatenus illæ habent in se, sumptæ ab invicem seorsim, veritatem. 2dò. assentiretur assensu reflexo, quatenus illæ sunt ratio, seu motivum formale, propter quod assentitur conclusioni.

Dices 4tiò. Commune est axioma Philosophorum, quòd ex præmissis falsis nonnunquam sequatur conclusio vera; hoc autem verificari nunquam posset stante conclusione, go. R. axioma illud esse verum, quòd sequatur nonnunquam conclusio vera, sumpta specificativè, non reduplicativè.

Quæres 2dò. Utrum posito assensu præmissarum

necessitetur intellectus ad assensum conclusionis? R.
 1^{mo}. contra Gonzalez cum communiore: Eundem necessitati ad speciem conclusionis. Prob. Nequit intellectus bene dispositus dissentiri principio lumine naturæ noto; hoc autem fieret, nisi necessitaretur ad speciem, go. m. prob. Si intellectus concessis præmissis negaret conclusionem, & aliam contrariam eliceret, v. g. in hoc syllogismo: *Omnis homo est animal, Petrus est homo, ergo non est animal*, tunc diceret intellectus: *Omnis homo est animal, & aliquis homo, nempe Petrus, non est animal*; hoc autem dicendo dissentiretur principio lumine naturæ noto, videlicet, *dictum de omni dicitur de parte qualibet contenta sub illo*. Item: *duo contradictoria nequeunt esse simul vera* &c.

R. 2^{do}. contra Gonzalez & Dequiros, & nonnullos RR. Intellectum posito assensu præmissarum necessitari etiam quoad exercitium. Prob. Causa necessaria positis omnibus ad agendum necessarijs non potest non agere, go & intellectus. subsumo: atqui posito assensu præmissarum, & penetratâ sufficienter connexionione duorum extremorum cum uno tertio, ponuntur omnia requisita ad præstandum assensum conclusioni, go. m. prob. Néque enim aliud præter sufficienter penetratam connexionem duorum cum uno tertio, & absentiam impedimenti, per quod intellectus per accidens impediretur ab operatione, plura requiri possunt, go.

Néque dicas cum Dequiros, requiri positivam voluntatis applicationem, seu determinationem. Contra enim est. Quando proponitur intellectui ex parte objecti evidens veritas, non requiritur positiva voluntatis applicatio, vel determinatio ad hoc, ut intellectus eam apprehendat; go nec requiritur positiva talis determinatio, seu applicatio voluntatis, ut
 in-

intellectus præstet assensum conclusioni, præstito assensu præmissarum, & sufficienter penetratâ connexionem extremorum cum uno tertio. prob. C. Intellectus non minùs est potentia necessaria in iudicando, seu discurrendo, quàm sit in apprehendendo; go si ad apprehensionem opus non habet illâ positivâ voluntatis determinatione, vel applicatione, nec habebit ad præstandum assensum conclusionis.

Dices contra 1^{mò}. Posito assensu præmissarum possum inferre conclusionem vel universalem, vel particularem; go quoad exercitium intellectus non necessitabitur ad ullam ex his illationem. R. C. A. D. C. Ergo intellectus non necessitabitur ad ullam ex illis determinatè, C. C. ad ullam indeterminatè, N. C. Hinc potest solùm intellectus determinari à voluntate, ut hanc, vel illam eliciat, non tamen determinatur determinatione ita requisitâ, ut si hæc non adesset, nullam eliceret. 2^{dò}. Cur Tyrones concessis præmissis negent frequenter consequentiam, ratio est, quòd non penetrent earum connexionem cum conclusione. 3^{tiò}. Apprehensio evidens necessitat intellectum ad iudicium, nisi hic per accidens impediatur. Eodem modo assensus unius contradictorij necessitat intellectum ad dissensum alterius, si eidem hæc secunda pars contradictorij occurrat, & penetret eam esse contradictoriè oppositam primæ parti, cui præbuit assensum. 4^{tò}. cur nullum bonum creatum necessitet voluntatem ad amorem, est ratio, quòd nullum creatum bonum sit purum bonum: è contra verò objectum simpliciter evidens, vel ex suppositione evidens, non apparet intellectui ullo modo falsum, adeoque necessitat hunc ad sui assensum. 5^{tò}. Si DEUS revelaret, & infunderet humano intellectui has propositiones: *Quidquid DEUS revelat, ita est: DEUS*

DEUS revelat in instanti *A.* non existere tres propositiones, penetratâ propositionum harum identitate cum tertio, intellectus naturaliter loquendo deberet, quantum est ex se, elicere assensum, & inferre: *gò* in hoc instanti non existunt tres propositiones; miraculose tamen impediretur ab hoc assensu, vel per distractionem ad alia objecta. *òtò.* Verum quidem est, quòd Intellectus in obscuris, ubi nulla adest evidentia etiam formæ, subsit Imperio voluntatis; secus tamen fit, ubi adest evidentia formæ, prout fit in syllogismo probabili. Hinc licet objectum in conclusione probabili illatum, nullam habeat secundum se evidentiam, ideoque sic nudè consideratum non possit Intellectum cogere ad assensum sui, cogere tamen potest ex vi præmissarum admissarum, ex quibus ipsum evidenter deducitur; quidquid enim evidenter cõnexum est cum vero, & ipsum verum esse, necesse est.

SECTIONO V.

*Utrum præmissæ sint certiores ipsâ
conclusionem?*

Dico. Præmissæ formales, quatenus constituunt unum antecedens adæquatum, inferens conclusionem, nec sunt, nec esse possunt certiores, vel evidentiores ipsâ conclusione quâ tali. Prob. *imò.* Aliàs ex præmissis certis sequeretur conclusio tantum probabilis, vel falsa, si videlicet præmissæ essent certæ, & evidentes tantum ut unum. Prob. *adò.* Præmissæ quatenus sunt antecedens adæquatum inferens conclusionem, indivisibiliter habent objectum cum conclusione eadem cognitione propositum, *gò.*
Dices

Dices 1^{mo}. Objectum præmissarum proponi cognitione perfectiori, quia immediatâ. Contra est: cognitio immediata nequit proponere objectum majori certitudine, quàm illud objectum habeat in se certitudinem, cum cognitio illi nequeat dare majorem certitudinem, go.

Dices 2^{do}. Propter quod unumquodque tale, & illud magis tale. R. ly magis tale, non significat idem, ac quòd plures gradus certitudinis, vel evidentiae habeat, sed solum, quòd sit prius cognitum certum.

Dices Præmissas esse viciniore lumini naturali, go certiores R. D. C. go certiores, id est, plures gradus habent certitudinis, N. C. id est, prius sunt cognitæ certæ, C. C.

Dices iterum: Præmissarum cognitio imitatur magis Divinam cognitionem, quàm cognitio conclusionis. R. D. A. imitatur magis in claritate, vel certitudine, seu alia perfectione intrinseca, N. A. imitatur magis solum ratione non deducti, C. A. & N. C.

Dices: Conclusio est deductio ignoti ex notioribus. R. Conclusionem materialiter sumptam, seu specificativè, esse deductionem ignoti ex notioribus, non verò conclusionem formaliter sumptam, & quâ talem.



S E C T I O VI.

*An in eodem intellectu circa idem ob-
jectum materiale possit componi simul
scientia, opinio, & fides?*

Dico : Repugnat tam plures actus circa idem ob-
jectum materiale, quàm unum indivisibilem, esse
simul & semel scientiam, fidem, & opinionem cum
formidine actuali. Ita *Maurus quest. 69. Log. Prob.*
Non potest intellectus assentiri manifestè falso, vel
duobus contradictorijs; sed assentiretur, si idem, vel
plures actus circa idem objectum materiale essent si-
mul scientiæ, & opinionis cum formidine actuali, go.
m. prob. Hoc admissio intellectus judicaret posse
duos effectus formales sibi invicem repugnantes non
repugnare; atqui hoc est manifestè assentiri falso,
vel duobus contradictorijs, go. M. prob. Intellectus
per actum scientificum diceret se esse positivè cer-
tum de sic se habentia objecti *A. v. g.* & per actum
opinativum cum formidine actuali diceret se esse po-
sitivè incertum de sic se habentia objecti; sed esse po-
sitivè certum, & positivè incertum respectu ejusdem
objecti sunt duo effectus formales sibi invicem repug-
nantes, & tamen intellectus diceret eos non repugna-
re, quia diceret posse eosdem simul & semel in eo-
dem intellectu componi, ergo.

Nèq; dicas salvari contradictionem, quia non dice-
ret ex eodem motivo. Contra enim est *imò.* Quòd affir-
matio, & negatio nunquam fiant ex eodem motivo, eodè
modo apprehenso, & tamen sunt contradictoria. Contra
est *add.* Nequit salvare diversitas causarum, *v. g.* ut eo-
dem

dem tempore in eodem subjecto v. g. producat ab igne calor ut septem, & ab aqua frigus ut septem, quia hi effectus sunt impossibiles naturaliter; go nec salvare potest diversitas motivorum, ut simul & semel intellectus sit positivè certus de sic se habentia objecti, & simul sit positivè incertus de eadem, quia hi effectus sunt impossibiles metaphysicè, go.

Dico 2^{da}. Non repugnat tamen eundem, vel plures actus circa idem objectum materiale esse simul scientiam, & opinionem cum formidine solùm radicali. Ita *Oviedo controv. 5. de anima p. 30.* Pr. Quia ex hoc non sequitur, quòd intellectus deberet assentiri manifestè falso, vel contradictorijs. Opinio enim cum sola formidine radicali non faceret intellectum positivè incertum, sed solùm non faceret positivè certum. Sicut ergo non implicat lac v. g. esse simul album, & dulce, estò albedo illud non faciat positivè dulce, quia tamen non facit simul positivè indolce, seu amarum: ita non repugnabit eundem actum esse simul scientiam, & opinionem cum formidine radicali.

Confirmatur: Potest voluntas eodem actu ob diversa motiva idem objectum amare; ergo etiam intellectus eidem objecto ex diversis motivis assentiri. Néque enim actus hic esset positivè certus, & positivè incertus, sed solùm esset positivè certus vi motivi scientifici, & non esset positivè certus vi motivi probabilis. Hoc autem tam parum repugnat, quàm parum repugnat animam videre per oculum, & non videre per aurem.

Obj. 1^{mo}. Scientia facit intellectum certum, opinio etiamsi sit solùm radicalis formido, non facit intellectum certum; hæc autem sunt contradictoria, go nequeunt simul stare in eodem intellectu. R. D. 2^{dam} partem M. Opinio non facit certum, id est,

ponit formam oppositam certitudini, N. M. non facit certum præcisivè, C. M. & sub eadem dist. C. & N. m. & N. C. aliàs nec albedo cum dulcedine posset esse simul in lacte, quia etiam dulcedo non facit album, ly non sumendo præcisivè.

Dices: Opinio in tali actu dicitur intellectui rem posse aliter se habere, vel fortè aliter se habet, go. R. N. A. dicit enim solum vi motivi sui non adesse certitudinem de sic se habentia objecti, ex eo, quòd motivum fallibile sit impotens dare positivam certitudinem. Et hæc impotentia in motivo probabili est radix formidinis, quatenus si non adesset motivum certum, vi illius solius motivi intellectus non haberet certitudinem de sic se habentia objecti, & consequenter propter defectum motivi certi posset formidare de sic se habentia objecti.

Obj. 2dò. Omnis opinio, qualiscunquè sit, formidat actu necessariò; go si est idem actus scientiæ, & opinionis, erit cum opinione actu formidante. A. prob. Intellectus dum assentitur eidem objecto ex motivo certo simul, & fallibili, vel cognoscit motivi fallibilis fallibilitatem, vel non? si ita, go motivum fallibile causabit actualem formidinem; causabit enim quantum potest: si non, go non influet ullo modo in actum, quia motiva non influunt in actum, nisi ut cognita. *Censur.* Actus ortus ex solo motivo probabili cognito ut tali, est actus cum formidine actuali; go etiam erit talis, ortus ex motivo simul scientifico, & fallibili, quia hoc in consortio alterius non amittit vim suam influendi in actum, go. R. N. A. ad prob. Dico, quòd cognoscat motivi fallibilis fallibilitatem, sed non semper cognitione certâ, & evidenti. Unde ad illud: Motiva non influunt in actum, nisi ut cognita, R. Sufficere cognitionem apparenter veram, ut

ut patet in Scholis, dum sententiæ oppositæ, probabili solum nixæ motivo, tamen ita defenduntur à suis Patronis, ut opposita omnino videatur falsa, & tamen si motivum suæ sententiæ, quod tantum est probabile, cognoscerent cognitione certâ, & evidenti, non ita firmiter adhærerent suæ sententiæ. Dixi non semper, Unde assero: etsi cognosceretur motivum probabile cognitione certâ, tamen adhuc non causaret hoc motivum actualem formidinem in consortio motivi scientifici, quia intellectus solummodo cognosceret se vi motivi talis non habere certitudinem positivam; non autem cognosceret se habere incertitudinem positivam. Ad Conf. D. A. Est actus cum formidine actuali ex vi motivi probabilis, N. A. est actus cum formidine actuali ex defectu motivi certi, C. A. & N. C. Sicut nutare infanti sub pondere v. g. centenarij non accidit ex viribus parvis, sed ex defectu majorum virium.

Dices: Si motivum probabile in consortio scientifici non generat actualem formidinem, non influet in actum. R. N. A. aliàs sequeretur, quod catenâ ligante hominem, filum non ligaret, quia filum ligare non potest, nisi inducendo instabilitatem. Et licet gratis transmittatur, quod lux parva non illuminet objectum in consortio magnæ lucis, non sequitur tamen, quod motivum probabile in consortio scientifici non influat; disparitas enim est, quod ibi corpus à majori luce supponatur omni eo modo illuminatum, quo illuminaretur à parva luce, & cum illæ luces supponantur esse ejusdem rationis, sic simile ageret in simile, vel minus intensum in majus intensum. è contra, ex motivo scientifici intellectus non adhæret objecto omni eo modo, quo adhærere potest, neque unus actus vitalis intendit alterum. go

Ad ultimum *Nota.* Actus opinionis tantum, actus fidei tantum, & Actus scientiæ tantum, sunt actus inter se specie distincti, & hi nunquam possunt coalescere in unum specie actum. Quia aliàs daretur transitus distinctorum in unam Identitatem, adeoque chymæra. Non tamen inde sequitur, quod non detur aliquis actus quartus specie distinctus ab illis tribus, qui simul sit scientia, opinio, & fides, quive virtualiter habeat id, quod illi tres: quemadmodum anima rationalis eminenter & æquivalenter est vegetativa, & sensitiva, quamvis anima vegetativa tantum, nunquam possit identificari sensitivæ tantum.





P A R S II.

PHYSICA.

DISPUTATIO PRIMA.

De Ente Principiante.

S E C T I O I.

Quæ, & quot sint Principia Corporis naturalis?

Dico primò. Intrinsicca Principia Corporis naturalis, quæ neque ex se, neque ex alijs, sed ex ipsis omnia fiunt, in facto esse sunt tantùm duo: Materia, & forma. Prob. Tot sunt Principia Intrinsicca corporis naturalis in facto esse, quot sunt partes, quæ essentialiter & permanenter constituunt corpus in certa sua specie; sed tales partes sunt tantùm duæ, materia videlicet & forma. quia præcisè positis his inter se unitis, habetur compositum physicum, seu corpus naturale in certa specie, & præcisè horum alterutro ablato non habetur. go.

Dico

Dico 2do. Corporis naturalis in fieri mutationis considerati, Principia Intrinsicca sunt tria: Materia, forma, & Privatio formæ uniendæ. Ratio est. Quia corporis naturalis, considerati in fieri mutationis, partes essentialiter constituentes sunt hæ tres. go. A. prob. Mutatio est transitus subjecti à non esse formæ ad esse formæ; go essentialiter involvit hæc tria; subjectum, seu materiam, quæ transit, non esse formæ, seu privationem à qua transit, & formam ad quam transit.

Contra *Imam Conclusionem* Dices *Imò*. Pars intrinsicè componens corpus naturale in factò esse, est etiam Unio; go non duo tantùm, sed tria erunt principia intrinsicca corporis naturalis in factò esse considerati. R. D. A. Pars ùt quod, componens intrinsicè corpus naturale in factò esse, est etiam Unio N. A. pars ùt quo, seu præcisè ùt ratio formalis, & exercitium componendi, seu principiandi, est etiam Unio C. A. & N. C. Quæ admodum enim actio, quæ est causalitas, seu exercitium causæ causantis, non constituit novam causam, ita nec ratio, seu exercitium principiandi, constituet novum principium. Cur autem Unio non possit dici Pars ùt quod componens Corpus, patebit ex *Diss. de Ente modali*. Deinde, quia illa solùm vocantur pars ùt quod alicujus totius, quæ componendo tale totum mutantur intrinsicè, acquirendo novam denominationem intrinsiccam, vel saltem semiintrinsiccam, quam priùs non habebant.

Pro reliquis *Nota imò*. Subsistentia potest dici principium corporis naturalis in factò esse, si hoc sumatur reduplicativè, ùt subsistens, seu ùt completum per omnia, quæ eidem adveniunt physice. Secus verò, si corpus naturale sumatur præcisè adum

adum essentiam suam physicam, aliàs verbum assumendo naturam humanam, non assumpisset totam essentiam physicam naturæ humanæ, quia non assumpsit hujus substantiam. *add.* Estò corpus naturale in factò esse nequeat existere sinè omni duratione, ubi-catione, aliisque dispositionibus; hæc tamen non possunt dici Principia Intrinseca corporis naturalis, *imò.* quia sunt accidentia, nullum autem accidens potest esse constitutivum substantiæ. *add.* Quia præcisè ab-latis his corpus naturale non aufertur formaliter, sed solum consequenter.

Contra *adam* Obj. *imò*: Privatio formæ, & forma sibi opponuntur contradictoriè, go non possunt esse constitutiva ejusdem Entis. *R. C. A. D. C.* ejusdem Entis permanentis, *C. C.* ejusdem entis successivi, & fluentis, subd. ita, ut utrumque eodem instanti principiet, *C.* Conseqv. Ut diversis instantibus principient, *N. C.* Ex hac distinctione habetur, ipsum fieri corporis naturalis non esse adæquatè positivum quid, adeoque etsi privatio sit purum nihil, seu non esse rei, potest tamen esse principium ejusdem. Cur autem ipsum fieri corporis, etiam concretivè sumptum cum corpore, non sit quid purè positivum, & ipsum corpus in factò esse sit tale, Ratio est. Quia corpus in fieri, & factò esse solum materialiter est idem, non autem formaliter, & reduplicativè sumptum: quemadmodum Petrus incipiens, & Petrus perseverans, formaliter & reduplicativè sumptus, non est idem. Porro cur rectè privatio formæ *a. v. g.* inducendæ principiet ipsum corpus in fieri, non autem aliarum privationes formarum *v. g. b. c. d.* omnino priori similium, Ratio est. Quia cum determinatum sit à DEO ut authore naturæ, in his circumstantijs hanc numero formam, & non

aliam omnino similem inducendam in materiam, de illa sola verum est dicere: Ita nunc non est in materia, ut immediate sit futura / non de alijs; ergo etiam de ejusdem solius privatione erit verum dicere: ita nunc est in materia, ut immediate post non sit futura. adeoque sola hæc principabit, non aliæ, quia hæc sola est terminus à quo.

Dices addò: Totus conceptus mutationis salvari potest, etsi privatio formæ non præexisterit in subjecto; ergo hæc non principiat corpus naturale in fieri mutationis acceptum. A. prob. Si forma sit materiæ intimè præsens, & penetrata cum hac, non tamen unita, tunc in materia non est privatio formæ, sed solius Unionis, & tamen si postea forma hæc uniatur materiæ, erit vera mutatio, ergo. adeoque ad summum privatio Unionis, non formæ, principiare deberet corpus naturale in fieri mutationis. R. D. A. etsi privatio formæ principiantis non præexisterit in subjecto, N. A. formæ simpliciter existentis, C. A. & sub eadem distinctione C. & N. C. Similiter distinguendum est antecedens probationis. Quare dum diximus, privationem esse principium, non intelleximus qualemcunque privationem formæ, sed formæ principiantis, quæ quia per Unionem principiat (unio enim est causalitas formæ) intelligit Conclusio privationem formæ unitæ.

Pro reliquis Nota, Privationem formæ Principiantis esse Principium non solius fieri sumpti præcisivè à corpore, nec solius corporis sumpti præcisivè à fieri, sed concretivè sumpti utriusque; corporis quidem in recto, ipsius fieri verò in obliquo.

Dices tamen: Explicari nequit, an Privatio principiet per suum esse, vel per non esse, & an quando ultimò est, vel quando imò non est, ergo. R. N. A. &

Dico

Dico 3^{tiò}: Privatio Principiat per suum esse, quando ultimò est. Ita Rhodes lib. 2. Phil. perip. qu. 1. sect. 3. Prob. 1^{ma} pars: Per illud principiat privatio, per quod essentialiter constituit corpus naturale in fieri mutationis; sed per suum esse sic constituit, go. m. prob. Quia per suum esse est terminus à quo. Item principiat transeunter, go per suum esse, quia hoc transit ad non esse. Deinde materia & forma principiant per suum esse, ergo & Privatio. Ratio 2^{dæ} Partis est: Quia tunc Principiat, quando est terminus à quo; sed quando ultimò est, est terminus à quo. Quia tunc est verum dicere: ita nunc est privatio formæ principiantis, ut immediatè pòst non sit futura. *Confir.* forma principiat corpus naturale in fieri, quando verum est dicere: Ita nunc est forma, ut immediatè antè non fuerit; go cùm Privatio sit principium contrarium formæ, principiat tunc, quando verum est de illa dicere: Ita nunc est, ut immediatè pòst non sit futura. *Confir.* 2^{dò}. Privatio est principium Intrinsicum; ergo quando principiat, debet suo modo existere; quando enim non existit intrinsicè, principiare non potest. Sicut nec forma potest principiare intrinsicè, quando non existit.

Dices tamen Contrà 1^{mò}. Quando Privatio est ultimò, tunc principiatum non est; ergo tunc non principiat, quia est impossibile principiare, quando principiatum non est, aliàs daretur actualis causatio finè causato. 2^{dò}. Privatio, quando 1^{mò} non est, denominat corpus naturale in fieri esse completè; ergo etiam potest principiare illud, quia potest dici esse tunc terminus à quo destructo. 3^{tiò} Privatio principiat tunc, quando est actio generativa formæ; ergo quando illa 1^{mò} non est, quia quando est actio gene-

rativa formæ, est forma; quando autem hæc est, privatio non est. Deinde, Privatio principiat delinenter; go tunc, quando est illius delinencia. sed quando hæc est, privatio non est, go. R. ad *imum*. D. A. Tunc principatum non est completè, & terminativè, C. Non est etiam inchoativè, N. A. & N. consequens. Cujus probationem distingvo eo modo, quo *imum* ans. Ad *2dum* C. A. N. C. Disp. est. Quòd ad dandam denominationem solùm requiratur, ut forma eo modo sit actu, quo modo denominat actu. Denominare enim est idem, ac præbere fundamentum ad determinatam aliquam affirmationem, vel negationem, quale fundamentum privatio præbere potest etiam tunc, dum non est, modò fuerit priùs, uti & aliæ formæ. Sic duratio, per quam Petrus duravit ante annos 60. præbet nunc fundamentum, ut hic denominetur senex. E contra verò principiare, prout hìc loquimur, significat rem intrinsecè constituere; nihil autem actu non existens est aptum constituere rem actu intrinsecè. Ad id, quod dicebatur: Quòd privatio posset dici tunc terminus à quo destructo, R. hoc dici non posse. Quia transitus mutationis, de quo nobis sermo est, non est à termino destructo ad non destructum, esset enim transitus ab esse formæ ad non esse formæ, quia non esse Privationis esset terminus à quo destructus. Non esse autem privationis est esse formæ. Ad *3tium* R. D. A. Privatio principiat tunc, quando est actio generativa formæ inchoativè, non verò quando hæc est completè. Pariter respondendum est ad *4tum*.



S E C T I O II.

Quid sentiendum de Sententia Chartesij?

Dico. Sententia Chartesij, docens Principia Corporis naturalis esse mera Corpuscula, etiam pro-
ut ab atomis distincta, & distinctionis, ac divisionis,
dimensionisque capacia, repugnat tum mysterijs Ca-
tholicæ Fidei, tum rationi naturali.

Ratio 1^{mæ} Partis est. 1^{mò}. Quia sententia
Chartesij tollit è rerum natura omnia accidentia realia
physica, ut sunt: *Calor, sapor, odor, &c.* hoc autem
repugnat mysterio Catholicæ Fidei. Hæc enim docet, in
Conversione Eucharistica destructâ totâ substantiâ pa-
nis manere species panis, & destructâ totâ substantiâ
vini manere species vini; hæc autem species sunt ac-
cidentia, ut patet ex *Concil. Colon. sub Paulo III. An-
no 1536. celebrato. Quid enim (inquit) panis vini-
que species aliud sunt post consecrationem, quam species
Sacramentales, & accidentia sinè subjecto.* Item D. Am-
brof. in Cap. *Omni de Consecr.* ait: *Post consecratio-
nem nihil remanet, nisi accidentia panis, & corpus Do-
mini.* Item à *Concil. Constantiensi sess. 8. damnatur
hæc propositio Wiccleffi: Accidentia panis, & vini non
manent sinè subjecto. ergo.*

Ratio hujus 2^{da} est: *Asserere, animam ratio-
nalem à Corpusculis Chartesianis distinctam non dari in
homine, vel illam non esse formam substantialem con-
stituentem physicè hominem, est contra Concil. Late-
ran. celebratum sub Leone X. & tamen ex Sententia
Chartesij alterutrum sequitur. go. m. prob. Si enim*

dicat Chartesius, animam rationalem esse distinctam à suis corpusculis, sic arguo contra: Corpus humanum, per hæc corpuscula constitutum, erit sine dubio substantia completa, non secus, ac aliud corpus naturale ex illis confurgens est completum v. g. lapis, planta. Sc. go anima rationalis ab illis corpusculis distincta, & superveniens corpori humano, non potest cum hoc facere unum per se; quidquid enim advenit enti substantialiter completo, non facit cum hoc unum per se, sed solum unum per accidens; go anima rationalis non erit forma substantialis, constituens physice hominem.

Ratio 2dæ Partis est imò. Lumini rationis repugnat asserere, animal, v. g. Leonem, substantialiter contineri sub una specie cum arbore, vel lapide, & non nisi accidentaliter ab hoc differre. Sententia Chartesij hoc asserit; quia docet, Leonem ab arbore non differre, nisi in diversa dispositione corpusculorum, quæ inter se solâ figurâ differunt. go. 2dò. Sententia Chartesij asserit, nihil in rerum natura fieri de novo, hoc & experientiæ, & rationi repugnat, ergo. monstratur: Experimur enim accenso pulvere pyrio de novo apparere flammam, quæ antea non apparebat, ergo fit de novo. Néque enim aliunde adferretur, quia deberet aliquo sensu percipi, dum de loco transferretur in locum. Nec dici potest, quòd lateat in massa pulveris occultata, tamquam sub tegumento. Quia cum causa necessaria debite applicata subjecto apto agat necessario, flamma illa, utpote causa necessaria, nè uno certè instanti latebit in subjecto ignis capacissimo, quin hoc ignefaciat. ergo.

Dices pro Chartesio: In Sententia illius facilius ad captum explicari mirabilia naturæ, & hypothesin ejus-


ejusdem aliunde implicantiã non involvere, go admittendam esse. *¶* Facilius quidem in Sententia Chartesij explicari ad captum, id est iudicium præcisè experiëntijs sensuum faciliè fallibilibus inniti solitum, non verò ad captum, id est iudicium, quod rationibus super sensus elevatis dirigitur. Hypothesin verò ajo fati implicatoriam, quia à fide Catholica absonam.

Dices 2dò. Nullam in rerum natura dari mutationem substantialem, quia aliàs fieret aliquid de novo, adeoque ex nihilo, cùm tamen communis omnino sensus sit, ex nihilo nihil fieri, & in nihilum nihil reverti. go Sententia Chartesij stat, *¶* N. A. ad ejus probat. C. A. D. Conseqv. adeoque ex nihilo sui C. Consequentiam; ex nihilo sui, & subjecti, Subd. fieret sic aliquid de novo ab agentibus naturalibus viâ generationis, N. C. ab agente supernaturali, & viâ creationis, C. C. & similiter *¶* ad Axioma: Ex nihilo tam sui quàm subjecti nihil fit ab agentibus naturalibus, & viâ generationis, C. ab agente supernaturali viâ creationis, N. axioma. Atque adeo ab agentibus naturalibus potest aliquid de novo fieri viâ generationis ex nihilo sui, non tamen subjecti, & etiam abire in nihilum sui viâ corruptionis, non tamen in nihilum sui, & subjecti, seu viâ annihilationis.

Dices 3tò: Totius mundi longè mirabilior est structura, quàm cujuscúnque corporis in particulari, & tamen sapientia DEI illius partes connectit ita temperatè, ut omnia constituent unum universum corpus, absquè omni forma substantiali, vel anima distincta, quæ hanc molem universi informet, vel animet; go nec admittenda est ulla forma substantialis à corpusculis distincta in particulari aliquo corpore, quæ illud

informet, ejusque partes contineat unitas, & defendat à contrarijs: siquidem sicut ad effectus hos præstandos in mole universi sufficit omnipotentia, & sapientia DEI, ita sufficiet & in quovis particulari ente. *R.* Hic viridi sub gramine venenosum occultari serpentem, & sub specie religionis in extollenda Sapientia DEI turpem Atheismum. Si enim stet argumentum hoc Chartesij, unde probabitur admittendam animam rationalem in homine? vel cur huic adscribendæ forent operationes bonæ, aut malæ? adeoque cur huic præparatum Cælum, vel Infernus? Quare in forma *R.* Tr. A. N. C. Disp. est, quòd tota moles universi non sit unum ens per se, sed solum per accidens, & unum unitate solius aggregationis, & ordinis, in ordine ad finem à D E O intentum per creationem mundi. Singula autem corpora particularia sunt unum ens per se unitate compositionis, & multa talia, à quibus actiones procedunt vitales; ergo his debetur principium vitæ, quod est anima; non illi.

Dices: Corpuscula Chartesij sunt inter se heterogenea; ergo Leo, & arbor ex ijs constantes different specie. *R.* Tr. A. N. C. Quia hanc heterogeneitatem non possunt refundere in corpora naturalia ex illis composita, siquidem eadem, quæ existebant in ligno, existerent in igne cum sola diversa sui combinatione. aliàs non salvaretur, cur ex ligno, non lapide fieret ignis. ergo sola diversa dispositio argueret ignem, non verò illa corpuscula.



SECTIO

S E C T I O III.

De Principio Materiali.

QUÆR. 1mò. Utrum materia *ima* sit pura Potentia, excludens omnem actum? Dico 1mò. Materia *ima* In genere actûs respectivi est pura potentia. Ita Arriaga. Disp. 2. Phys. Prob. Si materia *ima* in genere actûs respectivi non esset pura potentia, seu quod idem est, si non excluderet in entitate sua compositionem physicam ex actu & potentia, illa non esset subjectum *imūm* cujuslibet corporis; hoc ipso enim, quod involveret in se actum physicum, esset composita ex actu seu forma, & potentia seu subjecto, adeoque involveret in se aliud subjectum, de quo eadem redibit quæstio. Est autem contra conceptum materiæ *imæ*, involvere in se aliud subjectum prius se. Definitor enim esse: *Subjectum primum uniuscujusque rei, ex quo fit aliquid, cum insit &c.*

Dico 2dò. Materia *ima* In genere actûs entitativi, non est pura potentia. Ratio Quia habet entitatem actualem distinctam ab entitate formæ; dum enim componit totum, non est Ens merè possibile, ergo actuale. deinde est separabilis ab actualitate formæ, ut patet, dum formas successivè recipit in se, & habet actualitatem distinctam ab actualitate formæ. quod nisi admittatur, sequeretur, non fore eandem numero materiam sub forma cadaveris, quæ fuit sub forma hominis.

Dices contra 1mò. Omne esse actuale debet esse in certa specie Entis; materia *ima* absque forma in nulla certa specie est; ergo absque forma non habet

actualitatem. 2dò. Quod est actuabile, in eo genere, in quo est actuabile, non debet habere ullum actum, sicut figurabile in eo genere, in quo est figurabile, nullam habet figuram; sed materia *ima* in genere substantiæ est actuabilis; go in genere substantiæ non potest absque forma habere actum; adeoque si haberet actum, hic foret accidens. 3tò. Ex duobus entibus in actu non potest fieri unum per se; go si materia habet actum proprium, seu existentiam, non potest cum forma, quæ etiam est actus, facere unum per se. 4tò. Si materia *ima* habet existentiam distinctam ab existentia formæ, compositum substantiale habebit duas existentias; hoc est impossibile, quia alterutra respectu alterius deberet se habere ut potentia, aliàs nequiret ex illis fieri unum per se, & tamen est impossibile, ut existentia una respectu alterius habeat se ut potentia, quia existentia est ultima actualitas substantialis rei. non foret autem, si esset respectu alterius ultima potentia, go. 5tò. Existentia formæ, unita materiæ, denominat hanc existentem; go materia prius non habebat existentiam. Quod enim est per se tale, nequit fieri tale per aliud. R. ad *imum* D. M. Debet esse in certa specie metaphysica, C. M. in certa specie physica, subd. vel completa, vel incompleta, C. M. semper completa, N. M. & D. m. Materia prima absque forma in nulla certa specie esset metaphysica, N. m. in physica, subd. In nulla physica completa, C. m. in incompleta, N. m. & C. Quod materia ante formam sit in certa specie metaphysica, certum est. Est enim complexum metaphysicum ex genere, & differentia. Quod etiam sit in certa specie physica incompleta, patet, quia inter substantias incompletas materia est in alia specie, quàm forma. Ad 2dum. C. M. D. m. Ma-

Materia prima est actuabilis in genere physico substantiæ completæ, C. m. In genere physico substantiæ incompletæ, N. m. & sub eadem distinctione C. *Ad 3^{ium}* D. A. Ex duobus Entibus in actu physico completo substantialiter nequit fieri unum per se, C. A. Ex duobus Entibus in actu physico incompleto substantialiter, N. A. & sub eadem distinctione C. *Ad 4^{um}*. C. M. N. m. ad ejus prob. D. assumptum : alterutra haberet rationem potentiaë in linea potentiaë metaphysicæ, N. in linea potentiaë physicæ, C. assumptum, & D. hujus probat : Est impossibile, ut Existentia una respectu alterius habeat rationem potentiaë in ea linea, in qua est ultima actualitas, C. in alia linea, in qua non est ultima actualitas, N. Est autem existentia materiaë ultima actualitas solum in linea metaphysica, non autem in linea physica, quia non actuat materiam in genere physico Entis completi substantialiter. Cur autem potius existentia formæ actuat materiam in linea physica Entis substantialiter completi, non autem existentia materiaë propria, est ratio ipsa quiditas formæ, & materiaë. Hæc enim ex essentia sua est determinabilis, adeoque indifferens ad quamlibet speciem Entis physici; illa verò determinativa. *Ad 5^{um}*, D. A. Denominat hanc existentem simpliciter, N. existentem in determinata, & completa specie Entis physici, C. A. & N. C.

Quæritur *add.* An materia appetat formas semel corruptas? R. Affirmativè. Ratio est, quia materia appetit omnem illam formam, quæ secundum se est possibilis, & potens eam substantialiter complere; sed formæ corruptæ secundum se consideratæ sunt tales, præscindendo à decreto *DEI* extrinseco, earum non reproductionem decernente; neque enim post corruptionem, naturam, & essentiam suam immutant. adeoque æquè post corruptionem dicunt non repug-

nantiam ad existendum, & capacitatem terminandi actionem sui productivam, ac dicebant ante corruptionem, adeoque etiam post corruptionem sui continentur in virtute productiva causarum secundarum, ergo. *Confir.* Materia dicit appetitum ad formas possibles, quæ nunquam producentur, quia videlicet illæ secundum se sunt possibles, & possunt substantialiter complere materiam, etsi nunquam eam complebunt, impeditæ per accidens ab extrinseco à productione sui; ergo idem sentiendum est de formis semel corruptis.

Dices contra *imò.* Formæ semel corruptæ sunt irreproducibiles, ergo à materia non appetuntur. *A. Prob.* Si enim semel possent secundum se naturaliter reproduci secluso Decreto *DEI* de earum non reproductione, possent etiam naturaliter reproduci uniones inter corpora, & animas hominum; atqui hoc dici nequit, aliàs resurrectio mortuorum posset fieri naturaliter. *R. N. A.* ad prob. *C. M. N. m.* ad hujus prob *D.* assum. Resurrectio mortuorum posset fieri naturaliter quoad substantiam, *C.* assum. quoad modum. *N.* assum. Resurrectio ergo mortuorum quoad substantiam omninò est naturalis, quia tota essentia hominis resurgentis est naturalis. Supernaturalis tamen est quoad modum, quatenus in circumstantijs his, sine dispositionibus prævijs, & in momento, nec materia, nec ullum agens creatum exigit productionem unionis corruptæ. Nec hoc mirabile quidpiam est. *Quæro* enim ex Adversario, an naturaliter non possit inter corpus v. g. Petri mortui, & animam ejus primò produci aliqua unio? Si non, ergo non fuit ulla alia numero unio possibilis, quæ univisset hoc corpus animæ, quod est ridiculum. Si ita, quid dicet Adversarius, resurgerétne tunc Petrus naturaliter, vel non?

Dices *2dò.* Quod nunquam fit in rerum natura,
cen-

conferetur naturaliter fieri non posse; nulla forma corrupta hactenus in rerum natura est reproducta, ergo. 3^{tiò}. Res nulla potest naturaliter moveri motu discreto, ergo nec durare tempore discreto. R. ad 2^{dum} imò: Unde scit Adversarius, nullam formam corruptam hactenus esse reproductam? R. 2^{dò}: Quod nunquam fit ob exigentiam naturæ, non potest fieri naturaliter transeat. quod non fit solum per accidens, ob Decretum DEI extrinsecum, fieri naturaliter non potest, quantum est de se, N. M. & sub eadem distinctione reliqua. Ad 3^{tium}. D. A. Si supponatur res durare omnibus illis instantibus, quibus durat motus, C. A. Si non supponatur durare in instanti v. g. medio, N. A. & C.

Dices ultimò: Formæ corruptæ respectu materiæ sunt bonum inadipiscibile, ergo eas appetere non potest; aliàs DEUS argueretur imprudentiæ, si indidisset materiæ appetitum ad id, quod scivit ab ea esse inadipiscibile. R. D. A. sunt bonum inadipiscibile quantum est de se, N. A. per accidens propter extrinsecum decretum DEI, C. A. & D, C. ergo eas appetere non potest appetitu absoluto, C. C. conditionato, N. C. Ad hujus prob. R. imò. quærendo ex Adversario, an imprudenter DEUS egerit, dum indidit appetitum materiæ ad formas nunquam producendas? Sicut ergo hîc respondebitur: Ideo DEUM non egisse imprudenter, indendo appetitum materiæ ad formas, quas prævidit nunquam producendas, quia hæc scientia non erat in DEO prævia, & dirigens DEUM ad indendum appetitum, sed erat in signo solum posteriori, non dirigens DEUM adtribuendum illum appetitum: ita respondeo & ego, DEUM non egisse imprudenter, tribuendo materiæ appetitum ad formas corruptas, quas decrevit pro signo posteriori

non reproducendas, quia hæc scientia resultans ex hoc decreto est in signo posteriori, non regulans illum ad tribuendum illum appetitum.

Quæritur 3^{to}. An materia appetat formas Nobiliores, præ Ignobilioribus? R. Negativè. Ratio est 1^{mo}. Quia tota ratio appetendi formas substantiales est, ut materia cum illis faciat unum Ens per se, seu substantialiter completum. Si namque materia esset substantialiter completa independentè à formis, hæc non appeteret; atqui quælibet forma substantialis, seu illa sit nobilior, seu minùs nobilis, est apta cum materia facere unum per se, & eam quælibet æquè substantialiter complere. Substantia enim in ratione entis per se, seu completi substantialiter, non suscipit magis, & minùs. 2^{do}. Absolum est dicere, materiam sub quacunque forma nobiliori & nobiliori sibi communicata futuram in statu violento; si verò appeteret nobiliores præ minùs nobilibus, hoc fieret, quia per nullam formam, quantumcunque nobilem, appetitui ejusdem satisfaceret, cum semper foret alia & alia nobilior possibilis, quam appeteret magis. ergo cum omne illud in statu violento esse dicatur, cujus naturali exigentiæ plenè non satis fit, materia semper foret in statu violento.

Scio nonnullos comminisci in materia duplicem appetitum: Efficacem unum, alterum inefficacem, hocque solùm posteriori appetere formas nobiliores; 1^{mo} verò, seu efficaci, satisfieri plenè per quamcunque formam substantialem, ideòque non futuram in statu violento materiam, dum completa esset per quamcunque formam substantialem. Inefficax enim appetitus materiæ foret illi ad bonum, in aliquibus circumstantijs quidem connaturale, negabile tamen si-
nè omni miraculo pro omnibus circumstantijs. Con-
tra

tra tamen est *imò*. Duplicem hunc appetitum in materia esse confictum absque fundamento. Contra est *addò*. Hoc ipso, quòd materia hoc appetitu appeteret magis bonum aliquod sibi naturaliter conferibile, si nunquam appetitui huic satisfiat, patitur violentiam, quia carebit semper bono sibi naturaliter conferibili, quod magis appetit, quàm aliud quodcumque sibi collatum.

Néque dicas: materiam tunc bono universi consulere magis, quàm suo proprio, adeoque non pati violentiam. Contra enim est: Etsi aqua ascendens sursum ad impediendum vacuum, bono universi consulat magis, quàm privato, est tamen tunc in statu violento, quia exigentiæ suæ particulari non satisfit; go ob paritatem rationis idem de materia dicendum.

Dices contrà *imò*. Ideo materia formas substantiales magis appetit, quàm accidentales, quia illæ sunt majus bonum; sed etiam forma perfectior est majus bonum, go. *κ*. D. M. quia illæ sunt majus bonum in se entitativè; N. M. quia sunt majus bonum ipsi materiæ formaliter, C.M. & similiter D.m. N.C. Formæ substantiales ipsi materiæ non sunt aliter bonum, quàm quatenus hanc complent substantialiter, & faciunt cum illa unum ens per se, determinando illam ad speciem completam Entis physici; hoc autem quæcunque forma substantialis æqualiter præstat, cum Ens per se in ratione substantialiter completi non suscipiat magis, & minùs. Hinc habetur, quòd excessus bonitatis entitativæ in forma perfectiori repertus, respectu materiæ non sit bonum formaliter tale, sed solum materialiter, quatenùs identificatur formalitati complenti substantialiter materiam; formaliter enim bonum respectu materiæ solum illa ratio est in formis, quæ commensuratur indigentia, & necessitati

ma-

materiæ, illamque complet. Cùm ergo indigentia in materia sit præcisè, ut compleatur substantialiter, sola ratio *substantiæ determinativæ* materiæ ad speciem Entis physicè completi, erit formaliter bonum respectu materiæ; reliquæ verò perfectiones, & formalitates habebunt se solùm materialiter respectu illius. Nec obstat, ipsum illum excessum esse aliquod bonum, adeoque appetibilem, & enim, illum appeti à tota natura, exigente diversitatem perfectionis in formis substantialibus. Sub ratione verò substantiæ appeti quidem illum etiam à materia, sed non magis, quàm aliam quamcunque substantiam determinativam, & completivam sui.

Pro reliquis *Nota 1mò*. Appetitum innatum explicari quidem per quandam analogiam ad appetitum elicatum; sed dico, quòd nec appetitu elicito appetatur aliquod bonum, nisi hoc se habeat formaliter in ordine ad complendam exigentiam sui, & necessitatem. Ideoque assero, si famelicus appetat cibum præcisè ex motivo satiandi famem, non magis appetet cibum deliciariorum præ grosso, si in utroque hoc sit æqualis aptitudo pellendi famem: quemadmodum qui præcisè vult repletum aliquo liquore vitrum, non curabit magis, ut liquor ille sit vinum, quàm aqua. *2dò*. Per perfectibilitatem materiæ primæ si intelligatur sola capacitas recipiendi formam, negandum est, appetitum materiæ adæquatè situm esse in perfectibilitate; appetitus enim est simul exigentia compleri in genere Entis physici substantialiter. Unde non quæcunque perfectibilitas materiæ est ejusdem appetitus, sed solùm illa, quæ est exigentia compleri substantialiter.

Quæritur *4tò*. Utrum materia prima possit spoliari omni formâ substantiali?

Dico

Dico *imò*. Agentia naturalia nequeunt spoliare materiam omni formâ substantiali. *Prob.* Corruptio unius naturaliter semper est generatio alterius, ergo. *2dò*. Agentia naturalia non corrumpunt aliter formam in materia præexistentem, nisi inducendo in materiam qualitates contrarias, disponentes, & exigentes aliam formam; ergo ad exigentiam horum positivam, naturaliter semper DEUS ut author naturæ concurret ad producendam novam formam. Deinde materia magis exigit formam substantialem, quàm ignis calorem, siquidem forma substantialis est majus bonum materiæ, quàm calor igni; ergo si ignis absque miraculo non potest spoliari omni calore, minùs poterit materia omni formâ substantiali.

Pro Objectionibus Nota imò. Materia cum formis substantialibus non est quidem connexa connexione à priori, est tamen connexa connexione à posteriori: quemadmodum sol cum luce, ignis cum calore. *2dò*. Materia prima cum sit causa respectu formarum, supponitur existere, quidquid est necessarium ad existentiam illius, antequam intelligatur existere *effectus*, seu forma substantialis, quidquid, inquam, est necessarium pro signo priori causæ causantis, C. quidquid est necessarium etiam pro signo posteriori, & pro posteriori naturæ, N. *3tò*. Anima rationalis et si sit substantia incompleta, potest tamen naturaliter existere sine omni materia, quia sic existens est operativa operationum perfectiùs multò, quàm unita materiæ. Materia verò existens sine omni forma nullarum operationum esset operativa, ad quas exercendas naturam habet inditam ab Authore, & exigentiam positivam. *4tò*. In momento, dum occiditur homo, sufficiens dispositio pro forma cadaveris est sola decollatio v. g. vel transfixio hominis.

Dico. 2dò. Potest divinitus, & per miraculum materia prima spoliari omni formâ substantiali. Prob. Materia prima habet existentiam distinctam ab existentia formæ; ergo in existendo non est ita connexa cum forma, quin saltem supernaturaliter possit separari ab omni forma. Deinde formæ substantiales materiales, & accidentales absolutæ magis dependent à materia, siquidem ab hac dependent à priori, tamquam à causa, quàm dependeat materia à formis, & tamen illæ possunt supernaturaliter separari ab omni materia, & existere, ergo & illa ab his.

Nequè dicas imò. Materiam spoliatam omni formâ non fore in ulla specie Entis. 2dò. Materiam esse essentialiter partem compositi, ergo non posse existere sinè omni forma substantiali. 3tio. Materiam spoliatam omni formâ non habituram finem existendi. 4to. Materiam minùs exigere formas accidentales, quàm substantiales, & tamen illis omnibus non potest spoliari, ergo nec his. 5to. Actionem conservativam materiæ spoliatæ omni formâ substantiali nec dici posse supernaturalem, nec naturalem, ergo. R. enim *Ad 1mum*. D. *Afs.* non fore in ulla specie Entis physici, completi substantialiter, C. incompleti, N. *Ad 2dum* D. A. Materia est essentialiter pars compositi aptitudinaliter, & in actu 1mo, C. A. semper in actu 2do, & formaliter, N. A. & C. *Ad 3tium* N. A. Estò enim non haberet finem suum ordinarium, qui est facere compositum in actu 2do, haberet tamen adhuc finem simpliciter; posset enim impedire vacuum, possent ex illa educi formæ &c. *Ad 4tum* D. A. minùs exigit formas accidentales absolutas, C. respectivas, quales sunt duratio, ubicatio, N. A. Materia enim sinè omni ubi, vel duratione existeret, & non existeret, quia esset præsens, & non esset imensitatis, &c.

& æternitati Divinæ. De existente autem materia sine omni forma substantiali non verificatur, quod simpliciter existeret, & non exilleret; ergo potest his omnibus spoliari, non illis. *Ad s̄tum N. assum. &*

Dico: Actionem Conservativam materiæ spoliatæ omni formâ substantiali fore naturalem tam quoad substantiam, quàm quoad modum. Prout tamen eadem actio simul esset conjuncta cum Decreto DEI impeditivo in actu 2do, ne aliqua forma substantialis inducatur in materiam, esset supernaturalis. Primam partem defendit *Dequiros disp. 42. Rhodes l. 2. disp. 1. 2dam Comptonus hic Distut. 10. sect. 3. Prob. Prima Pars.* Actio conservativa materiæ etiam in his circumstantijs esset eadem cum materia, siquidem materia est terminus naturâ suâ creabilis; ergo quemadmodum non est creata per actionem à se distinctam, ita nec conservatur. go sicut conservatio materiæ existentis cum forma erat naturalis quoad substantiam, ita & spoliatæ; utrobique enim est eadem substantia materiæ. *Confir.* Anima rationalis, etiam separata à materia, conservatur naturaliter, quia in his circumstantijs nihil deficit, à quo anima dependet tamquam à causa; ergo ob identitatem rationis idem est dicendum de materia prima. Quod verò actio illa conservativa esset naturalis quoad modum, Prob. illud enim dicitur supernaturale quoad modum, quod in talibus certis circumstantijs nec produci potest à natura, nec etiam exigitur; existentia autem materiæ etiam in circumstantijs spoliationis exigitur ab ipsa materia, siquidem quælibet entitas exigit potius sui esse, etiam cum perpeffione statûs violenti, quàm simpliciter non esse, ut patet de calore in aqua, de aqua in loco violento posita &c. ergo. Quod tandem eadem actio, quatenus est conjuncta cum decreto DEI impeditivo

ditivo in actu 2do, ne ulla forma substantialis inducatur in materiam, sit supernaturalis; Ratio est: Quia hæc conjunctio cum tali Decreto DEI impeditivo est contra exigentiam materiæ, & nulli alteri enti in natura est etiam debita, seu à nullo exigita. ergo.

Dices contra 1mo. Actio conservativa materiæ in circumstantijs spoliationis præsupponit miraculum; ergo erit saltem quoad modum supernaturalis. 2do. Actio Conservativa materiæ ante spoliationem non erat conjuncta cum Decreto DEI impeditivo formæ, jam verò est; ergo non est eadem, & per consequens hæc etiam ut conservativa erit quoad modum supernaturalis. 3to. Ignis à calore dependet etiã tamquam à posteriori, & tamen si spoliatus omni calore conservetur, actio illius conservativa erit supernaturalis, ergo & materiæ. 4to. Formæ materiales, vel accidentia sine materia conservantur miraculose, ergo & hæc sine illis. 5to. Ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis valet argumentum; ergo cum hæc sit naturaliter loquendo bona: *Datur materia, ergo datur in illa aliqua forma, erit ab opposito etiam hæc: Nulla datur forma in materia; ergo non datur materia, saltem connaturaliter.* 12. Ad 1mum D. A. præsupponit miraculum per se, N. A. per accidens, C. A. & N. C. Estò enim per accidens præsupponat miraculum factum, quia tamen adhuc est debita materiæ etiam in his circumstantijs, nec quoad modum erit supernaturalis. *Ad 2dum D. M.* non erat conjuncta, nec jungibilis, N. M. non conjuncta, jungibilis tamen, C. M. & C. m. N. C. aliàs nec actio sustentativa manûs in aëre esset eadem, dum advolans musca infidet manui, quæ fuit priùs, quia priùs non erat sustentativa manûs muscam sustententis. *Ad 3tium D.* imam partem A. à calore illo, qui se habet ut dispositio ad for-

mam N. A. à calore illo, quem ut proprietatem emanat ipsa forma ignis, C. A. sed nego, quod sine hoc 2do naturaliter non existat. Cur autem sine 1mo calore naturaliter non existeret, ratio est, quia deesset aliquid ex causis ejusdem conservativis saltem dispositivè, adeoque in circumstantijs spoliationis actio ejusdem conservativa non esset eadem, quæ fuit extra has circumstantias; hoc autem de materia non verificatur. Neque reponas, ignem etiam in circumstantijs spoliationis exigere potius sui esse, quàm non esse; ergo actio illius conservativa esset illi debita, adeoque naturalis; vel si hæc non est naturalis, nec actio conservativa materiæ, etsi exigita à materia, erit naturalis saltem quoad modum. R. enim ignem spoliatum omni omnino calore, non exigere sui existentiam; sicut enim ignis non exigit sui primam productionem independentem à calore, qui se habet ut dispositio, ita nec exigere potest conservationem independentem ab hoc. Res enim naturaliter loquendo exigunt per eadem principia conservari, per quæ producta sunt. *Ad 5tum* Eadem est responsio. Formæ enim, & accidentia, dependent à materia, dependentiâ à priori, tamquam à causa. Nulla autem entitas naturâ suâ dependens à subjecto habet jus, & exigentiam actionis conservantis se, deficiente subjecto, sicut nec habet jus, vel exigentiam actionis in se producentis. *Ad 5tum* R. ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis argumentum vi formæ tunc solum valet, quando antecedens est metaphysicè, & essentialiter connexum cum consequenti. Si verò antecedens cum consequenti sit solum physicè connexum, tunc arguitur solum, vel non dari antecedens, vel esse in statu violento, quod in præsentibus etiam verificatur. Ideoque materia in his circumstantijs

tijis existeret naturaliter, prout ly naturaliter opponitur supernaturali, non verò prout opponitur violento.

SECTIO IV.

De Principio formali.

QUæritur imò. An forma substantialis sit tota quidditas compositi? *R.* negativè. Ratio est, quia compositum physicum est ens substantialiter completum; sola forma non est ens substantialiter completum, aliàs cum materia non posset facere unum per se, ergo.

Dices contra imò. Sola forma est distinctivum unius compositi ab alio; ergo cum constitutum sit idem, quod distinctivum, sola forma erit constitutum, seu quidditas compositi. *2dò.* Operationum in aliquo composito reperibilium radix adæquata est sola forma; ergo sola est quidditas totius compositi. *3tid.* Si materia esset pars essentialis compositi, determinati alicujus hominis determinata numero materia esset pars essentialis; stante autem hâc veritate, sequitur hominem senem non esse eundem, qui fuit juvenis, quia non habet eandem determinatam materiam, quam habuit juvenis; per nutritionem enim acquisivit novam, & ex præexistenti multam partem deperdidit. Deinde apud Andropophagos eadem materia deberet esse in pluribus hominibus, cum alimentum transeat in substantiam aliti: quomodo autem plures homines eandem materiam possunt habere tamquam partem essentialiter constitutam hominis? *R.* Ad imum. N. A. Distinctivum enim numericum unius compositi ab alia
tam


tam bene est materia, quàm forma. Forma igitur compositi unius ab altero est solummodò distinctivum specificum se solâ. Et in hoc sensu C. A. N. C. Non enim solùm distinctivum specificum est constitutum compositi. *Ad 2dum* D. A. radix adæquata activa est sola forma, transeat A. simul passiva, N. A. & C. *Ad 3tium* N. Cum *Dequiros hic Diss.* 47. sect. 2. D. M. determinata materia primigenia, constituens minimum naturale, in quam videlicet in generatione hominis acceptam primò infunditur anima rationalis, esset pars essentialis determinati hominis, C. M. materia determinata non primigenia, nec constituens minimum naturale hominis &c. N. M. Hâc autem stante veritate bene sequitur, hominem senem esse eundem, qui fuit juvenis, quia materiam suam primigeniam, quæ sola est pars essentialis compositi humani, nunquam perdit, id quod colligimus ex accidentibus, simetria corporis, cicatricibus &c. quæ ab infantia servat senex. Cùm verò accidentia naturaliter subjectum mutare non possiat, inferimus bene, in senem esse eandem materiam, quæ fuit in juvene. Salvatur præterea, quomodo eadem numero materia non sit pars essentialis duorum hominum: Quia videlicet materia comesta non fit pars essentialis, sed solùm integralis comedentis. Deniquè explicatur hoc modo facile Scripturæ Textus: Quomodo recipiet unusquisque in corpore suo, prout gessit sive bonum, sive malum, videlicet in corpore primigenio.

Queritur 2dò. An in eadem numero materia possint esse duæ formæ substantiales simul?

Dico 1mò. Naturaliter in eadem numero materia duæ formæ substantiales nec sustentativè, nec purè receptivè possunt esse simul, & semel. Ratio est 1mò. Quia naturaliter generatio unius formæ est

corruptio alterius. 2dò. Vel illæ formæ essent ejusdem rationis, vel diversæ: si *1mum*, 2da esset superflua, siquidem per primam formam jam foret materia completa substantialiter in specie determinati Entis. Si 2dum, ergo 2da contrarias qualitates exigeret in materia, quæ naturaliter cum qualitatibus prioris formæ in eodem subjecto esse non possunt, & consequenter nec formæ.

Ad communem illam de ferro ignito instantiam responderi potest, vel non esse ibidem ullam formam ignis, sed solummodo intensum calorem, qui facit ferrum splendescere, ut splendent nonnulli lapides, vel ligna putrida. Et licet gratis admitteretur lucem oriri non posse, nisi à substantia luminosa, ex hoc tamen non probaretur in ferro illo esse formam ignis, à qua lux illa oriri deberet; dici enim potest, ibidem non esse veram lucem, sed solum colorem quemdam quasi aureum, splendicantem, qui à primis qualitatibus oriri potest. Quòd verò admota tali ferro stupa vel charta conflagret, hoc non infert adesse formam ignis, sed ad exigentiam accidentium à tali ferro ignito productorum in stupa, à DEO ut authore naturæ produci ignem. Cur verò id fiat in stupa, non in ipso ferro, Ratio esse potest, quòd ferrum ex ratione nimix suæ densitatis, & proprietatis terreæ resistat, quòd minùs in materia sua producat ignis, qualiter & oleum resistit, in quo etiam ferventissimè calido non producit forma ignis. Vel responderi potest, formam ignis in ferro non esse, sed in poris ferri, in quibus materiam salnitrosam consumit. Quodsi tamen dicas adhuc, in illo saltem instanti debere esse duas formas in eadem materia, quo se mutuo pellunt ex subjecto, cum id, quod non est in subjecto, nec expelli possit, nec expellere. B. N. assum. ad probat:



bat. D. assum. id, quod non est, nec immediatè antè fuit, non potest expelli, & id, quod non est, nec immediatè pòt est futurum, non potest expellere, C. A. si & illud fuit immediatè antè, & hoc immediatè pòt sit futurum, N. A. & C.

Dico *add.* Stante intrinsecâ incapacitate materiæ ad sustentandas duas formas, nec supernaturaliter possunt poni sustentativè duæ formæ substantiales in eadem numero materia. Ita Oviedo *Contr.* 8. *punct.* 8. Prob. Quia in tali circumstantia deberet materia elevari in genere causæ materialis ad sustentandas duas formas, siquidem in eodem genere deberet reddi capax, in quo deficit, seu fuit incapax; esset autem incapax in genere causæ materialis, siquidem non in alio genere, sed materiali solùm, influeret in productionem earum, seu esset causa; *go.* Sed in genere materiali non est possibilis elevatio, ut communis est sententia.

Pro qua meliùs intelligenda, sciendum est: causalitatem materiæ esse duplicem; Unam, quæ est concursus ad educationem formarum, quatenus videlicet formas sustentativè recipit in se, tum recipiendo sustentativè in se Unionem earundem, tum etiam complendo in ultima ratione perfectam existentiam formæ, reddendo eandem subsistentem per Unionem, in quantum nempe forma talis per se naturaliter existere non potest sinè adminiculo subjecti. Hæc ergo causalitas causæ materialis à DEO suppleri non potest, quia hic concursus causæ materialis est necessariò principalis. Et cum materia prima sit necessariò *subjectum primum*, non habens aliud supra, vel extra, & ante se, hinc neque potest aliud quidpiam elevari ad hanc causalitatem præstandam. Quia principale elevans deberet supponi habere in se hanc virtutem,

nullum autem tale dabile est extra materiam primam. alias hoc deberet esse subiectum prius ipsâ materiâ imâ, quod est impossibile. Et ideo anima rationalis, quia est per se subsistens naturaliter, non egens ad miniculo subiecti, non educitur ex subiecto, neque materia prima respectu animæ rationalis exercet hanc causalitatem. Alteram, quæ est præcisè, recipere in se formam per Unionem tanquam actum in subiecto, & hæc quia non ponit intrinsicam dependentiam formæ à materia, suppleri potest ab alio. Taliter DEUS supplet unionem receptivam accidentium absolute in materia, ut patet in Eucharistia. Verbo: causalitas sustentativa formarum in materia suppleri non potest, potest verò purè receptiva.

Dices contrâ imò. Intellectus non est capax sustentare formas supernaturales, v. g. Visionem beatificam, & tamen supernaturaliter elevatur ad sustentandas illas; ergo & materia elevari potest ad sustentandas plures formas, etsi naturaliter sit incapax sustentandi illas. *iv. N. A.* Intellectus enim propriè non est incapax sustentare formas supernaturales, sed solum impropriè, quatenus videlicet nequit ullam talem formam proprijs naturæ viribus producere, ad quas producendas dum elevatur, solum impropriè dici potest elevari ad sustentandas illas. Neque ex hoc inferas: ergo etiam materia, si elevaretur ad efficiendas duas formas substantiales, hoc ipso easdem sustentaret. negatur enim illatum; Quia si materia præcisè in genere causæ efficientis elevaretur, materiæ virtus sustentativa nec roboraretur, nec immutaretur per hoc, ergo maneret incapax sustentandi eas simul, prout fuit antè.

Dico 3tio. Probabilius esse, quòd etiam stante intrinsicâ materiæ incapacitate ad sustentandas plures for-

formas, possint supernaturaliter in eadem recipi plures formæ per puram unionem. Ratio est. Quia materiam recipere formam per puram unionem, idem est, ac præsuppositam materiam ad formam, terminare hujus unionem à se non productam. Sed siue terminet unam talem unionem unius formæ, siue duas duarum formarum, respectu materiæ est idem, nec requiritur major virtus ad terminandas duas, quam unam; siquidem sicut una, ita & ambæ ponerentur in materia absquè ullo materiæ influxu in illas, go.

Obj. contra *1mò*. Si possent supernaturaliter duæ formæ recipi in eadē numero materia, duæ formæ Incompossibiles fierent compossibiles; hoc est impossibile, go. *2dò*. Possent in eodem subjecto recipi simul & semel forma viventis, & forma cadaveris, adeoque idem subjectum foret simul vivum, & simul mortuum. *3tid*. Tales duæ formæ substantiales hoc ipso non essent substantiales, quia forma *2da* adveniret Enti substantialiter completo; nec compleret substantialiter subjectum, utpote jam completum per aliam formam. *4td*. Secunda forma non esset actus primus, inveniret enim materiam jam actuatam per actum primum. *5td*. Implicat aliquod Ens poni in duplici specie metaphysica, go etiam in duplici specie physica; ut videlicet idem subjectum sit simul ignis & aqua. *R.*
Ad 1mum. D. M. duæ formæ impossibiles intrinsecè forent compossibiles solum extrinsecè, C. M. fierent compossibiles intrinsecè, N. M. In hoc ergo casu quælibet forma servaret suam exigentiã intrinsecam, per quam exigeret alterius expulsionem, sed solum exigentiæ huic in actû secundo non fieret satis; càm autem non sit de essentia formæ, ut hæc in actû secundo sit expulsio alterius, sed solum in actû primo, hinc solum extrinsecè fierent compossibiles duæ for-

mæ , quæ intrinsecè sunt impossibiles. *Ad 2dum*
 C. Assumpti primam partem, N. secundam. In tali
 enim casu forma cadaveris non denominaret in actu 2do
 subjectum suum mortuum, sed solum in 1mo, & exigiti-
 vè. Cur verò non in actu 2do, est ratio, quia hæc deno-
 minatio requirit in subjecto carentiam omnis vitæ, quæ
 cum in præfenti non esset, nec denominationem mortui
 in actu 2do forma cadaveris præstaret. *Ad 3tium* N. A.
 cujus probat. D. forma 2da adveniret Enti substantialiter
 completo, i.e. ex natura sua sic adveniret illi, tanquam
 à natura intentum quid propter substantiam completam,
 N. adveniret solum per accidens, & miraculosè. C.
 Ad alteram partem probationis Dico: formam secun-
 dam adhuc substantialiter completuram materiam,
 sed in alia ratione, aliud videlicet inadæquatè com-
 positum constituendo, quàm invenerit per formam
 priorem. *Ad 4tum* N. A. forma enim substantialis
 dicitur actus primus physicus hoc sensu, quòd ex na-
 tura sua non exigit præsuppositum ante se alium actum,
 verùm independentè ab alio aptus sit substantialiter
 complere materiam. *Ad 5tum.* R. 1mò. Nullum Ens
 etiam successivè potest poni in duplici specie metaphy-
 sica, ergo nec in physica. R. 2dò. C. A. N. C. Dispar.
 est, quòd ex antecedenti inferretur identitas realis in-
 ter duo realiter distincta. Ex consequenti verò in-
 fertur solummodò unio inter duo realiter distincta.

Nequè dicas: etiamsi solum unio physica pone-
 retur, adhuc tamen in simili casu, ubi forma auri, &
 ferri unirentur eidem subjecto, verum foret dicere,
 aurum est ferrum: quemadmodum hoc ipso, quòd
 eidem subjecto uniantur simul dulcedo, & albedo, ve-
 rum est dicere, album est dulce; sed ideo nequit ali-
 quod Ens poni in duplici specie metaphysica, quia de
 illo verum esset dicere v. g. Ignis est aqua, Hircus est
 cer-

cervus. ergo. R. N. M. Cur autem cum veritate dicam album est dulce, si eidem subjecto uniatum simul albedo, & dulcedo, non autem verum sit dicere, aurum v. g. est ferrum, etiamsi eidem subjecto uniretur forma auri, & ferri; Ratio est. Quod ad veritatem propositionis requiratur, ut prædicatum identificetur cum subjecto secundum totum, quod subjectum propositionis dicit in recto; cum ergo Concreta accidentalia in recto solum dicant subjectum, ipsam verò formam accidentalem solum in obliquo, non requiretur ad veritatem hujus Propositionis: *album est dulce*, ut albedo identificetur cum dulcedine, sed satis est, si identificetur, seu coalescat in unitatem termini cum subjecto dulcedinis; è contra verò Concreta Substantialia in recto dicunt non solum materiam, sed & formam, adeoque ad veritatem hujus propositionis: *aurum est ferrum*, requireretur ut forma ferri non solum cum materia ferri, sed & cum forma auri identificetur, seu coalescat in unitatem termini, quod cum fieri non possit, nec verum erit dicere: *aurum est ferrum*. Sed solum in simili casu verum foret dicere: Compositum auri solum inadæquatè est distinctum à composito ferri.

DISPUTATIO II.

De Ente Modali, & Relativo.

SECTIO I.

Definiuntur Modi.

U^Sus in Scholis obtinuit, ut vox *Modus* in significatione

catione strictiori sumatur, per quam videlicet significetur Entitas aliqua essentialiter respectivæ, essentialiter affixa alteri, à qua separata nec divinitus conservari possit. Entitatis hujus definitio est, quòd sit *ultima actualis determinatio rei indifferentis, affixa essentialiter enti à se determinato ad certam aliquam denominationem.* Hæc sect. quærimus, an entitates tales sint possibiles?

Dico imò, contra Wadingum: Possibiles sunt entitates modales in sensu paulò antè explicato. Prob. imò. Quia essentia modi per allatam definitionem explicata nullam involvit repugnantiam. addò. Si modi non essent possibiles, vel esset ideo, quia præjudicaret omnipotentiaë DEI, vel ejus libertati, vel perfecto Dominio DEI, quod habet in creaturas; sed nihil horum sequitur, ergo m. prob. Imprimis enim entitates modales non tantùm non præjudicant omnipotentiaë DEI, sed illam potiùs augent; majorem enim potentiam habere DEUS colligitur, quando non solum potest producere entitates absolutas, sed etiam respectivas, tunc videlicet, quando productio talium entitatum nullam dicit imperfectionem in agente; sed productio entitatis modalis non dicit imperfectionem in agente; siquidem DEUS manet liber, ut producat, vel non producat modum, item productum, quando illi placuerit, destruat, vel conservet.

Nequè dicas, DEUM non esse liberum, ut eo modo producat entitates modales, quo absolutas, siquidem illas sinè his ponere non posset. Contrà enim est: Ex eo, quòd DEUS non possit producere animal hominis eò modò quò animal Leonis, siquidem illud non potest producere identificatum rugibilitati, nulla infertur imperfectio in DEO ex productione animalis hominis, quia hujus exigentia metaphysica est, iden-

identificari risibili; sed etiam modi exigentia metaphysica est, non separari à modificato. go.

Dices tamen contrà *1mò*. In definitione Modi involvi repugnantiam, dum dicitur: Modus est *ultima actualis determinatio*. *1mò*. Quia potest saltem de potentia absoluta materiæ unitæ per unionem *a* suæ formæ, adjungi *nnio b.* per quam secundò materia unia- tur eidem formæ. Item Petrus ubicatus in loco *a.* per ubicationem *a.* simul ubicari in eodem loco per ubicationem *b.* *2dò*. Nequit intelligi, an modus sit ultima actualis determinatio alicujus à se distincti, vel in- distincti: vel utrum determinet modificatum ad aliquod distinctum à se, & modificato, vel non, go. *R.* *Ad 1mum*: N. assumptum, quia implicat modus ad modum in eadem linea specifica modi. Quòd si tamen oppositam quis sententiam doceat, dicere potest, modum esse ultimam actualem determinationem *positivam*, non *exclu- sivam*: per positivam intelligitur talis, quæ se solâ est sufficiens determinare formaliter rem indifferen- tem ad talem denominationem. Per *exclusivam*, quæ omnem aliam à se distinctam, ejusdem tamen gene- ris, excludat. *Ad 2dum* Dico, modum esse determi- nationem ultimam semper sui, & à se alicujus distin- cti ad denominationem distinctam à modificato.

Dices *2dò*: Modi præjudicant libertati DEI, cum non possit illos ponere, vel conservare sinè alia creatura, quod tamen ad libertatem perfectam videtur requiri. Unde liberior est is, qui rem unam donare potest, quia hoc ipso cogatur donare alteram. *R.* N. assum. Nec ex ulla ratione hoc ostendetur ad libertatem re- quirì, maximè si creatura aliqua non ex magnitudi- ne perfectionis, sed ex sua imperfectione sit insepa- rabilis ab alia. Unde ille tunc est liberior solùm, quando res talis est separabilis ab alia; secus si illa non est separabilis.

Dices

Dices 3^{to}. DEUS in productione modorum dependeret à creatura, cum sine altera eos producere non possit. R. N. A. Ex eo enim, quòd DEUS non possit producere modum, nisi actione proportionatâ modo, non sequitur, quòd dependeat ab aliqua creatura: sicut ex eo, quòd non possit producere hominem absolutum ab omni loco intrinseco, vel duratione, non sequitur, quòd in productione hominis dependeat à creatura.

Dices 4^{to}. Si possibiles sunt modi, possibilis erit creatura indestruibilis, vel duratio indivisibilis, vel talis creatura, quæ exigat, ut quolibet die Dominico pluat; hæc autem videntur absurda, go. R. N. seqv. Quia creatura indestruibilis, vel Duratio indivisibilis repugnat perfectò Dominio DEI, ut infra ostendam. Creatura autem illa nullam potest habere connexionem cum pluvia diei Dominicæ, Dies Dominica enim est denominatio purè moralis, ergo non potest fundare essentialem connexionem cum aliqua creatura.

Dices ultimò: Modi sunt essentialiter superflui, quia DEUS omnia potest facere sine illis, quæ cum illis; siquidem omnia potest facere DEUS sine creatura, quæ potest cum creatura. R. N. assum. cum suis probationibus. Sic DEUS se solo in genere causæ formalis, vel materialis nequit facere parietem album, potest tamen cum creatura; cum modus ergo determinet formaliter, adeoque est determinatio ultima in genere causæ formalis, DEUS se solo id facere non potest, quod potest cum modo; go non sunt essentialiter superflui.

Ostensâ Possibilitate Modorum, superest quæstio decidenda, an modi dentur actu? pro qua Dico: Modi dantur actu. Probo hoc Syllogismo: Indifferentia rerum ad aliquam denominationem realem debet

bet tolli formaliter per aliquid rebus talibus superadditum: hoc superadditum non potest esse entitas semper absoluta, ergo debet esse modalis; ergo ad tollendam indifferentiam rerum modi dantur actu. Probanda est major, & minor syllogismi. utraqùe per distinctam sectionem probatur. Sit igitur

S E C T I O II.

Probatur Major Syllogismi.

1^{mo}. **R**ES ex se physicè indifferens ad aliquam denominationem, potest existere realiter sinè tali denominatione, ergo potest existere realiter, quin sit determinata ad talem denominationem; ergo determinativum, quo posito ponitur talis denominatio, & quo non posito non ponitur, est separabile ab illa re. ergo determinativum, quo res physicè indifferens ad aliquam denominationem realem determinatur, erit necessariò rei illi aliquid superadditum, aliàs illa res posset existere sinè se ipsa. Prob. 2^{do}. Quotiescunque de eadem re successivè verificantur duo contradictoria intrinseca, toties res talis mutatur intrinsecè; sed dum res indifferens ad denominationem realem intrinsecam transit, verificantur de tali re successivè duo contradictoria intrinseca; ergo quoties res transit ad denominationem realem, ad quam fuit indifferens physicè, mutatur intrinsecè; sed res nunquam mutatur intrinsecè, nisi per aliquid sibi superadditum realiter, ergo.

Dices: Dum Petrus possibilis transit de statu possibilitatis ad statum existentiae, verificantur de eodem successivè duo prædicata contradictoria intrinseca,

O

nempè

nempe *producti*, & non *producti*, & tamen ille non mutatur intrinsecè, quia deberet mutari per aliquid sibi superadditum, de quo rursus erit quæstio, an mutetur intrinsecè, transeundo de statu possibilitatis ad statum actualis existentiae. Ex de Petro adhuc in statu Possibilitatis sumpto hæc propositio: *Petrus non est productus*, verificatur solum *ly est* sumendo in vi copulæ, non verò sumendo in vi verbi. Ideo nego, quòd hìc propriè verificentur duo prædicata intrinseca, quia *ima* propositio est de subiecto non physico, sed solum logico, & conditionato, adeoque nec fit mutatio intrinseca in Petro. Nihilominus tamen etiam denominationem existentis Petrus, ad quam solum logicè fuit indifferens, non habet independentem ab omni superaddito, quia illam indifferentiam logicam sustulit actio productiva ipsi Petro superaddita.

Dices *2do*. Verum esse, quòd determinativum Entis indifferentis ad aliquam denominationem, sit superadditum Enti, si hoc Ens sit absolutum, non verò si sit respectivum. Unde dices, parietem ad denominationem similis determinari absque ullo sibi realiter superaddito, se intrinsecè immutante. *Contra* est: Impossibile est, ut etiam Ens respectivum simul sit, & non sit; sed si determinativum entis respectivi ad aliquam denominationem realem non esset superadditum quid enti respectivo, illud simul esset, & non esset, ergo. prob. in Parietibus albus *a* v. g. in instanti *a* existens, si in hoc instanti non existat adhuc paries albus *b*. non denominatur similis parieti *b*. sed etiam esset, & determinaretur, quod prob. Ad hoc, ut paries albus *a* determinetur ad denominationem similis, non debet determinari per aliquid sibi superadditum, ergo.

Dices: In eo instanti, in quo adhuc paries albus *b* non existit, parietem album *a* non esse quidem similem

similem parietī albo *b* quoad denominationem, esse tamen quoad entitatem; ad hoc autem ut sit etiam quoad denominationem, non requiri, ut aliquid intrinsecum addatur parietī albo *a*. immutans illum intrinsecè, sed satis est, quòd addatur aliquid extrinsecum, à pariete *a* connotatum. Contrà est. Hæc propositio: *Parietis albus a. est similis quoad entitatem parietis albo b.* & hæc 2da: *Parietis albus a. est similis quoad denominationem parietis albo b.* vel habet idem verificativum adæquatum, vel secunda requirit aliquid distinctum realiter ab objecto verificativo adæquato primæ? Si primum, ergo sicut prima erat vera in Instanti *a*, etiam non existente pariete albo *b*, ita erat vera etiam 2da; adeoque idem ens respectivum simul est, & non est. Si 2dum, ergo hanc veritatem: *Parietis albus a. est similis quoad denominationem*, non constituit intrinsecè solus paries *a*, ergo in instanti *a*, non existente pariete *b*, non extiterunt omnia constitutiva hujus veritatis. ergo unum ex constitutivis hujus erit etiam paries albo *b*. atquè adeo sicut denominatio similis parietī *a* est semiintrinseca, & semiextrinseca, per superadditum determinativum mutabitur paries *a* semiextrinsecè, & per consequens etiam Entis respectivi determinativum ad aliquam denominationem realem est illi superadditum quid.

Dices 3tiò. Sinè omni superaddito posse determinari res indifferentes ad denominationem etiam realem, si dicantur res habere essentias conditionales, tales v. g. ut, si ponantur in his, vel illis circumstantijs, dent absolutè talem denominationem, ad quam erant indifferentes, positæ extra illas circumstantias. Contrà est. Hæc propositio: *Parietis albus a. est similis parietī albo b. conditionatè*, quam suppono esse veram, dum paries adhuc est positus extra circumstantias tu-

as, & hæc secunda : *Parietis albus a. est similis parietati b. absolutè*, quam suppono esse veram pariete jam existente in certis illis tuis circumstantijs, vel inquam hæc duæ Propositiones habent idem verificativum adæquatum? vel secunda requirit aliquid ad sui verificativum, quod non requirit prima? neutrum dici potest, ut patet ex paulò antè dictis, ergo.

Objicies 1^{mo}. Voluntas conditionata DEI fit absoluta sinè ullo superaddito. Item: auxilia DEI indifferentia fiunt efficacia sinè superaddito, ergo. R. N. Suppositum antecedentis, quòd Voluntas DEI conditionata fiat unquam absoluta formaliter; nunquam enim tendentia illa, per quam Voluntas DEI in objectum tendit, mutatur aut desinit in se. Fit ergo solùm absoluta æquivalenter, quatenus purificatâ conditione præstat eundem effectum, quem præstaret, si esset absoluta formaliter ejusdem volitio. Et hoc modo intelligendum est de DEO illud: *Voluntas conditionata per purificationem conditionis transit in absolutam*. Ad 2^{dum} R. Si efficacia auxiliij sumatur quidditivè, N. A. sic enim sumpta in actu imò constituitur etiam per ipsam futuritionem conditionatam consensûs absolutè futuri. Si verò sumatur in actu 2^{do}, per ipsum consensum absolutum existentem, ut suppono ex Theol.

Objicies 2^{do}. DEUS de nolente fit volens sinè superaddito, & mutatione intrinseca, go. R. N. assump. DEUS enim nunquam fit de nolente volens, vel contrà, siquidem ab æterno DEUS erat volens mundum. Et quamvis etiam forma nolendi fuerit ab æterno, non tamen ab æterno denominabatur mundus nolitus, quia applicatio ad denominationem hanc non intelligebatur existere ab æterno etiam logicè, cum nunquam erat producenda in tempore. è contrà denomi-

minabatur volitus, quia applicatio, quamvis producta sit solum in tempore, quæ applicuit voluntatem DEI ad mundum denominandum volitum, existebat tamen ab æterno saltem logicè, & hoc sufficit ad denominationem, quæ intentionaliter tantum adhæret objecto, neque consequitur ad actionem DEI ad extra.

Objicies 3^{tiò}. Homo de amato transit in non amatum sine mutatione intrinseca, ergo. R. Sicut amari est denominatio moralis: ita homo, dum transit de amato in non amatum, mutatur moraliter, v. g. si de justo transeat in peccatorem.

Pro reliquis *Nota*: Anima, dum fit pars compositi humani, mutatur intrinsecè per additam sibi unionem, & determinantem se ad esse partis; lapis autem, dum fit pars cumuli, mutatur semiextrinsecè per additam sibi unionem semiextrinsecam, quæ determinat illum ad esse partis semiextrinsecæ.

S E C T I O III.

Probatur minor Syllogismi.

Illud determinativum formale, per quod tolluntur indifferentiæ rerum ad denominationem aliquam realem, vel tollit talem indifferentiam tamquam forma *ut quod*? vel tamquam forma *ut quo*? quidquid dicatur, illud non potest esse semper entitas absoluta, ergo. m. prob. imprimis si tollat tamquam forma *ut quod*, vel tollit ita, ut de essentia illius sit actuale exercitium, vel non? si primum erit forma illa modus, quia habebit essentiam modi à nobis superius allatam. Si secundum, non potest esse se solâ sublativa forma-
liter

liter illius indifferentiæ, quod ostenditur: Hoc ipso, quòd illa forma non sit talis essentiæ, ut de essentiâ illius sit actuale exercitium, seu actualis sublatio talis indifferentiæ, illa potest existere in sua essentiâ sine actuali tali determinatione, ergo est indifferens, & separabilis à tali determinatione actuali. ergo ut actu tollat, seu determinet, debet illi superaddi alia entitas, per quam constituatur actu determinans, sive tollens indifferentiam. Hæc superaddita Entitas vel erit talis, cujus essentiâ sit actuale exercitium, seu actualis determinatio, vel non? si primum, ergo erit modus: si secundum, go. per illam prior forma non constituitur actu tollens indifferentiam, seu determinans; cum possit etiam ipsa esse sine actuali determinatione talis indifferentiæ: ac proinde ut forma illa prior constituatur actu determinans, seu tollens indifferentiam, deberet iterum illi addi alia entitas, ac huic iterum alia, donec deveniatur ad talem, de cujus essentiâ sit actuale exercitium, adeoque quæ sit modus. Argumentatio hæc probat etiam formam *ut quo* sublativam indifferentiæ non posse esse entitatem absolutam, ergo.

Dices fortè cum nonnullis apud *Linze l. 2. Phys. tr. 8.* Formam illam *ut quod*, quam supponimus esse determinativam indifferentiæ, posse esse talis essentiæ, ut non existentibus suis extremis, v. g. materiâ & formâ, vel loco & re locatâ, possit illa quidem existere, & non determinare actu, seu tollere illorum indifferentiam, v. g. ad esse uniti, vel locati: si tamen in aliqua differentia temporis coëxistat suis extremis, necessariò tollat talem indifferentiam ita, ut nec DEUS illam sic coëxistentem præpedire possit; ergo adhuc ad tollendas rerum indifferentias non erit necessaria entitas modalis.

Contrà est, quòd licèt entitas talis essentiæ non repugnet ex prædicatis intrinsicis, repugnat tamen argumentis Philolophicis in congruentia fundatis. *1mò.* Quia hæc entitas talis essentiæ ideo excogitata est, ut non cogantur Philosophi multiplicare entia sinè necessitate per admissionem modorum, & tamen admissâ illâ multiplicarentur entia sinè necessitate, quia ipsa non esset ejusdem speciei ens absolutum, cujus sunt alia, ut patet ex ejusdem essentia descripta. *2dò.* Quia forma denominans v. g. *Unitum*, non esset sola talis entitas, sed adæquata forma dans denominationem *Uniti*, essent omnia tria, putà materia, forma, & unio; siquidem præcisè aliquo horum ablato, manentibus alijs, non daretur actu talis denominatio. Unde sequeretur, quòd etiam forma adæquata denominans objectum visum, non sit sola visio, sed potentia viva, visio, & objectum. Item albedo non esset forma adæquata, dans denominationem albi, sed omnia tria, quæ congruè à nullo Philosopho dici possunt.

Alij dicunt, formam illam, quam dicimus sublativam indifferentiæ, non debere esse modalem, quia potest esse talis essentiæ, ut, si existat connaturaliter sinè violentia, semper actu determinet, seu tollat indifferentiam, & possit violentè per absolutam *DEI* potentiam existere, quin actu determinet. Contra hos est. Quia hoc ipso, quòd entitas hæc possit absolutè existere, & non determinare actu, est separabilis ab actuali determinatione, adeoque indifferens ad determinationem actualem, consequenter determinabitur per aliam entitatem sibi superadditam. Proinde, hæc propositio: *Entitas hæc existit simpliciter*, & hæc alia: *Entitas hæc existit cum negatione violentiæ*, vel habent idem verificativum adæquatum, vel non: certè non, ergo *existere illam*

entitatem sine violentia, constituitur etiam per aliquid distinctum ab illa entitate, ergo illa se solâ non esset sublativa indifferentiæ, consequentur iterum forma determinativa formaliter constabit pluribus entitatibus, quod erit multiplicare entia sine necessitate. adeoque manet firmum, modos dari actu. Unde sit

SECTIO IV.

Inferuntur nonnulla ex Doctrina generali.

ymò. **U**Bicationem, per quam res indifferens ad locum a v. g. determinatur, seu ut sit præsens in loco a. esse entitatem modalem. Ratio est: Quia si ubicatio, quæ facit formaliter rem præsentem alicui loco determinato, non esset modus, non esset ipsa essentialiter determinata ad dandum hunc effectum, adeoque deberet determinari per aliam entitatem, de qua redibit quæstio, an sit modus? an Entitas absoluta? & sic in Infinitum; ergo entitas, quæ facit rem indifferentem esse præsentem in loco hoc, erit talis, de cuius essentia sit actu determinare, & facere præsentem rem indifferentem in hoc loco.

Dices fortè: Albedo, quæ tollit indifferentiam parietis ad esse albi, non est modus, ergo nec ubicatio erit modus. R. C. A. N. C. Hoc ipso enim, quod albedo non sit modus, & tollat indifferentiam tamquam forma ut quod, ad hoc, ut sit actu tollens hanc indifferentiam, debet ipsi addi alia forma ut quo modalis, nempe unio: è contra Ubicatio, cum se solâ tollat illam indifferentiam, erit ipsa modalis.

Sed dices, Petrum fieri præsentem in loco sine o-
mni

nni alio superaddito, modò DEUS velit illum esse præsentem loco *a*. Contrà est : potest DEUS velle existentiam Petri, & loci *a*. & tamen non velle Petrum existere, seu esse præsentem in loco *a*. ergo quando DEUS vult Petrum esse præsentem loco *a*. præter Petrum, & locum *a* habebit aliquod aliud objectum volitum : hoc objectum ego dico esse Ubicationem modalem. Unde Petrus per voluntatem DEI fit causaliter præsens in loco *a*. per Ubicationem verò formaliter.

Dices fortè, DEUM non velle præter Existentiã Petri, & loci *a* aliquid aliud, sed solùm velle Petrum esse indistantem, vel velle non interceptionem alterius corporis inter existentiam Petri, & loci *a*. Contrà est : Dum dicis DEUM velle Petrum esse indistantem, per *ly indistantem* intelligis negationem distantie sine dubio ; ergo cùm non detur negatio negationis, distantia Petri ab hoc loco erit quid positivum, nempe Ubicatio, per quam Petrus est alibi, quàm in hoc loco ; ergo etiam id, per quod Petrus est hìc potius, quàm alibi, erit quid positivum, videlicet Ubicatio. De Interceptione autem corporis R. N. assump. Quia potest DEUS existente Petro v. g. Romæ, annihilare omne corpus interceptum inter Romam, & hanc Scholam Tyrnaviensem, & tamen tunc Petrus non existet in hac schola ; ergo dum DEUS vult Petrum existere in hac schola, non vult solam existentiam Petri, hujus scholæ, & non interceptionem alterius corporis inter Petrum, & hanc scholam.

Obj. contrà imò. Entitas Petri tollit formaliter negationem sui in loco *a*, utpote contradictoriè huic opposita ; ergo sola entitas Petri erit id, per quod Petrus est formaliter in loco *a*. ergo sine super-

addito. 2dò. Hæc illatio est bona: *Petrus est, & non est in ullo alio loco, ergo est hic.* sed stante hæc illatione, Petrus erit hic sine omni superaddito: quia Petrum esse, seu existere, non habetur per superadditum, cum existentia non distingvatur ab essentia: & etiam Petrum non esse in ullo alio loco, non habetur per aliquid superadditum, cum sit denominatio pure negativa, ergo. 3tò. Indifferentia, quam habet Petrus ad esse hic, tollitur sufficienter per ipsum motum, seu impulsum, per quem applicatur huic loco extrinseco, ergo non per Ubicationem modalem. 4tò. In illo instanti reali, quo Petrus producit ubicationem in loco *a.* est in loco *a.* non per ipsam ubicationem, utpote naturâ posteriorem, ergo per se ipsum. *R. Ad 1mum.* N. A. & suppositum, quod entitas Petri contradictoriè opponatur negationi sui in loco *a.* solum enim opponitur contradictoriè negationi sui, acceptæ præcisivè sine respectu ad locum; acceptæ autem cum respectu ad locum contradictoriè opponitur ipsa entitas Petri indivisibiliter accepta cum Ubicatione. *Ad 2dum.* D. M. illatio illa est bona, & formaliter inferens Petrum esse hic ex eo, quia non est ullibi alibi N. M. inferens solum consequenter, quatenus ex hac negatione infertur necessariò forma positiva, per quam fit hic, C. M. & similiter D. m. N. C. Quemadmodum ex hoc: *Creatura dependet ab aliqua causa, & à nulla alia causa dependet, ergo ab hac determinata,* non infertur, quod dependentia, per quam creatura dependet ab hac causa, sit carentia dependentiæ ab alijs. *Ad 3tium.* D. A. tollitur sufficienter per ipsum motum, tamquam per determinativum formale, N. tamquam per aliquod antecedens, causaliter solum determinans, C. A. & N. C. *Ad 4tum.* D. m. In illo instanti reali pro signo priori naturæ Petrus est in loco

loco *a* fundamentaliter, C. formaliter, N. solum enim in signo posteriori naturæ illius instantis Petrus est formaliter in loco *a*. in signo autem priori formaliter nec est, nec non est, sed præscindit ab utroque. In signo enim priori naturæ illius Instantis, quo Petrus producit Ubicationem *a*, nec ipsam Ubicationem, nec ejus negationem Petrus includit: quia solum illa includuntur à Petro in illo signo, quæ constituunt actum primum proximum ad producendam Ubicationem; hunc autem nec Ubicatio, nec hujus negatio constituit, utpote auferibilis per ipsum actum secundum; ergo Petrus in illo signo priori illius instantis nec est formaliter, nec non est in loco *a*, sed præscindit ab utroque.

Infero 2dò. Durationem, per quam res creata affigitur certo tempori extrinseco, esse pariter entitatem modalem. Ratio est eadem, quæ pro Ubicatione.

Nequè dicas, rem creatam non existere in hoc determinato tempore per aliquid sibi superadditum, imò. Quia est impossibile existere tempus extrinsecum, v. g. horam primam, & existere Petrum, quin Petrus hoc ipso coexistat primæ horæ: adeoque cum res per illud durent, per quod coexistunt tempori extrinseco, Petrus durabit sine superaddito. *2dò.* Licet duratio Petri, affigens illum ad tempus *a*, sit indifferens, ut conduret durationi Pauli, affigentis Paulum ad idem tempus *a*. hæ tamen duæ durationes non condurant per aliquid sibi superadditum. *3tò.* Si duratio est aliquid superadditum rei duranti, sequitur quolibet instanti omnes res creatas mutari intrinsecè. *4tò.* DEUS non durat per aliquid superadditum, ergo nec creatura. *R.* *Ad 1mum.* D. assump. Est impossibile existere tempus extrinsecum, v. g. horam primam.

mam, & existere Petrum, si *ly existere* sumatur præ-
 cisè secundùm rationem significatam, quin Petrus hoc
 ipso coëxistat primæ horæ, N. assump. si *ly existere* su-
 matur tam secundùm rationem significatam, quàm se-
 cundùm rationem consignificatam, C. assump. & C.
 m. N. C. Quare observa: Hoc verbum *existit* posse
 in duplici sensu accipi: primò præcisè secundùm ra-
 tionem significatam, & hæc est sola existentia tempo-
 ris, vel Petri. 2dò secundùm rationem consignifica-
 tam, & hæc est coëxistentia Petri cum hoc tempore.
 Si ergo *ly existere* sumatur præcisè secundùm rationem
 significatam, falsa est M. quia potest existere tempus
 hodiernum hodie, cras Petrus, & tamen Petrus non
 coëxistet huic tempori hodierno. Nequè dicas, da-
 ri Petri Existentiam cras, vel heri, non est idem,
 ac *existit*, sed *existet*, vel *existit*; ergo Petrum exi-
 stere est formalissimè Petrum existere hodie. *Confir.* Hoc
 ipso, quòd Petrus non existat hodie, simpliciter non
 existit; ergo hoc ipso, quòd verum sit dicere simpli-
 citer: *existit*, existet hodie. R. D. A. dari existen-
 tiam, si *ly dari existentiam* sumatur præcisè secundùm
 rationem significatam, seu, ut alij loquuntur, intransi-
 tivam, N. A. si sumatur secundùm rationem con-
 significatam, seu transitivam. C. A. & N. C. *Ad*
Confir. N. A. Sicut enim est falsum dicere: *Petrus non*
existit hic, ergo simpliciter in nullo loco *existit*; ita fal-
 sum est dicere: *Petrus non existit hodie*, ergo simplici-
 ter non existit. Etsi enim Petrum concipias in alia dif-
 ferentia temporis, quàm hodiernâ, vel crastinâ exi-
 stentem, concipis simpliciter existentem, ergo. *Ad*
2dum D. A. Ex suppositione, quòd verum sit, u-
 tramquè illam durationem aliquando existere, N. esse
 sic indifferentes, ut sibi coëxistant; solùm enim sunt indiffe-
 indiffe-

indifferentes, ut simpliciter existant, & hæc indifferentia tollitur in illis per actionem earundem productivam; ergo non est paritas ad Petrum, qui simpliciter existere potest, & tamen non condurare diei hodiernæ, vel horæ primæ. *Ad 3^{ium}. C. sequ.* quæ nihil in se absurdi involvit, imò est conformis Scripturæ, docenti nihil esse sub sole permanens. *Ad 4^{um}. C. A. N. C. Disp. est:* Quia DEUS non est indifferens, ut conduret, vel non conduret horæ primæ v. g. sed hoc ipso, quòd simpliciter verum sit dicere: *hora prima existit*, DEUS illi essentialiter condurat; siquidem est essentialiter æternus, hoc autem nulla creatura habet.

Dices ultimò: Negationes, & privationes rerum indifferentes, ut durent in instanti *a.* vel *b.* non durant per modum superadditum: aliàs carentia Antichristi duraret hodie omnia tempora simul, siquidem hodie dantur carentiæ omnium aliarum durationum Antichristi, conjunctæ cum carentia durationis hodiernæ, quæ affigeret Antichristum ad coexistendum diei hodierno. *¶. imò.* Nego suppositum, negationes, vel privationes posse propriè dici indifferentes ad durandum. Hoc prædicatum enim est de secundo adjacente, adeoque negationibus, & privationibus, quæ sunt purum nihil, convenire non potest. *¶. 2^{do}.* Negationes, & privationes durare per superadditum modum negativum, nec tamen ex eo sequi, carentiam Antichristi durare hodie omnia tempora. Etsi enim hodie dentur carentiæ omnium aliarum durationum Antichristi, eæ tamen hodie non dantur per modum formæ privativæ, seu per modum privationis, sed solum per modum negationis, adeoque negatio Antichristi hodie non potest denominari durans per illas: sicut negatio existentia Petri in loco *A.* non est

est ubiquè, licèt in loco A. dentur carentiæ omnium aliarum ubicationum Petri, quia hæ videlicet non dantur per modum privationis, sed per modum negationis.

Queres hïc occasionaliter : An possibilis sit ubicatio, & duratio indivisibilis ? R. &

Dico imò. Ubicatio, affigens circumscriptivè corpus actu formaliter divisibile spatio divisibili, implicat, ut sit indivisibilis. Prob. Essentia talis ubicatio debet esse, ut ubicunquè illa existit tota, ibidem affigat totum corpus locatum, & ubi ipsa existit tota totaliter, affigat etiam corpus locatum totum totaliter ; sed hanc essentiam ubicatio talis existens in spatio a. non haberet, siquidem in spatio a. non existeret totum corpus ejus locatum, quod supponimus esse v.g. Tripalmum, licèt ipsa tota existeret in spatio a.

Dices contrà : Immensitas DEI, omnino in se indivisibilis, reddit DEUM præsentem omni spatio, ergo pariter sinè repugnantia ubicatio indivisibilis reddere potest aliquod corpus divisibile præsens spatio divisibili. R. imò. C. A. N. C. Disp. est : Quia Immensitas DEI ubiquè habet suam essentiam ; ubicatio autem non haberet, ut ostendimus. R. add. D. A. reddit DEUM præsentem omni spatio, tamquam ratio formalis adæquata, N. A. tamquam inadæquata, C. A. & N. C. Immensitas DEI est Entitas absoluta, adeoquè se solâ non est ultima actualis determinatio, & affixio DEI ad hunc, vel illum locum, sed est solùm radicalis affixio, quatenus ex essentia sua exigit esse coëxistens huic loco hoc ipso, quòd talis locus existat. Quemadmodum scientia DEI ex essentia sua exigit cognoscere peccatum hominis existens, hoc ipso quòd existat. Unde quemadmodum deno-

minat;

minatio scientis completur per aliquid DEO extrinsecum ab ipsa entitate scientiæ distinctum: ita Denominatio existentis DEI in loco *a.* Unde immentitatis DEI essentia est: reddere DEUM præsentem loco *a.* ex suppositione, quòd locus *a.* existat, ita ut hæc ipsa suppositio constituat intrinsecè denominationem existentis in loco *a.* Talis autem essentiæ ubicatio creata esse non potest, quia hoc ipso non esset entitas modalis, siquidem se solâ non esset ratio formalis adæquata, quare res sit in loco *a.* sed ratio formalis adæquata esset simul locus *a.* adeoque ipsa esset indifferens, ut sit ultima actualis determinatio Petri ad locum *a.* & consequenter non esset modus.

Dico *add.* Ubicatio affigens circumscriptivè corpus actu indivisibile spatio divisibili, potest esse indivisibilis entitativè. Prob. Hæc ubicatio haberet ubique suam essentiam adæquatam: essentia enim illius est, ut ubi ipsa existit tota totaliter, etiam corpus affigat ibidem totum totaliter; ergo licet ipsa existens in palmo *a.* non affigeret corpus indivisibile ad palmum *b.* quia tamen ipsa in palmo *a.* non existeret tota totaliter, non præjudicabitur quidquam ipsius essentiæ.

Dices: Hoc ipso, quòd corpus indivisibile affigeretur spatio divisibili per ubicationem indivisibilem, existeret definitivè, quia existeret totum in toto spatio, & totum in qualibet parte spatij. R. N. assump. ad existentiam definitivam enim non sufficit, quòd corpus existat totum in toto, & totum in qualibet parte, sed præterea requiritur, ut totum totaliter existat in toto spatio, & totum totaliter in qualibet parte spatij. Terminorum horum explicatio tradetur in Disp. de Ente continuo.

Dices *add.* Talis ubicatio in neutra parte spatij haberet

haberet suam essentiam adæquatam, quia essentia illius esset, affigere corpus actu pluribus spatijs inter se realiter distinctis, puta *a. b. c.* sed in spatio *a.* existens non affigeret illud pluribus spatijs distinctis, cum in loco *a.* non dentur illa plura spatia distincta realiter, go. R. N. assump. ad prob. Dico illam illius essentiam esse solum, ubi ipsa existit tota totaliter, non autem ubi ipsa existit quidem tota, non tamen totaliter; in solo autem spatio *a.* non existeret tota totaliter, go nec in hoc solo deberet affigere pluribus spatijs actu distinctis.

Dico 3^{ti}o. Duratio indivisibilis affigens creaturam ad tempus aliquod actu divisibile, v. g. ad unam horam, est impossibilis. Prob. Talis duratio repugnat perfecto Dominio DEI, ergo est impossibilis. A. prob. Ad perfectum Dominium DEI spectat, posse immediatè liberè disponere tam circa existentiam primam, quàm continuatam creaturarum; sed admittè duratione indivisibili, DEUS nec ipsius durationis, nec rei per ipsam durantis, posset immediatè liberè disponere circa existentiam continuam, cum intra horam v. g. immediatam libertatem illam destruendi non haberet; imò nullam libertatem destruendi illam haberet intra horam, ergo. M. autem prob. Ad perfectum Dominium DEI spectat, ut possit immediatè liberè disponere circa primam existentiam creaturarum; go etiam, ut sic possit disponere circa secundam. prob. C. Ideo primum spectat, quia omnis creatura in sui prima existentia est essentialiter contingens; sed etiam in secunda existentia est omnis creatura essentialiter contingens; secunda enim existentia creaturæ secundùm rectum non differt à prima, go.

Dices, Ad Perfectum DEI Dominium non spectare

Etare, ut possit agere contra essentias rerum; ergo cum durationis indivisibilis essentia sit, non posse destrui v. g. per horam, nihil præjudicari Dominio DEI. Contrà est. Quia ratio nostra ostendit, esse impossibile talem essentiam creaturæ, quæ non possit per horam v. g. destrui: imò, quia hoc ipso non esset contingens in secunda sui existentia. 2dò Omnis illa essentia creaturæ est impossibilis, quæ propter certum aliquod prædicatum sibi intrinsecum necessariò subicitur alicui attributo divino, & simul propter aliud prædicatum sibi intrinsecum priori realiter identificatum eximitur à subjectione illius attributi, & vel maxime, si hæc exemptio oriatur ex magnitudine perfectionis in tali prædicato; essentia durationis indivisibilis esset talis, ergo M. est certa. m. prob. Duratio indivisibilis haberet prædicatum unum hoc, quòd sit *Creatura*, adeoque propter hoc essentialiter subiceretur omnipotentia, seu Dominio DEI ita, ut ex se, & ab intrinseco quovis instanti, quò est, possit non esse, si DEUS velit: aliud prædicatum intrinsecum, & priori identificatum haberet hoc, *ut essentialiter permaneat per horam*, & per hoc eximeretur ab immediata subjectione Dominij DEI per totam horam, ergo. Unde etiam necessitas, quâ necessitaretur DEUS per horam conservare talem durationem, non esset necessitas purè consequens, quia si hæc necessitas esset solum consequens, tunc deberet DEUS saltem in aliquibus circumstantijs illam productam posse non conservare per horam: sicut quia necessitas conservandi modificati producto modo, est solum consequens, & ex suppositione, DEUS potest saltem in aliquibus circumstantijs modificatum non conservare producto modo, si videlicet destruat, & annihiliet modum.

DEUS autem talem durationem productam in nullis circumstantiis posset non conservare, ergo.

Obj. 1^{mo}. Necessitas, quâ necessitatur DEUS conservare Petrum per 20. annos, quem decrevit non destructurum se, non præjudicat perfecto DEI Dominio; ergo nec necessitas conservandi durationem indivisibilem per horam. 2^{do}. Ubiatio indivisibilis, affigens ad spatium divisibile, non repugnat; ergo nec duratio affigens ad tempus divisibile. 3^{to}. Non repugnat duratio essentialiter affixa certo tempori ita, ut in alio poni non possit; ergo nec repugnabit affixa certo tempori ita, ut in illo destrui non possit. 4^{to}. Etsi DEUS durationem instantaneam non possit conservare per plura instantia, vel modum sine modificatione, nihil præjudicatur illius Dominio in creaturas; ergo nec præjudicabitur per hoc, quòd non possit durationem horariam destruere intra horam. 5^{to}. Esse indestruibilem, non est prædicatum divinum à creatura imparticipabile, ergo. B. Ad 1^{um}. C. A. N. C. Dispar. est. Quòd illa necessitas sit solùm consequens, Petro extrinseca, orta ex libera voluntate DEI, quatenus DEUS antecedenter liber fuit, Petrum productum simpliciter destruere intra 20. annos, 2^a necessitas autem oriretur ex magnitudine perfectionis prædicati intrinseci durationis, nec relinquit in DEO ullam libertatem pro ullis circumstantiis destruendi illam duratorem intra horam, semel productam. Ad 2^{um} & 3^{ium} C. A. N. C. Ex primis non inferitur repugnantia, cum nec contra conceptum creaturæ, nec perfectum DEI Dominium quidquam inferatur. Ex secundo autem inferitur, ut ratio nostra ostendit. Ad 4^{um} C. A. N. C. Dispar. est. Quia si duratio instantanea concipiatur tamquam ultima essentialis determinatio ad instans a. b. c. &c. vel modus existens

stans sine modificato, concipitur hoc ipso chymæra, non habens ullum aliud esse, quàm objectivum in intellectu. Unde sic concepta duratio instantanea, vel modus, non est terminus ullius attributi divini, adeoque non præjudicat virtuti divinæ, rerum creatarum conservatrici, cum hæc se non extendat, nisi ad terminos capaces conservationis, qualis non est chymæra: è contra verò duratio indivisibilis horaria, cum verè esset creatura, & non solum aliquid objectivè in intellectu, deberet hoc ipso esse terminus attributi divini, & tamen non esset, & quidem propter magnitudinem perfectionis suæ. Unde esset, & non esset creatura. *Ad 5^{um}. D. A.* Non est à creatura imparticipabile per identitatem, N. per puram communicationem accidentalem extrinsecam creaturæ, C. A. & N. C.

Ad Ultimum Nota, impossibile est Decretum in D E O, per quod decernat actum fidei secum essentialiter connexum non destruere ullâ destruibilitate, id quod supponendum est ex Theologia.

Infero 3^{tiò}. Actionem, per quam effectus indifferenter pendens à tali causa producitur, esse entitatem modalem. Ratio est eadem, quæ pro ubicatione, & duratione est allata.

Dices contrà: Actio, seu causalitas, per quam ignis *b.* v. g. producitur ab igne *a.* non indiget aliquo alio superaddito, per quod dicatur formaliter pendere ab igne *a.* sed sufficit voluntas DEI volens illum ab igne *a* pendere; ergo etiam ad hoc, ut ignis *b* pendeat ab igne *a.* non indigebit alio superaddito præter voluntatem DEI. *B. C. A. N. C.* Dispar. est. Quòd actio illa sit essentialiter determinata ad suam causam, ita quidem, ut nec per absolutam DEI potentiam fieri possit, ut non pendeat ab hac causa,

ex suppositione, quòd existat; hoc autem non habetur de igne *b*.

Infero 4to. Unionem in composito physico esse Entitatem modalem. Ratio est eadem, quæ pro ubicatione. Deinde si unio esset entitas absoluta, naturaliter essent duæ formæ substantiales in eadem numero materia. Ostendam enim unionem esse verè substantiam.

Dices contrà *1mo.* Si materia uniretur formæ per unionem tamquam entitatem modalem superadditam, nec materia exerceret respectu formæ rationem potentia, nec forma respectu materiæ rationem actûs: sicut duæ partes integrantes ejusdem lineæ non exercent ad invicem rationem potentia, & actûs, quia inter illas intermediat unio; adeoque utraque actuat per unionem. *2do.* Posito Decreto DEI, quo vult materiam unitam formæ, jam materiã determinatur ad esse uniti, ergo non est opus unione superadditâ modali. *3to.* Denominatio *similis, distincti, relati*, non habetur formaliter per modum, ergo nec denominatio uniti. *4to.* Hoc ipso, quòd materia non sit separata à forma, est illi unita, ergo sine superaddito. *5to.* Id, quod est indifferens ad denominationem dextri, vel sinistri, potest hanc denominationem habere sine omni superaddito modo, ergo etiam denominationem uniti. *R.* *Ad 1mum*, N. A. ad prob. N. causalem: sed ideo, quia illarum partium neutra ex natura sua, & intrinsecè subordinatur alteri, vel tamquam subjectum informabile, vel tamquam actus informans. *Ad 2dum.* D. A. determinatur ad esse uniti causaliter, C. formaliter, N. aliàs etiam paries sine albedine fieri posset albus per solum Decretum DEI. *Ad 3tium* Dico, quòd denominatio *similis, relati*, habetur etiam per modum, inclusum in ipsa ratione
fun-

fundandi proxima, & adæquata, ut dicemus in *Señ. de Relat.* Denominatio autem *Distincti* non habetur per modum ideo, quia nulla res est indifferens, ut distingvatur ab altera; ubi autem non est indifferentia, modo opus non est. *Ad 4tum.* D. A. hoc ipso, quod non sit separata formaliter, seu quod idem est, hoc ipso, quod detur forma denominans illam formaliter inseparatam, est unita, C. A. Si solùm sit inseparata realiter, seu intimè præsens, est unita, N. A. & C. *Ad 5tum.* Dico etiam denominationem dextri, quæ purè moralis, & extrinseca est, non posse haberi finè superaddito modo, nova videlicet ubicatione.

S E C T I O V.

An possibilis sit modus ad modum in eodem genere?

Dico impossibilem esse modum ad modum in eadem linea specifica. Ita *Dequiros Disp.* 103. contra *Vasquez. Tom.* imo in 3tiam partem *Disp.* 25. Prob. Ubi nulla est indifferentia, quam tollere possit modus, ibidem modus implicat; sed in modo nulla est indifferentia, quam tollere posset alter modus ejusdem lineæ, & speciei, go. m. prob. primò non est ulla activa indifferentia; sed nec passiva, ergo nulla. M. est certa, m. prob. Si unio v. g. idem est de alijs modis, uniens se ipsam essentialiter suis extremis, esset adhuc indifferens passivè, ut uniri possit per accidens per aliam unionem iisdem extremis, illa unio esset, & non esset purum ens modale; hoc implicat, go. prob. sequ. esset, ut supponimus: non esset

esset, quia illud prædicatum, vi cuius illa unio esset indifferens passivè, ut accidentaliter uniatur suis extremis per aliam unionem, nec esset prædicatum essentia metaphysicæ modi, nec proprietas metaphysica; go entitas habens tale prædicatum non esset purus modus, C. est certa: sic si lapis haberet prædicatum intrinsecum, vi cuius esset capax ab intrinseco volandi, non esset purus lapis. A. prob, Imprimis illa indifferens non est prædicatum essentia metaphysicæ modi, cum essentia metaphysica modi sit, esse actuale determinationem, non autem esse indifferens; sed nec est proprietas metaphysica essentia modi, quia nec oritur ex prædicatis genericis, nec ex specificis ipsius modi. Non ex genericis, nam prædicata generica essentia metaphysicæ modi sunt *ens, substantia*; ex his autem non oritur *determinabilitas passiva*, aliàs etiam DEUS esset determinabilis passivè. Prædicata specifica verò modi sunt *actualis essentialis determinatio* ad certam denominationem; ex hoc autem non oritur determinabilitas, sed potius, si quæ esset, tolleretur, go. *Confir*: Albedo dans essentialiter sibi denominationem albi, & subiecto capaci, nequit etiam per accidens ab alia albedine denominari alba; ergo nec unio, quæ essentialiter se ipsam unit extremis, etiam per accidens iisdem uniri poterit per aliam unionem distinctam.

Obj. contrà: Cognitio est modus, & tamen cognitio essentialiter reflexiva super se ipsam, adeoque dans essentialiter sibi denominationem cogniti, potest iterum per accidens denominari cognita ab alia cognitione; go etiam unio uniri per aliam unionem accidentaliter. R. Imò, N. A. Ostendam enim in Anamastica, cognitiones non esse modos; pro uberiori tamen doctrina R. add. D. A. & illa cognitio secunda

eunda erit ejusdem speciei formalis cum prima essentialiter reflexiva super se ipsam, N. A. Non enim secunda tollet eandem indifferentiam in potentia cognoscente, quam sustulit prima, talem enim esse possibilem N. erit ejusdem speciei solum objectivæ, seu ejusdem objecti, C. A. & N. C. Ratio dispar. est, quòd in cognitione essentialiter reflexiva super se ipsam est assignabile aliquod prædicatum, ex quo tamquam radice deducitur indifferentia passiva cognoscibilitatis per alias, & alias semper cognitiones, siquidem omnis talis cognitio est Ens, ergo omnis est vera transcendentaliter, adeoque adhuc cognoscibilis: è contra verò in alijs modis objecto suo intrinsicis, v. g. unione, vel ubicatione &c. non est assignabile ullum tale prædicatum, ex quo tamquam radice deducatur illa determinabilitas, seu indifferentia passiva.

Dices: etiam modus alter, v. g. unio, licet sit essentialis actualis determinatio, manet tamen in se pars incompleta, sicut cognitio reflexiva manet in se Ens; ergo etiam unio, vel alter modus habet tale prædicatum, ex quo inferatur determinabilitas, seu indifferentia passiva. R. D. assump. manet tamen in se pars incompleta, incompletionem determinationis, N. A. & C. Est ergo unio pars incompleta compositi hoc sensu, quòd se solâ non constituat adæquatè compositum; non autem hoc sensu, quòd sit determinabilis ad denominationem uniti dandam, vel accipiendam; hoc sensu enim est essentialis ultima actualis completio.

Dices iterum: Unio uniens essentialiter se ipsam materiæ, & formæ, est unibilis adhuc alteri extremo, v. g. durationi, vel loco; ergo etiam erit unibilis saltem per accidens materiæ, & formæ. R. C. A. N. C. Dispar. est, quòd in unione reperiamus prædicatum,

ex quo deducimus illam unibilitatem, seu indifferentiam passivam ad unionem cum duratione v. g. vel loco, quod prædicatum est *Creatura*, ex quo deducitur essentialis dependentia à DEO tam in produci, quàm conservari hoc vel illo tempore, adeoque indifferentia ad existendum hoc vel illo loco, & durandum hoc vel illo tempore; respectu autem illius indifferentiæ passivæ, per quam fieret per accidens unibilis materiæ, & formæ, nullum prædicatum reperimus in unione, ergo.

S E C T I O VI.

Utrum Unio in Composito substantiali sit substantia, & in quo subiectetur?

Dico primò cum *Urtado* hìc *Diss. 10. sect. 2.* Unio compositi substantialis est re ipsà entitativè substantia. Prob. Unio est de essentia compositi substantialis, siquidem compositum non est materia, & forma quomodocunquè accepta, sed materia unita formæ, ergo est substantia: quia constitutivum substantiæ non potest esse quidquam, quod non sit substantia saltem incompleta, ergò.

Dices: Unio est modus, ergo non est substantia, quia substantia est ens per se; nullus autem modus est ens per se, cum non sit independens à subiecto. R. C. A. N. C. ad prob. D. M. substantia est ens per se, substantia completa, C. M. substantia incompleta N. M. substantia enim ut sic definitur esse id: quod intenditur primariò à natura in aliquo supposito, tamquam radix prima eorum, quæ sunt in tali supposito. Unde solum substantiæ completæ convenit esse ens per se.

se, seu independens ab alio, non autem incompletæ, aliàs nec formæ materiales essent substantiales.

Dico 2dò. Probabiliùs est, quòd defacto unio in sola materia recipiatur subjectivè, in forma verò solùm terminativè. Ita *Oviedo Contr. Phys. 4. punct. 3.* Prob. Probabiliùs est, quòd defacto unio educatur ex sola materia, ergo. A. prob. 1mò. Quia sola materia disponitur præviè ad unionem. 2dò. Quia sufficienter salvari potest, quomodo unio perficiat formam in ratione compositi, seu entis completi, etsi non educatur ex forma: quemadmodum anima hominis perficit intrinsecè materiam in ratione compositi, etsi non educatur ex eadem. Ad perficiendum enim aliquid intrinsecè non requiritur aliud, quàm ut perficiens recipiatur in illo, seu subjectivè deinde, seu purè receptive, id est terminativè, & ut id, quod perficiendum est, sit capax recipiendæ perfectionis.

Dices contra 1mò. Denominatio uniti est formæ intrinseca, ergo non potest haberi nisi ab aliquo sibi intrinseco. 2dò. Unionis modificatum est etiam forma; sed modus debet educi ex suo modificato. 3tò. Ideo Unio Hypostatica non est subjectivè in verbo, quia hoc ab illa non perficitur, go à contrariò. 4tò. Forma in composito recipit eandem ubicationem subjectivè, quam materia, ergo & unionem; ad utramquè enim est æquè proportionata. 5tò. Finis causæ generantis est forma; ergo quidquid efficit propter formam, erit in forma; sed unionem efficit propter formam, ergo. R. Ad 1mum. C. A. D. C. ab aliquo sibi intrinseco subjectivè, N. C. receptive purè, seu terminativè, C. C. Ad 2dum. C. A. N. C. Potest enim modus, qualis est unio, creari, tunc ex neutro modifierum suorum educetur. Ad 3tium. N. causalem. Ideo enim verbum non perficitur ab

unione hypostatica, quia non est capax aquirendæ aliqujus novæ perfectionis. *Ad 4tum.* R. imò. N. A. Suppono enim ex materia de loco, diversâ ubicatione ubicari formam, diversâ materiam ejusdem compositi. R. 2dò. tr. A. N. C. cum sua probatione. Forma enim respectu unionis ad præstandum suum munus composito nunquam aliter se habet, quàm ut purus actus physicus: respectu autem ubicationis, cum sit indifferens, ut existat vel non, habet se per modum potentiæ, ergo hæc educetur ex illa, non unio. *Ad 5tum.* D. A. est forma unienda C. secus solum, N. & D. C. ergo quidquid efficit propter formam, erit in forma receptivè, vel subjectivè, C. C. semper subjectivè, N. C.

S E C T I O VII.

*Utrum Unio distingvatur ab actione educ-
tiva formæ?*

Dico cum *Urtado, Arriaga, Comptono, Linze lib. 5. tr. 3. Contra P. Suarez Disput. 13. Metaph. sect. 9.* Unio distingvitur realiter ab actione educitiva formæ materialis. Prob. Unio est causalitas, seu exercitium, per quam materia, & forma causant, seu constituunt totum; sed causalitas, per quam materia, & forma causant, seu constituunt compositum, non potest esse causalitas illa, quæ ex materia producit hanc determinatam formam materialem, ergo. prob. m. Causalitas, quâ materia, & forma constituunt, seu causant totum, est naturâ posterior ipsâ materiâ, & formâ, omnis enim causalitas est naturâ posterior suâ causâ; sed illa causalitas, quæ ex materia produ-
cit

cit formam, nequit esse posterior formâ, nulla enim actio productiva est posterior suo termino, seu effectu per illam producto, ergo.

Dices contra *imò*. Actio eductiva formæ ab eisdem unione non est separabilis, ergo nec distincta. *ꝛ*. *imò*. N. A. quid enim in separatione tali foret implicitæ? *ꝛ*. *2dò*. tr. A. N. C. Nec homo existens est separabilis à DEO, & tamen ab illo realiter distinguitur.

Dices *2dò*. Forma per actionem eductivam est in materia, cum per illam dependeat à materia; ergo per actionem eductivam unitur materiæ. *ꝛ*. D. A. forma per actionem eductivam est in materia, tamquam actus in potentia, informans, & perficiens illam in ratione compositi, N. A. Est in materia tamquam in potentia, dependendo solum ab illa in suo esse reali, C. A. & N. C. Ad probat. similiter D. A. forma per actionem eductivam dependet à materia, tamquam à causa quoad suum esse reale, & existentiam, C. tamquam actus à potentia, perficiens illam in ratione compositi, N. A. hoc *2dò* modo esse formam in materia est uniri materiæ, non *Imò* modo.

Dices: Forma per actionem eductivam actuat materiam; ergo est in materia per illam, tamquam actus in potentia. *ꝛ*. D. A. Actuat materiam reducendo ejus potentiam ad actum, tamquam extremum unibile, & secum componens aliquod compositum, N. A. actuat illam, reducendo ejus potentiam causativam formæ ad actum causationis, & sustentationis ipsius, C. A. & N. G. Unde ex hoc solum sequitur, quod per actionem eductivam forma sustentetur à materia, & consequenter radicaliter, seu connexive physice uniat, non autem quod uniat formaliter.

Dices

Dices iterum : Actio eductiva formæ constituit formaliter materiam causantem, & simul patientem ; sed pati materiam, est formaliter recipere formam ; go actio eductiva constituit materiam formaliter recipientem formam : recipi autem formam in materia, est uniri, go. R. eodem pacto. C. M. D. m. pati materiam, est formaliter recipere formam vel tamquam actum determinantem materiam ad certam speciem Entis completi, seu perficientem in ratione compositi, vel solùm tamquam effectum in causa depeadentem ab illa in suo esse reali, C. m. semper est imo modo recipere, N. m. & C. Quorum omnium ratio est, quia cùm non implicet formam educi ex materia, nec tamen illam uniri eidem, non probatur, quòd per eductivam actionem sui sit forma in materia tamquam in subiecto informationis, adeoque actus perficiens, & complens illam in certa specie Entis completi ; sic enim per actionem eductivam est solùm radicaliter, quatenus forma educta connaturaliter exigit uniri materiæ.

Dices ultimò : Eductio cùm sit simul passio, & modus materiæ, & formæ, unitur per se ipsam materiæ, & formæ simul ; go etiam unit materiam, & formam inter se. Prob. C. Quia si eductio se ipsâ unitur materiæ, & formæ, materia & forma uniuntur uni tertio ; go etiam uniuntur inter se, quia impossibile est aliqua identificari cum uno tertio, vel penetrari, nisi etiam identificentur, vel penetrentur inter se ; go etiam uniri uni tertio erit impossibile, nisi uniantur inter se. R. Imò. Non esse necessarium, ut actio eductiva utriquè extremo uniat, sed satis est, si uniat materiam ; formam verò tamquam terminum respiciat solùm extrinsecè, quemadmodum actio transiens respicit solùm extrinsecè causam sui producti-

Quam. R. 2dò. tr. A. N. C. Ad prob. C. A. N. C. ad hujus probat. C. A. N. C. Cujus falsitas patet ex hoc: si albedo replicata supernaturaliter informet parietem *a* Tyrnaviæ, & parietem *b* Pösonij, uterque paries erit unitus uni 3tio, nempe albedini: eruntne tamen illi duo parietes uniti etiam inter se? Item, si duo corpora compenetrentur in eodem loco, & unâ ubicatione ubicentur, utrumquè uniatur illi ubicationi tamquam uni 3tio, & tamen inter se non debent uniri, ergo.

S E C T I O VIII.

Utrum Totum distingvatur à Partibus simul sumptis?

DIco Contra communem Scotistarum: Impossibile est, ut totum distingvatur realiter à suis partibus sumptis collectivè, Prob. Si Totum compositum, v. g. Humanum, esset aliquid realiter distinctum ab omnibus partibus simul sumptis, ex. gr. aliqua forma Totalitatis distincta realiter, & adæquatè à materia prima, forma, seu anima rationali, & unione, vel illa forma Totalitatis se solâ esset adæquata essentia compositi humani, seu totius, vel solummodò pars illius; neutrum dici potest, go. M. est certa. quia si nec esset essentia tota, nec pars essentiæ totius, esset adæquatè extra essentiam totius, adeoque per illam non posset distingvi totum à partibus simul sumptis: sicut paries per formam ligni non distingvitur à suis tegulis. Prob. m. Imprimis non potest dici, quòd illa forma totalitatis esset tota, & adæquata essentia totius compositi, v. g. Humani, alias ani-

mag

ma, & corpus non essent partes essentielles compositi humani: Illud enim non est pars alicujus totius, sine quo habetur tota, & adæquata essentia illius totius; sed sine anima, & corpore haberetur tota, & adæquata essentia compositi humani, cum forma illa totalitatis realiter, & adæquatè distincta ab anima, & corpore, se solâ esset tota, & adæquata essentia hujus compositi, ergo.

Probatur etiam 2da Pars, nempe quòd forma illa totalitatis nec possit dici pars essentiæ compositi humani: Si forma illa totalitatis esset pars essentiæ adæquatæ compositi humani, non posset realiter adæquatè distingvi ab omnibus partibus compositi humani collectivè sumptis; sed, ut Scotistæ supponunt, distingveretur; ergo distingveretur, & non distingveretur. M. prob. Illa forma totalitatis à se ipsa adæquatè non potest distingvi; sed ipsa esset pars; ergo ab omnibus partibus compositi humani sumptis collectivè non distingveretur.

Dices imò. Materia, forma, & unio sunt causa compositi; sed omnis causa distingvitur à suo effectu; ergo materia, forma, & unio distingvuntur à composito, tamquam suo effectu. R. D. M. Materia, forma, & unio sumpta collectivè sunt causa compositi N. M. sumpta distributivè sunt causa compositi subd. sunt causa intrinseca, C. M. extrinseca, N. M. & C. m. N. C. Materia igitur, forma, & unio sumpta collectivè, nec intrinseca nec extrinseca causa sunt compositi, quia sic sumpta non constituunt compositum, sed sunt ipsum constitutum resultans ex partibus distributivè sumptis, se componentibus.

Dices: Materia, & forma non aliter causant, seu constituunt compositum, nisi ut unitæ; sed ut unitæ sunt partes sumptæ collectivè; ergo materia, forma,

ma, & unio sumpta collectivè sunt causa compositi. *R.* D. M. nisi ut unitæ, si ly ut ita reduplicet supra unionem, ut propositionis illius subjectum sit materia, forma, & unio simul sumpta, de quibus affirmetur hoc prædicatum *constituunt*, seu *causant*, N. M. quæ si esset vera, necessariò hæc propositio falsa: *Collectio ex materia, forma, & unione, est constitutiva compositi, esset vera.* Si ly ut ita reduplicet super unionem, ut unio sit solùm quid objectivū per illam repræsentatum, & prædicatum *causant*, seu *constituunt*, affirmetur de materia, forma, & unione sumptis distributivè, C. M. & similiter distincâ m. N. C.

Dices: Omnes partes compositi sumptæ distributivè causant compositum; go etiam omnes sumptæ collectivè, quia omnes distributivè sunt omnes collectivè. *R.* C. A. N. C. cum sua prob. *omnes enim distributivè, significat: qualibet seorsim; omnes autem collectivè, significat: collectio omnium.*

Dices: Materia, forma, & unio etiam sumptæ collectivè sunt partes; sed quâ ratione sunt partes, causant, ergo. *R.* N. M. Sic enim sumptæ sunt collectio partium; collectio autem partium non est pars, sed ipsum totum,

Dices: Materia, forma, & unio distributivè sumptæ sunt partiales causæ intrinsecæ totius, seu compositi, go collectivè sumptæ erunt causa totalis intrinseca. *R.* C. A. N. C. Complexum enim ex causis partialibus fit una causa totalis tunc solùm, quando causæ illæ partiales, ex quibus resultat illud complexum, erant extrinsecæ causæ, non autem, si fuerunt intrinsecæ; In causis enim intrinsecè causantibus, seu constituentibus, implicat causa totalis, & adæquata. Quia causa intrinseca omnis causat ut pars totum illud, cujus est causa, siquidem omnis causa intrinseca cau-

sat

fat constituendo, seu se communicando alteri com-
parti, cum qua constituit totum. In terminis autem
implicat, ut aliquid sit pars adæquata, quia implicat
in terminis, aliquid ita esse partem totius, ut præ-
ter hoc nihil aliud sit pars; pars autem adæquata sic
deberet esse pars, go.

Hinc observa bene imò, Dum dicimus materi-
am, formam, & unionem seorsim sumptas, esse sin-
gulas partes inadæquatas totius, seu compositi, hoc
non ideo dicitur, quasi illæ continerentur in una adæ-
quata parte, sed ideo, quia nulla est adæquata. 2do.
Dum dicimus Totum, seu compositum esse effectum
adæquatum intrinsecum materiæ, formæ, & unionis,
non hoc sensu dicimus, quod is habeat aliquam sui
causam adæquatam intrinsecam, sed quia causarum
inadæquatarum, seu partium constituentium illud,
non datur alius effectus, præter ipsum totum. Ex
his Infero. Falsum esse univexsal ter, quod in omni
eo genere, in quo datur causa partialis, debeat etiam
dari causa totalis, & adæquata.

Obj. 2do. *Arist. 7. Met. t. 60. ait syllabam Ba
non esse b. & a. 3tio. Partibus collectivè sumptis con-
veniunt prædicata, quæ non conveniunt toti; Toti
enim convenit, quod sit generabile, corruptibile: par-
tibus autem collectivè sumptis, maxime compositi hu-
mani, hoc non convenit. Item: Totum ridet, ambulat,
scribit &c. Partes collectivæ sumptæ non ridet,
non ambulant, non scribunt. &c. Item Totum est
una entitas, partes collectivè sumptæ non sunt una
entitas. R. *Arist. locutum esse syllabam ba non esse
b. & a. sumptam seorsim sine omni unione, ut patet ex
contextu ejusdem ibidem. Ad 3tium N. A. ad prob.
imam Dico: Partes collectivè sumptas esse generabi-
les, & corruptibiles eâ generatione, & corruptione,
quâ**

quâ est totum generabile, & corruptibile: videlicet vel generatione solius unionis, vel unionis simul, & formæ. Ad 2dam probat. R. eodem modo, quo totum ridet, vel ambulat, etiam partes simul sumptæ rident, ambulant. Ad 3am D. A. Totum est una entitas, unitate simplicis entitatis, N. unitate entitatis compositæ, C. A. Hâc autem unitate etiam partes collectivè sumptæ sunt una Entitas.

Objicies ultimò. Si compositum humanum non esset quidquam aliud, quàm materia, forma, & unio, Petrus specie differret à Paulo, quia utriusq; unio inter se specie differret. R. D. A. differret specie ut quo, C, ut quod, N.

SECTIONO IX.

De Ente Relativo.

Dico Imò. Dantur nemine cogitante relationes prædicamentales formaliter tales. Prob. Independentè ab Intellectu album *a.* est simile formaliter albo *b.* & formaliter dissimile nigro *c.* go independentè ab Intellectu dantur relationes prædicamentales similitudinis, dissimilitudinis &c. formaliter tales. A. negari non potest, quia formaliter similia sunt, quorum qualitas est eadem: albi autem *a.* & albi *b.* nemine cogitante qualitas est eadem, go.

Dices: relatio est respectus; nemine verò cogitante non datur respectus, quia respectus est comparatio unius cum alio, comparatio autem est actus intellectûs, go. R. Respectus formalis non est comparatio Intellectûs, sed comparabilitas objectiva: quemadmodum distinctio non est negatio, sed negabilitas.

Q

Dico

Dico 2dò. Relatio prædicamentalis sumpta in concreto non consistit formaliter in entitate aliqua modali, resultante ex fundamento, ratione fundandi, & termino simul sumptis. est contra Thomistas, quibus favet Maurus hic q. 54. Prob. Hoc ipso, quòd paries albus *a.* coëxistat parieti albo *b.* independenter ab omni modo alio superaddito, existunt duo, quorum qualitas est una; ergo existit similitudo formalis, atq; adeo relatio, & per consequens modus superadditus fundamento, termino, & rationi fundandi, est superfluous. Nec valet dicere, parietes illos esse similes tantum fundamentaliter independenter à modo ex illis resultante: Aliàs eodem pacto dicam, corpus, animam, & unionem non esse formaliter hominem, sed solum fundamentaliter; formaliter verò hominem haberi per entitatem modalem, resultantem ex corpore, anima, & unione. Deinde si Deus ab utroq; pariete albo invicem coëxistente tollat modum illum ex iisdem resultantem, uterque paries erit similis invicem in hoc, quòd neuter haberet illam entitatem modalem; hæc autem similitudo esset formalis. Juxta Doctrinam enim hujus sententiæ non possunt sic existentes esse similes solum fundamentaliter, quia juxta hanc doctrinam similitudo fundamentalis est illa, quæ per entitatem modalem, resultantem ex fundamento, termino, & ratione fundandi, fit formalis; hæc autem per talem entitatem non fieret similitudo formalis, siquidem per supervenientem talem Entitatem potius similitudo illa tolleretur, utpote sita in carentia entitatis modalis, ergo.

Dico 3tiò. Relatio prædicamentalis in concreto non est adæquatè identificata fundamento, terminum solum extrinsecè connotanti. Prob. Præcisè ablato pariete albo *b.* per locum intrinsecum aufertur relatio actual-

actualis parietis albi *a.* ad parietem album *b.* go relatio actualis parietis albi *a.* ad parietem album *b.* non est adæquatè distincta à pariete albo *b.* seu termino. *C.* est evidens, quia nulla essentia aufertur formaliter, & per locum intrinsecum, quando præcisè aufertur aliquid ab illa adæquatè distinctum, & nec ipsa tota, nec ulla ejusdem pars constitutiva aufertur. *A.* autem prob. præcisè ablato pariete albo *b.* aufertur relatio parietis albi *a.* sed non aufertur solum consequenter, & per locum extrinsecum; go aufertur per locum intrinsecum, & formaliter. *m.* prob. Tunc aliquid pereunte altero perit consequenter, quando cum hoc essentialiter connectitur, & essentialiter ab eo dependet quoad sui existentiam. Hinc accidens absolutum pereunte subjecto solum connaturaliter dicitur perire, non verò necessariò, quia non dependet essentialiter quoad sui existentiam à subjecto: è contra modus pereunte modificato, visio pereunte objecto, &c. dicuntur perire necessariò absolute, & non solum necessariò consequenter, seu per locum extrinsecum, quia cum his connectuntur essentialiter, & dependent essentialiter ab illis quoad sui existentiam; sed fundamentum relationis non dependet essentialiter quoad sui existentiam à termino; go si relatio sit adæquatè identificata fundamento, pereunte termino nequit dici, quòd pereat solum consequenter, & per locum extrinsecum. go vel non perit, vel si perit, perit formaliter, & per locum intrinsecum. adeoque terminus erit ejusdem pars constitutiva, & non connotatum solum extrinsecum.

Communis responsio est Patronorum contrariæ Sententiæ: ablato præcisè pariete albo *b.* auferri quidem relationem actualem parietis albi *a.* ad parietem album *b.* sed solum quoad denominationem, non verò quo-

ad entitatem. Contra est : Esse relationem actuali-
lem quoad denominationem, seu obliquum, vel quâ-
cunque tandem utaris phrasi, vel ad sui veritatem for-
malem requirit aliquid plus, quàm requirat hoc, quod
est esse relationem actualem quoad entitatem, vel non?
Si non, go quemadmodum ablato præcisè termino,
manet tota relatio actualis quoad entitatem, ita ma-
nebit etiam quoad denominationem. Si *immut.* ergo
terminus relationis erit pars constitutiva hujus veri-
tatis : *Existit relatio actualis quoad denominationem ;*
Siquidem præcisè ablato termino, aufertur illa.

Confir. Essentia, seu absoluta sit, seu respecti-
va, non est aliud, quàm omnia sui constitutiva; go
quemadmodum est impossibile, perire essentiam abso-
lutam formaliter, nisi vel ipsa tota pereat, vel aliqua
ipsius pars constitutiva : ita impossibile est, ut pere-
at formaliter essentia respectiva, nisi vel ipsa tota,
vel aliqua ipsius pars constitutiva pereat.

Dico 4^{to}. Relatio prædicamentalis in concreto
non habetur in solo fundamento, & adæquata ratio-
ne fundandi ita, ut terminus sit solùm conditio natu-
raliter requisita ad relationem prædicamentalem. Est
contra multos RR. Prob. Ablato præcisè termino, v. g.
pariete *b.* & conservatâ divinitûs albedine *b.* sinè sub-
jecto, tollitur formaliter relatio similis ; go relatio-
nis hujus pars constitutiva fuit etiam terminus, seu
paries *b.* A. prob. similia juxta Philosophum sunt,
quorum qualitas est una ; sed in hoc casu non darentur
similia, adeóq; nec relatio rei similis. Hinc licèt per-
eunte pariete *b.* & conservatâ divinitûs albedine *b.* duæ
hæ albedines dicerent adhuc relationem *similitudinis*
(NB. quamvis non desint AA. docentes hanc rela-
tionem esse unitatis essentiæ, qualis est inter homi-
nem Petrum, & hominem Paulum, non autem *simi-*
litu-

litudinis; quia ajunt, similitudo est unitas qualitatis in pluribus, quod in hoc actu non haberetur, cum albedo *b.* non esset in subjecto) non dicerent tamen Relationem *similis*.

Dico *stò.* Relatio prædicamentalis in concreto adæquatè sumpta consistit formaliter in fundamento, ratione fundandi, & termino. Ita *Oviedo contr. 9. Met. p. 4. Deqv. disp. 27.* Prob. Præcisè positis his tribus, ponitur relatio prædicamentalis in concreto, & præcisè horum non posito aliquo, non ponitur; go hæc tria sunt tota essentia relationis prædicamentalis in concreto sumptæ.

S E C T I O X.

Solvuntur Objectiones.

CONtra *imam* conclus. Obj. *imò.* Unitum physicum habetur per modum, go etiam relatio realis. *R.* C. A. N. C. disp. est, quod materia, & forma, etiam dum simul existunt, sint adhuc indifferentia ad denominationem compositi physici; paries autem albus *a.* & paries albus *b.* dum simul existunt, non sunt indifferentes ad similitudinem.

Dices: Hoc ipsum *simul existere*, seu *coexistere*, habetur per modum, go. *R.* D. A. Habetur per modum superadditum ipsi rationi fundandi proximæ, & adæquatæ, N. per modum constituentem ipsam rationem fundandi in esse proximæ, & adæquatæ talis, C. Albedo enim non quomocunque existens, est ratio proxima fundandi similitudinem inter duos parietes, sed existens ut unita quælibet suo parieti, & si-

mul ut affixa quælibet per suam durationem ad certam, eandemque differentiam temporis.

Obj. 2dò. Ex duobus absolutis nequit fieri respectivum, sicut ex duobus nigris album; sed paries albus *a.* existens in instanti *a.* est quid absolutum, & pariter paries albus *b.* existens in eodem instanti *a.* est quid absolutum, go. R. D. M. Si sint absoluta duo talia, ut nec partialiter sint relativa, C. M. Si tamen partialiter sint relativa, N. M. Paries enim albus *a.* existens in instanti *a.* est quidem absolutum quid, ita tamen, ut saltem partialiter sit quid relativum etiam, siquidem habet prædicatum comparabilitatis, vi cujus cum fundamento in re comparari potest intentionaliter cum alio pariete albo. Illa autem comparabilitas est relatio, go.

Obj. 3tò. Decrescente perfectione absolutâ, non necessario decrescit perfectio relativa; go hæc non potest identificari absolutæ, adeòque consistet in superaddito aliquo modo. R. D. A. Decrescente perfectione absolutâ illâ, quæ solum materialiter se habet respectu relationis similitudinis, non necessario decrescit perfectio relativa, C. A. quæ se habet formaliter, N. A. & C.

Obj. 4tò: Relatio est forma, cujus totum esse est ad aliud; entitatis absolutæ non est totum esse ad aliud; go hæc non potest esse forma relationis. R. D. M. Cujus totum esse est ad aliud, si forma hæc consideretur præcisivè, seu abstractivè sub solo conceptu relationis, C. M. Si consideretur, prout illa est in statu reali, N. M. & similiter distinctâ m. N. C.

Obj. 5tò. Duo parietes albi non referuntur ad se invicem intentionaliter, si cognoscantur per duas diversas cognitiones absolutas; ergo nec referentur ad invicem objectivè, & realiter per duas formas absolutas, quia modus cognoscendi sequitur modum essendi.

R. C. A. N. C. ad prob. D. assumptum : Modus cognoscendi sequitur modum essendi in aliquibus, C. in omnibus, N. Proportionatur autem sufficienter in hoc, quod affirmet, vel neget id de objecto, quod eidem revera convenit.

Dices : Relatio est accidens ; fundamentum, & terminus non est, saltem semper, accidens, go. R. D. M. Est accidens vel logicum, vel physicum, C. semper physicum, N. adeoque potest identificari substantiæ.

Contra 2dam conclusionem Obj. imò. Relatio juxta Philosophum est ad aliud ; terminus non est ad aliud, go non est relatio. R. D. M. Relatio sumpta inadæquate, id est pro eo, pro quo supponit, & quod importat in recto, C. M. sumpta adæquate pro omnibus suis constitutivis, N. M. & C. m. N. C.

Dices 2dò. Fundamentum per terminum non potest constitui relativum, go. R. D. A. Non potest constitui fundamentum per terminum in esse relativi, secundum quod esse relativum dicit in recto, C. A. secundum quod dicit in obliquo, N. A. Relativum igitur in recto dicit subjectum, quod denominatur referri, in obliquo formam, per quam denominatur : hæc est ratio fundandi proxima, eamque in esse proxime, & actu denominantis constituit etiam terminus.

Contra 3tiam conclus. Obj. imò. Essentia relationis in concreto habetur per illud, per quod habetur essentia hujus concreti *relatum* ; sed hujus essentia habetur per solum subjectum, & formam, quemadmodum denominatio *visi*, *cogniti* &c. habetur per solum subjectum, & formam eidem unitam. Subjectum autem hujus concreti *relatum*, est fundamentum, & forma est ratio fundandi, go. R. C. M. D. m. Per subjectum, & formam adæquatam,

C. inadæquatam tantùm, N. & D. pariter subf. m. sub-
jectum hujus concreti *relatum*, est fundamentum, &
forma ac ratio fundandi adæquata, & in actu 2do deno-
minans, C. inadæquata, & solùm in actu primo re-
motè denominans, N. subf. Ratio fundandi au-
tem in esse actu denominantis, seu referentis, constitu-
tur etiam per existentiam termini. Siquidem non aliter
denominat actu, nisi quatenùs existit unita termino,
cùm finè hac existentia non haberentur plura, quo-
rum qualitas est una. Hæc autem existentia consti-
tuitur per terminum tamquam subiectum, cùm hujus
concreti *unita ratio fundandi* subiectum sit terminus,
ergo.

Dices: Ex hac responsione ratio fundandi, in esse
proximæ, & actu denominantis, constituitur etiam per
terminum; ergo non sola ratio fundandi proxima, sed
etiam terminus erit relatio prædicamentalis in abstra-
cto, quod est contra communem. R. me dixisse, rati-
onem fundandi in ratione *actu denominantis, seu actu*
referentis, constitui per terminum; non autem in
ratione virtutis potentis denominare, seu referre. Sen-
tentia verò docens relationem in abstracto consistere
in ratione fundandi proxima, & adæquata, intelligit
in adæquata virtute referendi fundamentum ad termi-
num. Duas enim ratio fundandi adæquata, & pro-
xima formalitates habet: unam, quòd habeat virtutem
adæquatam referendi fundamentum ad terminum; al-
teram, quòd actu referat, seu denominet fundamen-
tum referri ad terminum. Hanc secundam constituti-
vè ingreditur terminus, primam verò non, & in pri-
ma consistit relatio in abstracto. Instantia hujus est in
igne *a.* causante ignem *b.* qui in ratione causantis in
actu 2do constituitur etiam per circumstantias; non
verò in sola virtute causativa.

Contra

Contra *4tam* conclus. Obj. Si principium illud : quo *præcisè* posito *Sc.* valeret etiam in essentijs respectivis, tunc non posset quis licitè amare dissimilitudinem inter bonos mores Pauli, & malos Petri, quia deberet amare malos mores Petri, qui constituerent illam dissimilitudinem : Eodem pacto peccatum constitueretur per legem DEI : Item DEUS non posset amare pœnam vindicativam peccati &c. *R. D.* seqv. Deberet amare malos mores Petri, si amaret dissimilitudinem totam quidditivè, C. si amaret illam solum totam denominativè, N. Igitur ex sententia nostra sequitur, quòd peccatum, dissimilitudo &c. constituatur per legem DEI, & v. g. per mores bonos, si illa sumantur quidditivè, hoc est, pro tota collectione aggregati illius, quod aggregatum importatur per has voces : *peccatum, pœna, dissimilitudo, Sc.* & sic sumpta hæc nunquam tota amari possunt sinè absurdo ; non verò si sumantur eadem denominativè, hoc est, secundum illam collectionis partem constitutivam talis aggregati, quam importat in recto.

Néque dicas hinc sequi, quòd Pater constituatur per Filium, cum *esse Patrem* significet collectionem aggregati ex duobus hominibus, & actione generativâ. *R.* enim, si vox *Pater* accipiatur pro tota collectione, quam vox *Pater* repræsentat, C. si sumatur præcisè pro parte illa, quæ in aggregato illo importatur in recto, & sustinet denominationem significantam per vocem Patris, N. Idem est de omnibus similibus concretis.



S E C T I O XI.

In quo consistat Relatio transcendentalis?

Dico imò. Relatio transcendentalis in concreto est adæquatè intrinseca soli fundamento, ita ut terminus nullo modo intrinsecè eam constituat. Est *Ovi-edi Contr. 10. Met.* Probatur: Relatio transcendentalis est id, per quod essentialiter connectitur fundamentum cum termino; go debet esse adæquatè intrinseca soli fundamento. prob. C. Illud, quod essentialiter connectit fundamentum cum termino, debet esse de essentia fundamenti; sed id, quod est de essentia alicujus, debet esse adæquatè eidem intrinsecum, go. M. patet. Id, quod accidentaliter connectit unum alteri, debet esse accidens respectu ejus; go id, quod connectit essentialiter, debet esse essentielle ei, seu de essentia illius, quod connectit, go.

Dices contra imò, Relatio prædicamentalis constituitur intrinsecè etiam per terminum, go & transcendentalis. R. C. A. N. C. disp. est, quòd præcisè ablato termino, & existente fundamento cum ratione fundandi, v. g. duabus albedinibus, non maneat relatio rei similis: E contra ablato præcisè termino, & existente per possibile, vel impossibile fundamento, & ratione fundandi, manet relatio transcendentalis, ut patet in DEO ad creaturas possibles, quas nunquam producet, in Cognitione cognoscente impossibile &c. Et ratio hujus à priori est, quòd ratio, propter quam prædicamentally refertur paries albus *a.* ad parietem album *b.* non sit adæquatè intrinseca parieti *a.* sed etiam partialiter constituitur per albedinem unitam parieti *b.*
cùm

cùm sit accidentalis tantùm forma referendi. E contra verò hic, quia ratio referendi est essentialis fundamento, non potest esse etiam partialiter eidem extrinseca. Essentialiæ enim rerum non habentur per aliquid ab iisdem distinctum.

Dices adò. Terminus fundamentum ad se transcendentaliter relatum distingvit ab omni ente absoluto; go constituit illud in esse relativi, siquidem res distingvitur per id, per quod constituitur. A. pr. Quia omne ens relativum distingvitur per hoc, quòd sit ad aliud; sed ly ad aliud est terminus, go. R. N. A. ad prob. D. M. Per hoc, quòd sit ad aliud, hoc est, per hoc, quòd dicat intrinsecam aliquam connexionem ad aliud à se distinctum, & extrinsecum, C. M. Per hoc, quòd sit ad aliud, hoc est, quòd ly aliud sit ejusdem distinctivum, N. M. & C. m. N. C.

Dices 3tiò. Relatio transcendentalis plus dicit in concreto, quàm in abstracto; sed non diceret plus, si non constitueretur per terminum, go. R. D. M. dicit plus ratione nostrâ, C. M. plus realiter, N. M.

S E C T I O XII.

Resolvuntur nonnulla quesita circa Relationem in communi.

Quæres imò. Utrum causa increata dicat relationem transcendentalem ad effectus possibles? R. & Dico: Causa increata, seu DEUS, dicit relationem transcendentalem ad effectus tam possibles, quàm impossibles. Ita *Isquierdo tom. 1. de DEO tr. 2. disp. 4. Prob. 1ma pars*: Quia implicante quâcunque creaturâ possibili implicaret DEUS, quoniam impli-
caret

caret in DEO potentia talis creaturæ productiva, quæ est prædicatum DEO identificatum, utpote quæ implicante creaturâ possibili redderetur essentialiter otiosa, & frustranea, quia nunquam reducibilis in actum secundum in ulla hypothese possibili, quod implicat in DEO, cum sit imperfectio, ergo.

Néque dicas cum *Oviedo*, potentiam illam in DEO non fore essentialiter otiosam, quia adhuc, quantum est ex se, posset producere creaturam, si hæc foret possibilis. *Con.* à enim est, quod admittâ hanc potentiâ conditionatâ DEO, nulla esset ratio negandi defecto in igne dari potentiam productivam Angeli, in homine potentiam productivam chymæræ, in suppositione, in qua Angelus, & homo haberent sibi identificatam non repugnantiam, ut ab illis producantur naturaliter, & multa alia absurda.

Prob. etiam 2da pars *Concl.* Si effectus impossibiles fierent possibiles, DEUS fieret impossibilis, *go.* *prob. A.* Si chymæra fieret possibilis, DEUS vel non esset Omnipotens, vel acquireret aliquod prædicatum sibi intrinsicè identificatum, quod prius non habuit. Vel enim talem creaturam posset producere, vel non? si ita, tunc acquireret novum prædicatum, nempe potentiam productivam chymæræ: si non, hoc ipso non esset Omnipotens, quia non posset omnia non repugnantia, nempe chymæram (quæ in hac hypothese reddita esset non repugnans) producere.

Obj. inò. DEUS in suo esse non dependet à creaturis; *go* licet ex possibilibus fierent impossibiles, DEUS existeret, adeoque non connectitur cum illis essentialiter. *A.* est certum, quia DEUS est *Ens à se*, *go* in suo esse non dependet ab ullo à se distincto. *C.* 1ma. *prob.* Omnis interitus rei est ex defectu alicujus, à quo res talis dependet; ergo si Deus non dependet à creaturis

turis, etiam deficientibus illis nihil tale deficit, à quo dependeret, adeòq; nec deberet interire. R. imò. cum P. Martinez contr. 2. DEI scientis disp. 4. sect. 4. C. A. N. C. ad hujus prob. N. A. Ad hoc enim, ut deficientibus creaturis possibilibus DEUS deficiat, saltem mediatè, non requiritur, ut dependeat ab illis in suo esse, sed satis est, quòd cum ipsis connectatur ut termino, in quem possit refundere bonitatis suæ divitias, quem infinita fecunditas, & bonitas DEI essentialiter exigit, ut eidem se possit communicare: quo deficiente, utiquè huic exigentiæ DEI contraveniretur, siquidem nunquam esset reducibilis in actum, consequenter his deficientibus DEUS deficeret saltem mediatè.

R. 2dò. D. A. DEUS in suo esse non dependet à creaturis dependentiâ à priori, C. dependentiâ à posteriori, N. A. ad hujus prob. D. A. DEUS est *Ens à se*, id est, independens ab omni alio, influente in existentiam DEI per influxum aliquem causalem, C. A. tamquam termino puræ connexionis, terminante DEI ad se respectum, N. A. & sub eadem D. reliqua.

Instabis imò. Si deficientibus creaturis possibilibus deficeret DEUS, indigeret iisdem ad sui existentiam, & non esset solus sibi sufficiens ad suam felicitatem, quod est contra SS. PP. go. A. patet, quæ enim est major indigentia alterius, quàm quando sine hoc existere nequit aliud? R. D. A. Si deficeret deficientibus illis tamquam deficiente aliquo influente in existentiam suam, C. tamquam deficiente termino solummodò puræ connexionis, terminante essentialiter infinitæ suæ fecunditatis connexionem, N. A. & sub eadem D. reliqua.

Instabis 2dò. Si DEUS dependeret à creaturis etiam ut termino connexionis, implicante muscâ im-

plica-

plicaret, go. R. D. A. Implicaret formaliter, & immediate, N. A. mediatè solùm, & consequenter, C. A. & N. C.

Instabis 3^{ti}o. Implicante muscâ non implicaret homo, go nec DEUS, qui minùs cum illa connectitur, quàm homo. R. D. A. Non implicaret intrinsecè, C. extrinsecè N. A. & C. Implicaret enim Omnipotentia, & hâc implicante virtus causativa hominis, & concursus cum causâ creata ad producendum hominem.

Instabis 4^{to}. Si DEUS diceretur independens à creaturis etiam ut termino connexionis, major statueretur in DEO perfectio, quia independentia significat perfectionem, dependentia verò imperfectionem. R. N. assumptum, & D. prob. Independentia possibilis significat perfectionem, C. chymærica, N.

Obj. 2^do. Connexio DEI cum creaturis possibilibus opponitur ejusdem necessitati in existendo, go repugnat. A. prob. Admissâ hâc connexionem, tam necessaria erit possibilitas Petri, quàm existentia DEI; hoc autem opponitur necessitati DEI in existendo, quia DEUS in necessitate existendi debet superare omnes creaturas. 2^do. DEUS foret magis necessarius, si posset existere etiam repugnante Petro, go. R. N. A. ad prob. N. M. Quia possibilitas Petri, ut diximus in Dissp. de Ente possibili, est necessaria necessitate solùm transcendentaliter tali, & sumpto ly est in vi copulæ. Existentia autem DEI est necessaria necessitate absolutâ, & simpliciter tali, quæ necessitas omninò est major, & illam omninò superat. Ad 2^dam prob. N. A. Quia hæc necessitas esset chymærica, siquidem DEUS deberet necessariò existere sinè sua omnipotentia.

Obj. 3^{ti}o. DEUS non connectitur cum possibilitate peccati; peccatum enim non est DEO bonum, go.

go. R. N. A. DEUS enim non connectitur cum peccato tamquam cum eo, quòd sibi est bonum, sed tamquam cum termino, quem respicit virtus permissiva DEI, & punitiva.

Obj. 4^{to}. In DEO datur solùm virtus conditionata producendi, ex suppositione quòd creaturæ sine possibiles, go cum illis non connectitur necessariò. A. prob. Vera est hæc argumentatio: *creatura est possibilis*, go *DEUS illam producere potest*. è contra hæc non valet: *DEUS potest producere creaturam*, go *creatura est possibilis*; go absoluta virtus producendi creaturam non est DEO identificata. R. N. A. ad prob. N. quòd 2da argumentatio non valeat; utraq; siquidem est bona, & vera, ima quidem formaliter, 2da causaliter.

Instabis: Si in DEO daretur virtus productiva solùm ex suppositione, esset perfectior, siquidem extenderetur etiam ad impossibilia, adeoque ad plures terminos: quemadmodum potentia cognoscitiva non solùm eorum, quæ sunt cognoscibilia, sed etiam eorum, quæ essent incognoscibilia, est perfectior. R. N. assumptum, implicat enim in DEO virtus talis, quæ foret essentialiter otiosa, & multorum absurdorum ferax.

Instabis 2^{do} Scientia DEI libera circa futura, maneret entitativè eadem, licèt ea, quæ modò sunt futura, non essent futura; go etiam virtus productiva in DEO maneret eadem entitativè, etiamsi illa, quæ modò possibilia sunt, fierent impossibilia. R. C. A. N. C. Disp. est, quòd licèt illa, quæ modò sunt absolute futura, non forent absolute futura, tamen quia adhuc essent producibilia, virtus cognoscitiva DEI absolute futurorum respectu illorum non esset essentialiter otiosa, posset enim reduci in actum ia
ali-

aliqua hypothefi possibili, in illa videlicet, in qua decerneret illorum productionem. E contra virtus productiva effet essentialiter otiofa, & frustranea, quia in nulla hypothefi poffet reduci in actum, cum impossibile nunquam fieri poffit possibile.

Dices: Eftò chymæra fit impossibilis, adhuc tamen DEUS est omnipotens; go etiam licet illa, quæ defacto sunt possible, fierent impossibilia, adhuc DEUS effet omnipotens. R. C. A. N. C. In DEO enim nunquam fuit potentia productiva chymæræ, adeoque implicante chymærâ nulla potentia DEO identificata deficit. Hoc autem fieret, si possible fierent impossibilia.

Quæres 2dò. An detur relatio ejusdem ad seipsum? R. Negativè. Prob. 1mò. Relatio rationis est inter duo distincta ratione; go relatio realis etiam est inter duo distincta realiter. 2dò. Relatio realis est verus nexus realis; sed verus nexus realis non potest esse nisi inter duo; go relatio realis nequit esse nisi inter duo. m. prob. Omnis nexus ex suo conceptu est inter duo; go omnis nexus realis erit inter duo realiter distincta. 3tò. Quæ dicunt Relationem realem ad invicem, sunt sibi opposita realiter; idem sibi ipsi non opponitur realiter, go nec refertur ad seipsum realiter. M. patet ex SS. PP. & Theologis, qui ideo asserunt dari distinctionem realem inter tres *Personas SSS. Trinitatis*, quia datur inter illas relatio realis; go inter quæ datur Relatio realis, datur etiam distinctio realis.

Pro Objectionibus *Nota* 1mò. Duplum juxta Aristot. refertur ad dimidium, sed non ad illud dimidium, quod est inclusum in duplo, sed quod non est inclusum. 2dò. Cognitio cognoscens parietem refertur realiter ad parietem, non tamen refertur realiter ad

ad seipsam, cognoscens se reflexè, si cognitio hæc reflexa non sit realiter alia à priori, quia solum inter priora est nexus realis. 3^{tiò}. Juxta Arist. Relatio est ad aliquid, hoc est, ad aliud quid à fundamento. Unde dum dicit Aristoteles: *Relatio est esse ad aliud*, significat *ad id*, quod est aliud à fundamento.

Quæres 3^{tiò}. An Relatio terminetur necessariò ad absolutum, vel respectivum? R. Terminum quàm talem non esse necessariò respectivum. Prob. Non omnis relatio est mutua; sed in Relatione non mutua terminus quàm talis non est respectivus, aliàs hoc ipso esset relatio mutua, go. Prob. 2^{dd}. Nec in relatione mutua terminum quàm talem esse necessariò respectivum, imò, quia si Relatio mutua per possibile, vel impossibile non esset mutua, terminus quàm talis non esset respectivus, & tamen maneret tota ratio relationis. 2^{dd}, quia sequeretur idem referri ad seipsum. Si enim Paternitas referretur ad filiationem ut respectivam, tunc referretur ad eam ut constitutam per actionem generativam, sed actio generativa est constitutiva ipsius Paternitatis, go referretur ad seipsam.

Pro Objectionibus Notandum est imò. Commune illud adagium: *Relativa sunt simul cognitione, & definitione*, intelligitur, quòd cognitionem relativorum, & definitionem ingrediatur terminus non ut fundans respectum, sed ut terminans nexum. 2^{dd}. In Divinis relatio Paternitatis est ad terminum respectivum ideo, quia terminus, nempe Filiatio, ex sua essentia est respectivus, & non habet aliud esse, quàm respectivum. 3^{tiò}. Relativa sunt opposita, hoc est distincta. 4^{to}. Dum dixit Arist. Dominum referri ad servum non ut homo est, sed ut servus est, intellexit quòd in Relatione

Domini ad servum partialem rationem fundandi non humanitas, sed servitus constituat.

Quæres 4^{to}. An ad multiplicationem solius subiecti multiplicetur Relatio accidentalis, v. g. an si eadem albedo ponatur per replicationem in 5. parietibus, fiant 5. relata similia? R. affirmative, quia haberentur plura, quorum qualitas est una, 6^o plura similia.

DISPUTATIO III.

De Ente Infinito, Continuo, æterno.

SECTIO I.

An Ens infinitum categorematicè sit possibile?

Dico : Ens creatum categorematicè infinitum implicat. Probatur cum *Spinula hic Diss. 9. sect. 2da*. Implicat talis entitas, quæ etiam ablato suo aliquo constitutivo essentiali, perseveret nihilominus in suo esse reali; sed si esset possibile Ens creatum categorematicè infinitum, hoc esset talis entitas, 6^o M. tam evidens est, quàm evidens sit, idem sine se ipso esse non posse. m. autem prob. Quodlibet ens creatum categorematicè infinitum, seu deinde esset infinitum in numero, seu extensione, seu Intensione, seu demum in perfectione entitativa, hoc ipso, quòd esset possibile, haberet aliqua sui constitutiva essentialia; 6^o quodlibet ens creatum categorematicè infinitum esset talis entitas, quæ etiam ablato suo &c. A. est iterum certum, prob. C. Assu-

Assumamus quodcunque Ens creatum categorematicè infinitum; peto ex adversarijs, ut assignentur ejusdem constitutiva essentialia, quæ omninò assignari debent, quia producto infinito à parte rei, necessariò debent dari ejusdem constitutiva essentialia, constituentia illud in esse infiniti; assignatis verò ejusdem constitutivis, sic arguo: Quodcunque constitutum ex essentialibus illis constitutivis auferatur, dummodò maneat aliud, adhuc illud ens manebit infinitum; go Ens creatum categorematicè Infinitum est talis entitas, quæ etiam ablato aliquo sui constitutivo essentiali, manet in suo esse reali. A, prob. Constitutiva illa, quæ assignantur esse essentialia Infiniti categorematici creati, vel sunt omnia infinita, vel omnia finita: vel aliqua infinita, aliqua finita? Si *1um.* ergo quamvis unum auferatur, manebit adhuc aliud constitutum æquè infinitum, adeoque adhuc entitas illa manebit infinita. Si *2dum.* Ens Infinitum per ablationem finiti non desinit esse infinitum, go. Si *3tium* Præterquam quòd repugnet partem finitam, esse de essentia Infiniti, etiam ablato finito constitutivo manebit aliud constitutum ejusdem infinitum, go & talis entitas manebit infinita.

Dices fortè *cum Pallavicino*: Quòd ablato constitutivo essentiali Entis creati categorematicè infiniti, maneret hoc ens quidem adhuc infinitum in esse infiniti simpliciter, non tamen in esse *talis infiniti*. Contrà est: Dum peto assignari constitutiva essentialia Entis creati Infiniti categorematice, non peto assignari constitutiva, quæ illud constituunt in esse *talis infiniti*, sed quæ constituent illud in esse infiniti simpliciter loquendo, & de his argumentum procedit.

Néque dicas, certa constitutiva essentialia, constituentia Infinitum in esse Infiniti simpliciter, non esse

assignabilia, quia omnia constitutiva certa constitunt illud in esse talis infiniti, Contrà est iterum: Dum peto assignari certa constitutiva Infiniti categorematici creati, non peto certa in specie, vel certa, id est determinata in numero, sed peto certa in genere: Velut dum peto assignari certa, & determinata constitutiva compositi Physici, statim respondetur: sunt materia, forma, unio, licet forma certa in specie, vel unio, sint constitutiva essentialia solùm *talis compositi*. Igitur peto assignari constitutiva certa in genere Infiniti categorematici creati, & de illis procedit Argumentum.

Néque dicas iterum, hoc argumentum eodem pacto applicari posse contra infinitum syncategorematicum: Item eodem probari esse impossibilem conceptum numeri. Contra *1mum* enim est, quòd Infiniti syncategorematici essentialia constitutiva sint, quamlibet partem in prædicato suscipiente *magis & minus* posse semper plùs & plùs augeri, quò conceptu sublato tollitur necessariò infinitum syncategorematicum. Contra *2dum* etiam est, quòd conceptus numeri ut sic non dicat se habere essentialia partes tales, quarum quælibet secundùm se sit numerus. Verè enim binarius est numerus, & tamen hujus neutra medietas est numerus, & quâcunquè ablatâ destruitur binarius in esse numeri: è contra de conceptu essentiali cujuscunquè infiniti, constantis partibus divisibilibus, est habere quamlibet partem infinities & infinities infinitam.

Prob. *2dò*. Ens illud, ex cujus existentia necessariò sequitur impossibile, implicat; sed ex existentia entis creati categorematicè infiniti necessariò sequitur impossibile, go. m. Prob. Quia ex existentia talis Entis sequitur, finitum per additionem finiti evadere infinitum:

tum: sequitur infinitum clausum terminis: sequitur idem esse æquale eidem, & inæquale secundum idem: sequitur infinitum exhauriri per acceptiones finitas: dari Numerum finitum maximum, ut passim ostendunt Auctores negantes infinitum categorematicum creatum; hæc autem sunt omnia absurda, & impossibilia, go.

Contra propositum meum longior forem, si quolibet in particulari responsiones ad hæc refutarem. Unam, eamque communem Admittentium Infinitum præterire non possum. Dicunt ergo plerique, in infinito nullas dari partes, nullas medietates, adeoque nec posse fieri ullas comparationes æqualitatis, vel inæqualitatis: majoris, vel minoris &c. Contra hos sic argumentor: Tam evidens est, quòd illa, quæ affecta sunt quantitate ejusdem rationis, secundum illam sibi congruant, vel non congruant, quàm evidens est, quodlibet esse, vel non esse; atqui in infinito categorematico v. g. in extensione, duæ lineæ infinitæ essent affectæ quantitate ejusdem rationis, id est, per quam fierent impenetrabiles, saltem radicaliter, go secundum hanc sibi congruent, vel non congruent, ergo erunt æquales, vel inæquales. Hinc Sanctus Athanasius in symbolo Divinas personas vocat coæternas, coæquales, quamvis illæ secundum perfectionem (quæ virtualis quantitas à multis dicitur) sint infinitæ. Dari verò medietates in Infinito, vel saltem quasi medietates, etiam videtur certissimum. Quis enim Infinitam multitudinem, constantem ex oculis dextris, & sinistris in Infinito hominum, negabit habere duas medietates, cum tam oculi dextri seorsim, quàm sinistri seorsim sint dimidium illius multitudinis. Id quod ostenditur à priori. Medietas enim alicujus totius est illa pars, quæ bis repetita adæquat totum; atqui oculi dextri, vel sinistri bis repetiti

adæquarent illam multitudinem infinitam ex oculis dextris, & sinistris constantem, go.

Obj. contrà imò. Etiam ex Infinito syncategorematico sequuntur allatæ implicantiæ; go cùm hoc admittamus etiam nos, cur negamus categorematicum? A. prob. Sint duæ multitudines syncategorematicè infinitæ, v. g. Una hominum alborum, altera nigrorum: demantur deinde ab infinito hominum alborum mille, hoc infinitum manebit adhuc æquale priori, quia manebit adhuc infinitum, cùm per acceptionem finitam non possit exhauriri: sed etiam non manebit, quia si ab æqualibus demas inæqualiter, manebunt inæqualia: eodem pacto sequuntur aliæ Implicantiæ, go. R. N. A. ad prob. Dum dicis; *sint duæ multitudines infinitæ syncategorematicè*, vel vis, ut totum id, quod constituit Infinitum syncategorematicum ponatur à parte rei, & sumatur per modum unius collectionis determinatæ? & si ita, N. suppositum, quòd Infinitum syncategorematicum adùm omnia sui constitutiva possit poni à parte rei, vel sumi per modum unius collectionis determinatæ amplius non augibilis. Si verò vis, ut duo Infinita syncateg. comparentur solummodò secundùm id, adùm quod à parte rei existunt, vel certè sumantur solum adùm aliquas collectiones determinatas, & has anteceden- ter supponis fuisse æquales, clarum est, illam multitudinem fore minorem, à qua plus demes, adeoque has multitudines futuras tantùm Inæquales. Si demum vis duas multitudines syncateg. infinitas comparare adùm omne id, quod dicunt in potentia, tunc vel ly *omne* sumis per modum unius determinatæ collectionis amplius non augibilis, & iterum negatur suppositum, quòd illud, quod Infinitum syncategorematicum dicit in potentia, sumi possit per modum unius

unius collectionis determinatæ ampliùs non augibilis; sic enim fumes chymæram, non Infinitum syncateg. Quod si verò ly *omne* sumas solummodò 2dùm aliquas collectiones finitas augibiles, tunc dico, quòd si ab una plus demas, manebunt inæquales, non quidem Inæqualitate positivâ, sed conditionatâ, eo videlicet modo, quo possibilia sunt sibi ipsis intrinseca.

Obj. 2dò. Omnes creaturæ possibiles existunt simul actu in mente DEI; go saltem in Intellectu Divino dabitur infinitum categorematicum creatum. R. D. A. Omnes creaturæ possibiles existunt simul actu in mente DEI, *simultate*, & *actualitate* cadente super cognitionem DEI, C. A. Simultate, & actualitate cadente super ipsas creaturas possibiles, subd. Omnes creaturæ possibiles, ly *omnes* sumendo collectivè per modum unius collectionis determinatæ, ampliùs non augibilis, N. A. ly *omnes* sumendo distributivè, per modum plurium collectionum indeterminatarum, semper augibilium & augibilium, C. A. & N. C. secundo modo sumptæ creaturæ omnes sunt solum Intuitum syncategorematicum radicaliter, quatenus ex ijs possunt aliquæ poni à parte rei, ita, ut semper remaneant aliæ, & aliæ ponibiles, non verò categorematicum.

Dices: Ita creaturæ possibiles sunt in mente DEI v. g. per cognitionem *a.* ut nulla sit, quæ non sit cognita cognitione *a.* go sunt omnes in mente DEI ly *omnes* supponendo collectivè, C. prob. Nisi sint omnes in mente DEI, ly *omnes* supponendo collectivè, tunc præter omnes cognitæ cognitione *a.* esset adhuc alia; si autem hoc, falsum erit, quòd sint omnes cognitæ cognitione *a.* Confir. Si nullus Angelus esset possibilis, qui non esset productus productione *a.* essent omnes producti, ly *omnes* supponendo collectivè; go etiam si nulla creatura est possibilis, quæ non sit cognita

gnita cognitione *a.* erunt cognitæ omnes, ly omnes supponendo collectivè, B. C. A. N. C. ad prob. D. M. tunc præter omnes cognitæ cognitione *a.* esset adhuc alia & alia, quæ etiam esset cognitæ cognitione *a.* C. M. esset alia & alia non cognitæ illâ cognitione *a.* N. M. & sub eadem distinctione m. & C. Ad Confir. D. A. Si nullus Angelus esset possibilis, qui non esset productus productione *a.* ita, ut cum veritate hujus propositionis, componibilis sit veritas hujus 2dæ: *Præter omnes Angelos productos hâc productione a. est aliquis alius productus eâdem productione*, essent producti omnes ly omnes sumendo collectivè, N. A. Si cum veritate primæ illius propositionis non sit componibilis veritas hujus 2dæ, tunc essent producti omnes Angeli possibiles, ly omnes supponendo collectivè, subd. essent, & simul non essent, C. A. sic enim esset producta chymæra, & N. C. Quia hæc propositio: *Omnes creaturæ possibiles sunt cognitæ cognitione a.* non est aliter vera, nisi quatenus cum veritate illius conjungibilis est hæc 2da veritas: *Ita omnes creaturæ possibiles sunt cognitæ cognitione a, ut præter omnes cognitæ sint semper aliæ & aliæ assignabiles, quæ essent cognitæ eâdem cognitione.* Creaturæ enim possibiles non possunt esse objectum cognitionis Divinæ per modum alicujus collectionis determinatæ, ampliùs non augibilibis. Instantia Doctrinæ est hæc. Dum dico: *DEUS cognoscit cognitione a totam æternitatem dierum futurorum, ita, ut nulla dies sit futura in æternitate, quam non cognosceret.* Hæc propositio non est aliter vera, nisi quatenus compatitur secum hanc 2dam veritatem: *Ita nulla dies est futura in æternitate, quam non cognoscat cognitione a. ut semper post omnes futuras sit alia & alia futura.* Nisi enim hoc modo cognosceret, non cognosceret æternitatem futurorum dierum, de cujus essen-

essentia est, post quamcunque diem futuram semper aliam & aliam futuram.

Hinc *Infero*. Dum DEUS decernit alicui dandam gratiam *aliquando*, semper decernit certam horam, vel instans in æternitate, quo velit dare, aliàs nisi sic decerneret, posset nunquam adimplere promissionem; siquidem quocunque tempore eluxo adhuc semper aliud & aliud est futurum, in quo dari posset gratia, quod fidelitati Divinæ consonum non est. Idem est, dum decernit v. g. Petrum non puniturum se pœnâ æternâ.

Dices tamen adhuc: DEUS cognoscendo Creaturas possibles cognitione *a*. dicere potest: *Certus sum*, quòd nulla sit creatura, quam non cognoscerem hâc cognitione; hoc autem non posset dicere, nisi cognosceret illas illâ cognitione omnes collectivè: sicut non potest esse certus Præceptor, quòd aliquâ cognitione cognoscat omnes suos discipulos, qui sunt in schola, nisi illos cognoscat omnes collectivè, & sciatur, quæ sit determinata illorum collectio, ultra quam nullus sit. Deinde si DEUS cognoscit omnes, & singulas creaturas distributivè, cognoscet illas omnes collectivè, quia à sensu distributivo valet argumentum ad collectivum. R. C. M. N. m. & ejus probationem. Si enim DEUS certificaret Præceptorem, quòd nullus sit discipulus in schola, quem non cognoscat, etsi eos cognosceret solùm distributivè, non cognoscendo determinatam aliquam collectionem, extra quam nullum esse cognosceret, jam certus esset, quòd cognoscat omnes. Cùm ergo DEUS ex essentia sua sit determinatus ad cognoscendum, quidquid est cognoscibile, ita, ut nihil illum latere possit, certus erit, quòd cognoscat omnes creaturas possibles, etsi cognoscat omnes solùm distributivè. Imò si cognosce-

ret omnes collectivè, non creaturas possibles cognosceret, sed chymæram. Ad ultimum *ix.* à sensu distributivo valet argumentum semper, N. aliquando, C. Ad hoc autem, ut valeat, inter cætera requisita sunt etiam ista: *imo.* Ut omnia illa, de quibus affirmatur prædicatum, sint enumerabilia vel expressè singula, vel minimùm per particulas: *Et sic de cæteris. adò.* Ut prædicatum, quod de illis affirmatur, sit tale, quod illis convenire possit non solùm ut sumptis seorsim, & divisivè ab alijs, sed in quocunque statu. Hinc hoc prædicatum possibile, quia solùm convenit cuilibet creaturæ sumptæ divisim ab alia, vel etiam sumptæ cum aliquibus alijs per collectionem aliquam finitam augibilem, nulli autem convenit sumptæ cum alijs omnibus per modum unius collectionis amplius non augibilis, nulla potest sic cognosci possibilis, sed sic sumpta quælibet erit chymæra.

Obj. *3tio.* Omnipotentia DEI est virtus productiva categorematicè infinita; go etiam terminum debet habere infinitum categorematicè, aliàs non haberet terminum sibi proportionatum. *4to.* Virtuti productivæ syncategorematicè Infinitæ correspondet terminus Infinitus syncategorematicè; go etiam productivæ virtuti infinitæ categorematicè terminus infinitus categorematicè. *5to.* DEUS est in Infinitis spatijs saltem imaginarijs, & ubicunque est, potest aliquid producere, go. *6to.* DEUS hoc instanti potest producere omnes homines, quos potest producere, sed omnes homines, quos DEUS potest producere, non sunt solùm finiti: aliàs essent tot, & non plures, quod est contra *Concil. Constant.* in quo damnatur hæc propositio *Joanni. Hufi:* *Deus nihil potest annihilare, neq; potest mundū majorare, vel minorare, sed animas usq; ad certum Numerū creare, Et non ultra.* *7mo.* DEUS potest producere collectionē
ho-

hominum omni collectione finitâ majorem ; sed hæc debet esse infinita, go. 8^{vo}. Si non dantur Infinitæ negationes hominum ; ergo adhuc datur Infinitum categorematicum. 9^{no}. Conceptus Infiniti non repugnat conceptui creaturæ, ergo. R. ad 3^{tium}. Primò quærendo, an Omnipotentia DEI, quæ est virtus productiva Divina, habeat terminum sibi proportionatum, quamvis non possit producere extra se terminum entitativè Divinum? R. 2^{do}. D. A. est categorematicè infinita entitativè sumpta, C. ut agens, seu producens ad extra, N. A. Ad extra enim nunquam agit actione infinitâ, sicut nec agit actione entitativè Divinâ, sed creatâ, & N. C. Ad 4^{tum} suppono, quòd adversarius non asserat dari aliquam entitatem unam, & Indivisam, quæ sit virtus productiva syncategorematicè Infinita, quia talem esse possibilem negatur suppositum ; loquetur ergo de aliqua multitudine causarum augibili semper, & sic C. A. N. C. Dispar est, quòd terminus syncategorematicè Infinitus, qualis est multitudo effectuum semper & semper augibilis, sit possibilis ; Infinitus autem categorematicè sit Impossibilis, ut ostendimus. Quòd si quæras : unde ergo Virtus Omnipotentia in esse productivi plùs dici ur posse, quàm Virtus creata, cum & hæc possit habere terminum producibilem syncategorematicè infinitum ? R. ex eo, quòd Omnipotentia producere possit omnem terminum producibilem, non autem Virtus creata ; aliàs deberet etiam se ipsam producere posse, quoad primum esse. Ad 5^{tum} D. A. DEUS ubicunq; est, potest aliquid producere, ly aliquid supponendo distributivè, C. collectivè N. Imò DEUS nullibi potest producere collectionem determinatam amplius non augibilem. Quomodo autem sit in-

telli.

telligendum, DEUM esse in spatijs imaginarijs Infinitis, colliges facile ex hæcenus dictis; solùm enim syncategorematicè radicaliter, non categorematicè infinita sunt possibilia spatia imaginaria. Ad *6tum*. R. DEUS potest producere quolibet instanti omnes homines, quos potest, sed quia nunquam potest omnes, *ly omnes* supponendo *collectivè*, sed solùm *distributivè*, nunquam producet Infinitos categorematicè, sed solùm syncategorematicè. Ad *7mum* R. Si majoris illius sit sensus iste: nulla collectio finita hominum est assignabilis, quâ majorem DEUS producere non possit, C. M. si sensus sit, quòd collectione finitâ maximâ possit producere majorem, N. suppositum dari finitam collectionem maximam. In imò go sensu C. M. N. m. quia illius sensus est, quòd quâlibet collectione finitâ assignabilis Major sit infinita. Ad *8vum* Dico. Hæc propositio: *Dantur negationes*, juxta dicta de Negationibus, est negativa, adeoque dicere: *dantur infinitæ negationes*, idem est, ac: *non datur infinitum*. In hoc sensu igitur C. A. N. C. Ad *9num*. D. A. non repugnat formaliter, tr. deductivè, seu argutivè, N. A. & C.

Dum dicunt. Quidquid actu est, in eo statu, in quo actu est, vel finitum est, vel infinitum; creaturæ possibiles in statu possibilitatis sunt actu, siquidem non sunt in potentia ad statum possibilitatis; ergo in illo statu sunt vel finitæ, vel infinitæ, sed non sunt solùm finitæ; ergo sunt infinitæ. non syncategorematicè, ut patet ex hujus conceptu, ergo categorematicè. R. N. M. universaliter, quia cùm termini *finitum*, *infinitum*, sint de secundo adjacentes, seu adjectivi, nequeunt prædicari, nisi de subjecto physicè existente. cùm autem creaturæ in statu possibilitatis non sint physicè existentes, sed solùm logicè, neque

po-

potest dici de illis strictè loquendo, quòd sint finitæ, neque quòd sint infinitæ, quemadmodum neque dici potest de illis, quòd sint albæ, vel nigæ.

P. Joan. Bapt. de Benedic'tis Parte 1ma Phys. q. 5. c. 6. §. 1. Inter paucos acer Infiniti defensor, negat Principium illud: *Omne totum est majus sua parte*, locum habere in Infinito, & arguit contra *1mò*. Sicut, inquit, habet se totum aliquod in quantitate mobilis ad suas partes, ita se habet totum in quantitate virtutis ad suas partes; sed in hoc 2do toto, si una pars sit Infinita, necesse non est, ut sit minor suo toto, *go. min.* habet pro certa, quia, Inquit *1mò*. Complexum ex DEO, & perfectionibus creatis, non est quid perfectius, aliàs Christus, qui est complexum ex natura Divina & humana, esset perfectior DEO Patre, vel Spiritu S. *2dò*. In tota multitudine meritorum Christi non est plùs valoris, quàm in uno quocunquè, quòd est pars illius multitudinis. *3tid*. Certum est apud Theologos, paribus peccatis parè constitui pœnam, & tamen licèt aliquis centum annis tardius damnetur, quàm alter, adhuc pari pœnâ æternâ punietur cum priori, ergo demptus numerus finitus non facit unum infinitum inæquale alteri. Hæc ille. Verùm hæc tantum pondus non habent, quò minùs principium illud locum habeat etiam in Infinito. & enim ad *1mum*: in ea ratione, in qua DEUS est pars alicujus totius, seu complexi, est essentialiter minùs, quàm illud totum complexum. Cùm igitur DEUS in complexo, seu composito Christi sit pars numeri binarij, seu duarum naturarum hypostaticè unitarum & cùm evidens sit, quòd duæ naturæ sint plùs, quàm una in ratione numeri, necessarium est, quòd in illo complexo natura Divina sit quid minùs, quàm totum illud complexum. Hinc licet

licet complexum ex natura Divina, & humana non sit aliquid perfectius in ratione Entis, est tamen quid perfectius in ratione compositi, non quidem perfectione purâ, sed perfectione mixtâ imperfectioni. Ad 2dum R. Valor meritorum Christi constituitur intrinsecè per formam dignificantem se, quæ est Verbum. Cùm ergo forma hæc dignificans sit eadem in omnibus, & in quolibet dignificativè, non est mirum, quòd unius operis Christi sit idem valor; secundùm quòd dicit de formali, qui est in omnibus. Unde unum opus Christi, in ratione valoris infiniti consideratum, non est pars multitudinis consurgentis ex omnibus operibus Christi, quia in ratione hujus valoris formalis omnia opera Christi sunt tantùm unum, cùm unica tantùm forma sit, quæ omnia dignificat, & facit valere formaliter. Ad 3tium. R. Dum Theologi dicunt, paria peccata paribus pœnis punienda, intelligunt, quòd si utrumquè punitur pœnâ æternâ, sit utriùsque pœna in hoc par, quòd neutrius finietur, non autem in hoc quòd unum non sit pluribus antè diebus, vel annis punitum altero. Semper enim verum erit dicere, quòd peccatum Caini pluribus annis sit punitum, quàm Antichristi, licet neutrius pœna terminum videbit.

S E C T I O II.

Utrum detur Creatura Perfectissima, vel Imperfectissima?

Dico Implicare. Ratio est. Quia creatura talis vel esset perfecta infinitè in aliquo genere perfectionis, vel solum finite. *1mum* Implicat. *2dum* autem non

non stat, quia DEUS quocunque numero finito assignato potest producere majorem ideo, quia inter talem numerum & DEUM, seu virtutem divinam productivam manet adhuc infinita participabilitas, seu comparabilitas; sed etiam hoc manet inter quamcunque creatam perfectionem, & Divinam, 1^o.

Dices cum Arriaga 1^{mo}. Licet DEUS infinite distet à collectione omnium creaturarum possibilium, non sequitur tamen, inter DEUM, & collectionem omnium creaturarum possibilem esse aliquam intermediam; ergo licet inter perfectionem creaturæ, & Divinam detur infinita distantia, non sequitur, quod DEUS quâlibet creaturâ perfectâ possit producere perfectiorem. 2^{do}. DEUS potest facere creaturam perfectissimam, quam potest; ergo si faciat, hæc erit perfectissima. 3^{io}. Ens possibile non evadit ex eo impossibile, quia evadit optimum. 4^{to}. Possibilis est creatura, quæ emineat infra se non tot quin pluribus ponibilibus, 5^o hæc erit perfectissima. 5^{to}. B. Virgo, item unio hypostatica sunt tales creaturæ, quibus perfectior dari non potest. 6^{to}. DEUS videns totam collectionem creaturarum, non videt omnes excedi ab alijs; 7^o illa, quæ non exceditur ab ulla alia, erit perfectissima. R. Ad 1^{um} D. A. Si illa collectio sumatur per modum plurium collectionum semper augibilium & augibilium, N. A. Si sumatur per modum unius determinatæ amplius non augibilis, N. suppositum sic sumi creaturas posibles; sic enim sumitur chymæra, ut sæpe dixi. Ad 2^{um} Si petam ex Adversario, ut DEUS producat ultimum diem æternitatis, quem potest, quid respondebit? sine dubio negabit suppositum: Ita & nos eidem. Unde illa propositio solum in hoc sensu est vera: *Nulla creatura à DEO producitur, quâ perfectionem*

rem producere non possit, adeoque quâcûnque productâ perfectâ, potest producere perfectiorem. Ad 3^{ium} D. A. ex eo, quia evadit optimum possibiliter, C. si evadat optimum impossibiliter, N. Ad 4^{um} Dico, ex hoc antecedente inferri muscam esse creaturam perfectissimam, quia eminet titulo ordinis infra se in Infinitû ponibilibus imperfectioribus creaturis. Ad hoc go, ut talis creatura esset perfectissima, deberet eminere non solum ratione ordinis, sed etiam ratione perfectionis susceptivæ magis & minus, & tamen amplius non augibilis. Ad 5^{um} Dico, Unione hypostaticâ, & Beatissima Virgine non posse dari perfectiores solum in ea ratione, in qua ratio unionis, vel Matris non suscipit magis & minus: quemadmodum nec uno homine datur alter perfectior in ratione constitutiva hominis. In ratione autem entitativa, & unione hypostaticâ, & B. V. est alia perfectior possibilis. Imò de Beatissima Virgine dicitur, quamdiu vixit, quòd creverit in perfectione. Ad 6^{um} N. A. Quia DEUS nunquam videt totam collectionem creaturarum possibilium, supponendo ly *totam* pro una determinata amplius non augibili; go cum, quamcunquè videt, videat augibilem, videt quamlibet excedi ab alia non inclusa in tali collectione.

S E C T I O III.

De Ente Continuo.

NOMINE Continui intelligitur quæcunquè Entitas, constans partibus extra se quidem positis, ad invicem tamen unitis, si sit permanens; si verò sit successiva, se immediate sine interruptione subsequentes. Gravis difficultas est statuere, qualisnam partes

tes illæ sunt, an videlicet actu divisibiles in entitate sua, an indivisibiles? Scio quidem nonnullos, inter quos *Semeri hic Diss. 9. quest. 2. art. 6.* ut difficultatem hanc effugiant, vel uno ictu quasi nodum gordium dissecent, negare in continuo ullas dari partes actu, sed solum potentiã. Sententiam hanc alijs Authoribus sædam, fusius refutavi in *M. S. hic* quia præscriptos brevitatis terminos excedere non licet, unico eam argumento refello, proinde

Dico *1mò.* In omni continuo dantur partes actuales inter se distinctæ. Prob. In nullo continuo extrema sunt unum per identitatem strictam, sunt enim ab invicem separabilia; *2o* in omni continuo extrema sunt unum solummodò per unionem continuativam; sed unio continuativa actualis non datur, nisi inter duo extrema actu distincta; *3o* extrema continui, seu partes, inter quas datur unio, sunt actu inter se distinctæ

Dices contrà *1mò.* Juxtà *Philos. 8. Phys. t. 68.* In continuo insunt infinita dimidia, sed non actu, sed potentia; *2o* partes, in quas continuum est divisibile, non insunt ipsi actu. *2dò.* Licet ex materia possint educi plurimæ formæ, illæ tamen non existunt actu in materia; *3o* etiam licet continuum sit divisibile in partes, hæ non inerunt actu in continuo. *3tid.* Si in ligno bipalmari v. g. essent actu duo palmi distincti, essent actu duo ligna, quia duo palmi lignei sunt duo ligna palmaria; sed nemo prudens videns lignum bipalmare, dicet: *video duo ligna*, alit bene: *video unum lignum*, ex quo fieri possunt duo per divisionem. *4o* *Rx.* Ad *1mum* Arist. locutum esse, non esse actu plura dimidia inter se divisa, non autem non esse actu inter se distincta. Ad *2dum* C. A. N. C. Dispar. est, quòd materia ex illis formis, quæ per generationem ex illa educi possunt, non componatur; continuum

autem ex illis partibus, quæ per divisionem exillæ fiunt, componitur: omnis autem compositio actualis infert actualem distinctionem. Ad 3^{ium} D. M. essent actu duo ligna divisa, N. M. essent actu duoligna distincta, C. M. & sic de cæteris.

Alij difficultatum solvendarum impatientes, admittunt quidem in omni continuo dari partes actuales inter se distinctas, sed negant easdem facere numerum. Contra hos

Dico 2^{do}. Partes in continuo faciunt numerum. Prob. Illa faciunt numerum, quæ actu sunt plures entitates; sed partes in continuo actu distinctæ, sunt actu plures entitates, go. m. prob. Dum aqua augetur, entitas illa, quæ de novo accedit illi, est actu in aqua illa, & distinguitur realiter ab entitate aquæ, cui accessit; go ibidem sunt actu plures entitates. Conf. Distinctio specifica fundat pluralitatem specificam; go & numerica numericam.

Dices: Numerus juxta Euclidem est multitudo ex unitatibus composita; go ubi non sunt plura una (ut ita loquar) non est numerus. sed in continuo non sunt, quia unum est, quod est indivisum in se, & divisum à quolibet alio. R. C. enthym. N. subf. cuius probationem D. & divisum à quolibet alio, divisione metaphysicâ, seu essentiali, C. divisum divisione physicâ, seu separatum, & disunitum, N. requiri hoc ad rationem unius, aliàs nec anima in composito humano esset una anima. Dices: Numerus est quantitas discreta. R. D. Numerus discretus est quantitas discreta, C. continuus, N.

Posito ergo, dari in Continuo partes actu distinctas, easque facere numerum, quæritur: an hæc sine divisibiles, vel indivisibiles, vel mixtæ? Supersedeo hîc refutare alias sententias, quæ res prolixitatem exigunt.

exigit. solum igitur adferam sententiam, quæ mihi præ reliquis videtur probabilior, &

Dico 3^{ti}o. Partes, ex quibus componitur continuum tam permanens, quam successivum, sunt puncta finita actu indivisibilia formaliter, potentiâ tamen, seu virtualiter divisibilia in infinitum. Ita *Maurus hic q. 40. Martinez Diss. 5. Prob.* Hæc sententia melius salvat difficultates contra compositionem continui opponi solitas; go cæteris est præferenda ut probabilior. A. patebit ex responsionibus ad object. Declaratur tamen etiam his breviter imò: Hæc sententia salvat bene inceptionem, & desitionem rerum. Ideo enim in sententia admittente infinitas partes in continuo, inceptions, & desitiones rerum salvari non possunt, quia in nullo instanti verum est dicere: *Ita nunc res est, ut immediatè antè non fuerit*, eò quòd in hac sententia quodlibet instans actu dicat partes infinitas priores. Admissis autem punctis actu indivisibilibus hoc non fit, quia assignatur tale instans, quod non habet actu partem priorem, adeoque res in illo ita incipit, ut immediatè antè non fuerit. Idem proportionaliter de desitione loquendum. 2^{do}. In hac sententia bene salvatur, quomodo perfectè planum, & perfectè sphæricum se tangant. Ideo enim in sententia admittente partes infinitas in continuo, hic contactus non salvatur, quia fieret semper in aliqua parte involvente plures partes actu, consequenter in linea, adeoque circulus non esset perfectè sphæricus. Hoc autem in hac sententia non fit, quia se tangerent in uno puncto indivisibili. 3^{ti}o. Melius salvatur major, & minor velocitas motûs, quàm in sententia Zenonis. In hac enim sententia globus tormento excussus moveretur velocius testudine ex duplici capite: Vel quia illud spatium, quod testudo conficit intra

intra unum indivisibile temporis, globus illud confecit intra millesimam partem potentialem illius temporis indivisibilis, quæ poneretur loco hujus unius indivisibilis, ut patebit clariùs ex responsione ad object. vel quia intra idem tempus indivisibile globus confecit indivisibile spatij totum totaliter secundùm omnes partes potentiales, ita videlicet, ut si loco hujus indivisibilis spatij ponerentur duo minora, utrumquè hoc confecisset globus intra illud indivisibile temporis; Testudo verò non conficit spatium illud totum totaliter, sed solùm adùm aliquam, v. g. unam partem potentialem. 4^{to}. Hæc sententia facilè salvat, quomodo circulus minor, inclusus intra majorem, maneat minor, licèt omnes lineæ circuli majoris ductæ ad centrum possint transire per minorem circulum. Potest enim dici in circulo minori tot quidem esse puncta, quot in majori, ita tamen, ut puncta circuli majoris sint indivisibilia majora. 5^{to}. Hæc sententia facilè salvat, quomodo nulla linea in pyramide sit major suâ basi, quod in Zenonistica ægrè salvatur. Licèt enim lineæ superiores basi haberent plura puncta, quàm basis, ipsa tamen esset longioris extensionis, quia quodlibet punctum basis esset majus, quàm sint in lineis intermedijs. 6^{to}. Deniquè hæc sententia bene salvat diametrum esse majorem costâ, quia puncta Diametri sunt majora, quàm costæ. Patebunt hæc omnia clariùs ex objectionibus, quare

Obj. 1^{mo}. In hac sententia non salvatur Extensio, quia punctum additum puncto non facit extensionem, necessariò enim cum illo compenetratur, quia tangit illud totum, cum sit indivisibile; nisi enim tangeret totum, aliquid ejusdem tangeret, & aliquid non tangeret, quod de indivisibili verificari nequit. R. N. assump. Punctum enim additum puncto indivisibili non penetratur cum illo

lo, quia non tangit illud totum totaliter, quod ad penetrationem requiritur, sed solum tangit totum non totaliter. Ex hoc autem sequitur, quod solum tangat aliquid actuale puncti illius, & aliquid potentiale non tangat, non autem quod aliquid actuale tangat, & non tangat. Cur autem dicamus unum indivisibile punctum ab alio non tangi totaliter, Ratio est, quia tangi totum totaliter est ita tangi, ut v. g. Punctum *b.* vi suæ abicationis puncto *a* ita fiat præsens, ut etsi loco puncti *a.* alia ponerentur minora, v. g. *c. d. f.* Punctum *b.* vi illius ubicationis ita fieret cuilibet huic minori puncto præsens, ut inter punctum *b.* & quodlibet hoc minus nihil posset interponi, nisi hoc ipso penetraretur cum illis. Tangi autem totum non totaliter, est ita tangi, ut punctum v. g. *b.* additum puncto *a.* vi suæ ubicationis ita fiat illi præsens, ut hic & nunc quidem inter hæc duo puncta *a.* & *b.* nihil possit interponi absque penetratione. Nihilominus si loco puncti *a* DEUS ponat alia minora *c. d. f.* inter punctum *b.* manens ubicatum priori suâ ubicatione, & punctum *f.* vel *d.* possit sine omni penetratione poni aliud, puta *c. d.* Punctum igitur *b.* additum puncto *a.* faceret extensionem, quia hoc secundo modo illud tangeret, non primo. Possè autem punctum unum ab alio tangi totum non totaliter, colligitur ex instantijs manifestis. Sic ego hic existens hæc horâ sum totus præsens toti immensitati divinæ, & æternitati, & tamen neutri sum præsens toti totaliter, quia videlicet per meam hanc ubicationem non sum immediate præsens cuilibet virtualitati immensitatis divinæ, puta illi, per quam correspondet Petro in Indijs existenti. Idem est de mea duratione hac determinata.

Obj. 2^{da}. Sint duæ lineæ per crucem positæ:
pun-

punctum *a*. quod erit segmentum illarum, deberet uniri 4. Punctis, cujuslibet lineæ duobus; hoc autem est impossibile, si punctum *a* supponatur esse indivisibile, quia deberet ab omnibus tangi totum, consequenter omnia cum illo compenetrarentur. R. Hæc obiectio nihil habet difficultatis plus, quam *Ima*. Ideo applicanda est illi responsio data ad *Imam* obiectioem, quia videlicet tangeretur ab omnibus 4. totum punctum *a*. sed non totaliter. Si enim loco puncti *a* ponerentur alia 4. minora, punctum positum versùs orientem non tangeretur immediatè à puncto lineæ versùs occidentem tendentis. Ex hac responsione colligitur, quomodo Puncta convexi in circulo minori, immediatè tangentia cavum circuli majoris, constituentia illam cavitatem, non compenetrantur, quia videlicet, licet mutuo tangerent se tota 2dùm latitudinem, & longitudinem, non tamen tangerent se tota totaliter secundùm profunditatem, adeoque 2dùm omnem dimensionem non tangerent se tota totaliter, consequenter nec penetrabuntur cum illis.

Obj. 3tiò. Si hæc sententia per hoc salvat velociorem motum, quòd globus tormento v. g. excusus uno indivisibili temporis conficiat indivisibile spatij totum totaliter, & testudo non, tunc sequitur, dari motum velocissimum, quod ostenditur: Sit v. g. Hasta, quæ tantâ velocitate moveatur, ut quolibet instanti aquirat spatium novum suæ moli proportionatum, & æquale, adæquatè distinctum à priori. hoc non implicat. jam sic: Motus hujus hastæ, stante sententiâ istâ erit velocissimus. Prob. Si hæc hasta posset adhuc velociùs moveri, tunc deberet vel aliquo instanti majus novum spatium occupare, quàm sit ejus moles, vel pertransire ad aliquem locum non pertransito medio; hoc utrumquè naturaliter est impossibile, go.

go. R. N. seqv. ad prob. C. assump. N. subs. m. ad hujus probationem R. cum Dist. Si hæc hasta posset adhuc velocius moveri servatâ eâdem actualitate temporis, sequeretur aliqua ex illis duabus sequelis, C. non servatâ eâdem actualitate temporis, N. Si enim DEUS loco actualis instantis poneret alia duo minora, jam hasta illa posset velocius moveri naturaliter, quia in quolibet minori indivisibili temporis acquirere posset novum spatium suæ moli proportionatum. Quodsi Adversarius supponat hanc hastam constare punctis inter se inæqualibus, ita ut Imum sit majus, v. g. palmare, 2dum minus, v. g. semipalmare, 3tium digitale &c. ultimum tandem minimum, v. g. sicut granum papaveris, in hoc casu nego, quod hæc hasta possit naturaliter tam velociter moveri, ut quolibet instanti aquirat novum spatium à priori adæquate distinctum, suæ moli proportionatum, & æquale, quia ex tali motu sequeretur necessariò vel partes illius hastæ discontinuari, vel replicari, vel transire de loco in locum non transito medio, ut manifestè ostenditur. Dum enim hæc hasta sic moveretur, tunc punctum Imum hastæ palmare acquireret spatium novum à priori adæquate distinctum, suæ moli æquale, go acquireret spatium novum à priori adæquate distinctum palmare, go etiam secundum punctum ejusdem hastæ eodem instanti deberet acquirere spatium palmare, derelictum à priori, adeoque majus suâ mole; supponimus enim esse 2dum punctum hastæ solum semipalmare, go 3tium aquireret desertum spatium à 2do semipalmare, & ultimum aquireret spatium à penultimo desertum digitale, adeoque omnia hæc præter Imum replicabuntur, quia erunt in duplici loco adæquato, ut patet consideranti. Quod si dicas, à eodè puncto hastæ non occupari totum spatium palmare.

mare, relictum à primo puncto ejusdem hastæ, tunc debet discontinuari. Si enim Imum punctum hastæ integrum palmum spatij deseruit, & 2dum punctum hastæ solummodò semipalmum ejusdem occupet, inter hæc duo puncta intermediabit semipalmus. Quod si dicas, à secundo puncto hastæ non occupari totum spatium palmare, relictum à primo puncto ejusdem hastæ, tunc debet discontinuari. Si enim primum punctum hastæ integrum palmum spatij deseruit, & 2dum punctum hastæ solummodò semipalmum ejusdem occupet, inter hæc duo puncta intermediabit semipalmus. Quod si, dicas, à puncto 2do hastæ illum semipalmum spatij occupari, qui est immediate continguus palmo de novo occupato à Imo puncto hastæ, ergo 2dum punctum hastæ ex suo loco priori transivit ad hunc semipalmum, non pertransito medio semipalmo, interjacente inter hunc semipalmum, & priorem locum 2di puncti hastæ. Ideo in tali casu Dico, hastam illam nullo instanti posse majus novum spatium acquirere, quàm sit moles ultimi illius, seu minimi puncti.

Neque dicas 1mò. Ex hac doctrina sequi, quòd DEUS agens ut author naturæ non possit indivisibile potentiâ majus tantâ velocitate movere, conjunctum alteri indivisibili potentiâ minori, quantâ posset separatum ab alio. R. enim, si eadem actualitas temporis servetur respectu utriusque motûs, sequelam esse certissimam, sed minimè absurdam, quia adhuc simpliciter loquendo DEUS ut supremus Dominus potest tantâ celeritate movere indivisibile potentiâ majus conjunctum minori, quantâ separatum, si videlicet minus indivisibile replicet, vel transferat de loco in locum, non pertransito medio.

Neque dicas 2dò. Stantibus his, non posse ca-

nem assequi leporem, si hic tribus indivisibilibus spatij distat prius à cane, nisi DEUS mutet instantia semper in minora & minora, quòd sic ostenditur: Incipiant hæc duo animalia moveri in instanti *A*. In hoc instanti dum canis conficit *unum* indivisibile spatij, per quod distabat à lepore, lepus conficit *quatuor* indivisibile spatij; go peracto primo instanti, lepus iterum à cane distabit tribus indivisibilibus spatij, & sic loquendo de subsequentibus, go. *qz*. N. assump. Ad casum respondeo, quòd dum canis in instanti *A* conficit *unum* indivisibile spatij totum totaliter, tunc lepus eodem instanti *A* acquirit quidem *quatuor* indivisibile spatij, sed non totum totaliter, quia illi non sit præsens per talem ubicationem, quæ illum affigat illi *quatuor* indivisibili ita, ut sit illi præsens immediatè tam *ad id*, quod dicit formaliter, quàm æquivalenter. Unde patet, quòd brevi canis illum leporem assequetur, vel si vult recreationem instituere, etiam præcurret. Sed dices: si lepus in instanti *A* non conficeret *quatuor* indivisibile spatij totum totaliter, tunc in instanti *B* immediatè sequenti adhuc maneret in eodem, go non moveretur motu reali; motus enim realis est transitus à loco à quo ad locum ad quem, *B. C. A. N. C.* ad probat. *D. A.* Motus realis est transitus à loco à quo ad locum ad quem, à loco inquam à quo vel extrinsecò vel intrinsecò, ad locum ad quem itidem vel extrinsecum, vel intrinsecum, *C. A.* semper à loco à quo extrinsecò ad locum ad quem extrinsecum, *N. A. & C.*

Obj. *4to*. In hac sententia non salvatur, quomodo circulus exterior rotæ moveatur velocius, quàm circulus interior ejusdem rotæ, si uterquè constet ex punctis æqualibus. Sit enim circuli interioris punctum *d*. immediatè sub puncto *a*. circuli exterioris.

Jam si hæc rota moveatur tam veloci motu circulari, ut intra unum indivisibile temporis punctum *a*. circuli exterioris occupet novum spatium v. g. Puncti *b*. in cuius locum succedit, etiam hoc indivisibili temporis punctum *d* circuli interioris debet occupare spatium novum suæ moli proportionatum, & succedere in locum vicini sui puncti v. g. *E*. alias cessaret esse immediate sub puncto *a* circuli superioris, sub quo prius fuit; hoc autem stante, circulus interior rotæ movebitur tam velociter, quàm circulus exterior ejusdem, quod est contra experientiam. R. Cum P. *Martinez*. Ex suppositione, quod puncta circuli minoris sint æqualia punctis circuli majoris, nego suppositum, quod punctum *d* circuli interioris possit esse ita immediate sub puncto *a* circuli superioris, ut nec inæquate sit sub puncto *b* ejusdem circuli exterioris. Si enim à puncto *a* & *b* circuli exterioris trahantur lineæ rectæ ad centrum rotæ, utraque secabit punctum *c* circuli minoris. Neque reponas, hoc esse contra Euclidem, asserentem non posse duas lineas rectas habere idem segmentum commune. R. enim Euclidem intelligendum esse solum de linea mathematica imaginaria, quæ videlicet punctis constaret tam formaliter, quàm virtualiter indivisibilibus, non autem de linea reali physica, constante ex punctis actu indivisibilibus, potentiâ tamen divisibilibus. Vel dic, duas lineas rectas non posse habere idem segmentum commune, quod idem sit tam actu, quàm potentiâ. C. quod idem sit actu, non tamen potentiâ N.

Obj. 5to. In hac sententia non posse dividi per medium, ineam constantem punctis imparibus, v. g. 7. R. Si in linea illa tria puncta sint majora, 4. minora, facientia tantam solum extensionem, quantam faciunt illa tria, jam posse dividi per medium; si verò puncta

puncta sint omnia æqualia, tunc medium punctum non servatâ suâ actualitate dividetur in duo minora, facientia eandem extensionem, & unum uni, alterum alteri parti lineæ divisæ adhærebit. Unde supponimus, quòd DEUS ut author naturæ providerit pro omnibus mutationibus, & alterationibus &c. numerum, & molem horum punctorum.

Obj. 6^{to}. Si hæc puncta possunt esse inæqualia, posset esse aliquod tantum, quanta est v. g. Turris Civica. 7^{mo}. Si hæc puncta componunt continuum, tunc sunt pars actualis continui, & quidem quanta; ergo habebunt aliquam figuram, ergo vel rotundam, vel quadratam, vel longam. Hoc autem stante, non possunt componere v. g. planum, si sint rotunda, quia ratione rotunditatis relinquent inter se aliquam vacuitatem; Si sint quadrata, vel longa, non possunt facere circulum, ergo. 8^{vo}. In hac sententia nullum dabitur sphæricum, quia indivisibile unum additum alteri non faceret lineam curvam, cum lineâ tali non possit dari brevior, & tamen omni lineâ curvâ debet dari brevior recta. 9^{no}. Hæc indivisibilia ubicantur ubicatione indivisibili; ergo existerent definitivè. 10^{mo}. Quodlibet indivisibile istud æquivalet infinitis minoribus; ergo quodlibet erit saltem æquivalenter infinitum in extensione, & numero. 11^{mo}. Si instans indivisibile æquivalet pluribus, habebit aliquam extensionem temporariam, ergo habebit prius & posterius, consequenter non salvabitur bene in hac sententia inceptio, & desinitio rerum. 12^{mo}. Si unum instans æquivalet duobus in ratione temporis, æquivalet illis, in quantum succedunt sibi; ergo sicut in illis duobus potest aliqua res existere in uno, in altero non existere, ita etiam poterit in unico instanti. 13^{to}. Sequitur, nunquam existere continu-

um actu, quia ejus constitutiva omnia non darentur actu, sed solum aliqua, aliqua verò in potentia. *¶* ad 6tum. Quærendo ex Adversario, an legitime inferat ex hoc: *Nullum cor hominis est, quo majus dari non potest; ergo potest aliqua cor hominis esse tantum, quanta est Turris Civica?* Cæterum ex indivisibili etiam tam magno non facile deducet Adversarius contradictionem. Non tamen propriè vocaretur hoc indivisibile *punctum*, quia nomine *Puncti* intelligitur magnitudo insensibilis. Ad 7mum. C. A. D. C. ergo habebunt aliquam figuram actu intrinsecam, N. C. Extrinsecam actu, & potentiâ intrinsecam, C. C. Puncta igitur ista nec essent rotunda, nec curva &c. sed essent solum talia extrinsecè, prout ab alijs sibi additis circumdarentur. Ad 8vum. N. assump. adhuc enim quâlibet tali lineâ curvâ esset possibilis minor recta, si videlicet loco unius indivisibilis ponerentur alia duo minora. Ad 9num. N. C. estò enim existent tota in spatio v. g. divisibili, non tamen existent tota totaliter. Ad 10num. D. A. æquivalent infinitis minoribus, ponibilibus collectivè per unam determinatam collectionem amplius non augibilem, N. A. ponibilibus solum distributivè per collectiones finitas semper augibiles & augibiles, subd. æquivalent illis præcisè quoad extensionem, seu trinam dimensionem, C. quoad numerum, N. assump. & C. Ad 11mum D. A. habebit extensionem temporariam actualem, seu formaliter, N. A. æquivalenter, & in potentia, C. A. & sub eadem distinctione Concedo 1am, & N. 2dam C. Ad 12mum. D. A. æquivalent illis, in quantum succedunt sibi hoc sensu, quòd illæ duæ sibi succedentes non occupent majorem extensionem temporariam, C. A. In alio sensu sumendo ly *In quantum sibi succedunt*, N. A. & C. Ad

13tium N. assump. actu enim dantur omnia constitutiva continui eo modo, quo sunt necessaria ad Constitutum actuale Continuum. Solum enim requiritur ad hoc, ut partes actuales existant per existentiam actualem formalem, non autem etiam potentiales.

Pro Ulteriori Nota : In Continuo successivo DEUS nunquam posset loco unius Instantis indivisibilis, v. g. *a.* (quod supponimus habere extensionem temporariam unius quadrantis) ponere simul duo minora, adæquantia extensionem temporalem illius Instantis *a.* Quia cum tempus sit essentialiter successivum, nunquam possunt simul existere duo Instantia, seu sibi coexistere. Itaque si loco Instantis *a.* inciperet ponere semper medietate extensionis temporalis minora, & minora, tunc si sic poneret, nunquam per totam æternitatem adæquarent illa, semper medietate minora Instantia, extensionem illam temporalem unius quadrantis Instantis *A.* Quia semper fieret extensio solummodo per accrementum æqualiter decrescens, adeoque proportione geometricâ, quæ nunquam adæquare potest arithmeticam. Adeoque si vellet DEUS adæquare illam extensionem temporalem Instantis *a.* necessariò deberet aliqua Instantia subsequenter ponere vel æqualia in extensione immediate antecedentibus, vel superantia mediam extensionem antecedentium. Patet doctrina in exemplo : Si per accrementum semper æqualiter decrescens vellet quis adæquare v. g. florenum, ponendo imò medium florenum, dein quinque grossos, dein duos & medium, & sic pergendo in infinitum, nunquam adæquaret unum florenum. Unde in illa hypothesi, ubi Deus sic poneret loco Instantis *a.* semper medietate minora & minora, & poneret duo mobilia, v. g. duos

Ange-

Angelos in tripalmari spatio sibi invicem oppositos, vellétque, ut nullo tali minori semper medietate instanti plus conficiant motu suo ex illo spatio, quam semper minorem & minorem virtualitatem spatij, hi Angeli nunquam convenirent in eodem indivisibili spatio, imò neuter illorum conficeret vel unum indivisibile punctum spatij, totum totaliter.

Quæres, per quid Partes continui inter se continentur? R. Partes Continui successivi non continentur ad invicem per aliquam sibi superadditam unionem, sed solum per hoc, quòd durationes temporaneæ ex essentia sua sint determinatæ, ut sibi invicem immediatè succedant. Unde hoc continuum solum in latiori significatione dicendum est continuum. R. 2dò. Partes continui permanentis uniuntur ad invicem per superadditam unionem modalem. Ratio est eadem, quâ in Disp. de ente modali probavimus indifferentias rerum ad denominationem aliquam realem debere tolli per modos. Hæc tamen unio non subiectatur in utroque puncto, quæ unit, sed solum in illo, ex quo educitur. Quare autem ex hoc potius, quam illo educatur, DEUS ut author naturæ determinat.

SECTIO IV.

De Ente eterno.

Quæritur: an mundus potuerit produci ab æterno quoad Entia permanentia, vel successiva?

Dico imò. Mundus non est productus ab æterno. est conclusio Catholica contra Aristotelem. Prob. Cap. 1mo Gen. dicitur: *In Principio creavit DEUS ca-*

lum, & terram; sed cælum & terra constituit mundum; ergo mundus est creatus in principio temporis. Sed quod habet principium temporis, non est æternum, ergo. Item Joan. 17. dicitur: Clarifica me Pater apud te ipsum claritate, quam habui antequam mundus fieret; ergo claritas DEI fuit ante mundum; illud autem non potest dici æternum, quod ante se habuit aliud, ergo.

Dices imò cum Aristot. Motus necessariò fuit ab æterno, aliàs si incepisset in tempore, debuisset cum illo incipere etiam esse mobile, quod tamen est impossibile, cum mobile semper sit priùs vel naturâ, vel tempore ipso motu. 2dò, DEUS, qui est causa productiva mundi, fuit ab æterno constitutus in actu primo proximo producendi; sic autem constituta causa infallibiliter producit effectum, ergo. 3tò. Absurdum est dicere, quod primum movens fuerit ab æterno infinito tempore sine motu, ergo ab æterno produxit mundum. 4tò, Efficax volitio in DEO est actio productiva mundi; sed illa fuit ab æterno, ergo. R. ad 1mum N. A. ad prob. C. M. N. m. solum enim mobile illo motu est priùs, qui fit per actionem educivam, non autem qui fit per creativam, quia per hanc non fit transitus rei, sed simplex inceptio. Ad 2dum C. M. D. m. Si causa illa sit operans ex necessitate, tunc si sit operans liberè, qualiter DEUS operatus est mundum, N. m. & C. Ad 3tium D. A. Dicere, quod fuerit sine omni motu tam ad intra, quam ad extra, C. dicere solum, quod fuerit sine omni motu ad extra, est absurdum, N. quia sine hoc DEUS ab æterno posedit finem suum cum omni felicitate. Ad 4tum D. M. efficax volitio mundi, 2dum quod dicit applicationem formæ ad subjectum, fuit ab æterno, C. secundum quod dicit applicationem formæ ad objectum, fuit

fuit ab æterno, subd. Logicè, seu conditionatè, C. M. physicè, N. M. & D. m. sed efficax volitio DEI est actio productiva mundi, 2dùm quod illa dicit applicationem formæ ad subjectum, N. m. 2dùm quod dicit applicationem formæ ad objectum, subd. m. est actio productiva mundi in tempore, C. m. est productiva ab æterno, N. m. & C.

Dices Iterum: Si mundus, seu motus est productus in tempore, tunc ita incepit in aliquo determinato instanti, ut priùs non fuerit, ergo ante talem motum debuit dari priùs, go tempus. R. D. A. ut priùs non fuerit, per ly priùs intelligendo aliquod tempus imaginarium, C. A. intelligendo tempus reale, N. A. & sic de cæteris. Res patebit clariùs ex seqq.

Dico 2dò. Mundus nec quoad entia successiva, nec quoad entia permanentia potuit esse ab æterno categorematicè. Ita *Rhodes l. 2. Disp. 7. Prob.* Quia ens creatum productum ab æterno, esset productum ab æterno, & non esset; hoc est chymæricum, go. M. prob. quoad 2dam partem: Illud non est ab æterno, quod non duravit durationibus infinitis; tale ens non durasset, cùm infinitum durationum implicet, go. Respondebis fortè illud durasse unâ indivisibili æquivalenti infinitis. Sed contrà est: quia etiam hanc implicare ostendimus *Disp. 2da de Ente modalis.*

Dices: Tale Ens durasset durationibus infinitis syncategorematicè, quod sufficit, ut diceretur durasse ab æterno: sicut ut dicatur anima duratura in æternum, sufficit, quod sit duratura durationibus syncategorematicè infinitis. Contrà est: Durasse rem durationibus solùm syncategorematicè Infinitis, est ita durasse, ut in aliqua determinatâ duratione inceperit,

rit, ita tamen, ut potuerit semper in priori & priori duratione distributive sumpta incepisse. Sed sic durasse non est durasse ab aeterno, aliàs hodierna frequentatio scholæ jam durasset ab aeterno; go cum Mundus productus ab aeterno, durasset ab aeterno, debuisset durare durationibus infinitis categorematicè, & non solùm infinitis syncategorematicè. Unde ex hac ipsa ratione ad instantiam Adversariorum Dico: Quia anima solùm durabit durationibus infinitis syncategorematicè, nunquam est de illa verum dicere: *nunc durat in aeternum*, vel: *jam duravit in aeternum*, sed tantùm verùm est dicere: *durabit*; ergo etiam, si Ens aliquod solùm syncategorematicè infinitis durationibus durasset, non esset verum dicere: *jam duravit ab aeterno*, & tamen hoc de tali ente producto ab aeterno verificari deberet, go Paritas nulla est.

Prob. 2dò de Ente successivo: Implicat aliquod Ens posse esse ab aeterno, cujus aliquod constitutum intrinsicum non potest esse ab aeterno; sed entis successivi aliquod constitutum non potest esse ab aeterno, go. M. est evidens, implicat enim aliquid esse ab aeterno, go. M. est evidens, implicat enim aliquid posse esse sine se ipso. m. pr. Omne ens successivum pro constitutivis suis involvit essentialiter partem priorem & posteriorem, ita ut nulla pars ejusdem sit possibilis, quæ hoc non involvat; sed pars posterior non posset esse ab aeterno, quia essentialiter præsupponit ante se partem præsentem, dum autem est pars præsens, posterioris est negatio, go.

Respondebis cum Oviedo: Entis successivi partes sumptas collectivè non involvere essentialiter partem priorem & posteriorem, adeoque producibile esse ab aeterno ens successivum secundùm partes sumptas collectivè. Contrà est imò. in terminis implicat, produci Entis successivi omnes partes simul collectivè,

go. Contrà est 2dò. Ens successivum, sumptum 2dùm partes collectivè, est complexum essentialiter constans partibus prioribus & posterioribus in se, go.

Confir. conclusio: S. August. tom. 6. Contra Felicianum, docentem Filium DEI esse creaturam, sic loquitur: *Creatura est ex eo, quòd adhuc non est, aut aliquando non fuit.* Item S. Athan. *Quæ creatura sunt, æterna esse non possunt.*

Neque dicas imò. æternitatem non destruere conceptum creaturæ, cum hæc, quamquam produceretur ab æterno, maneret tamen ens *productum ab alio*, ergo. 2dò. Estò creatura foret æterna, adhuc tamen maneret *contingenter producta*, quia DEUS eam poterat absolute vel omnino non producere, vel solum producere in tempore. 3tò. Si sol extitisset ab æterno, lucem produxisset ab æterno; go etiam DEUS potuit producere mundum ab æterno, cum non debeat in causa increata desiderari major prioritas respectu effectûs, quam in causa creata, in hac autem sufficit prioritas naturæ, go. 4tò. Ab æterno dabatur possibilitas passiva creaturis intrinseca, ergo potuit ab æterno terminare actionem sui productivam. 5tò. Quòd ego sim in tempore, est contingens; ergo potui esse ab æterno. R. enim ad imum, æternitatem à parte antè non destruere quidem immediate, & formaliter rationem *ab alio producti*, destruere tamen rationem *producti contingenter*, transitumque de *non esse ad esse*; quem tamen S. August. testatur esse de ratione creaturæ, ne Verbum divinum, quamvis ab alio productum, cogatur admittere esse creaturam. Ad 2dum. R. quamvis ex hoc titulo dici possit, quòd maneret contingens, non tamè maneret absolute contingens, quia quidquid contingens est, 2dùm S. August. debet transire à *non esse ad esse*. Ad 3tium Dico: Quamvis ad-

missâ

missâ unâ chymærâ, non hoc ipso statim admittenda sit alia, si tamen detur chymæra Mater, admittere illi etiam consequam filiam non multum interest; ideo Tr. A. N. C. Disp. est; Quod causæ creatæ una cum effectû suo sint tantummodo temporaneæ; è contrâ verò causa Increata cùm essentialiter sit æterna, necessariò debet antecedere omnem creaturam totâ æternitate. Ad 4^{um} R. Illa possibilitas passiva Creaturarum ab æterno non est aliquid physicè, sed solùm logicè, & ly est sumendo in vi copulæ, non in vi verbi, ideo solùm capax est terminandi physicè actionem sui productivam in tempore, non ab æterno. Ad 5^{um} C. A. N. C. Quia eâ ratione solummodo est contingens, quòd sim in tempore, quatenus simpliciter potui non esse. Non autem, quòd potuissem esse ab æterno, & solùm per accidens non sim productus ab æterno.

Obj. contrâ imò. Ideo æternitas à parte post non infert Infinitum categorematicum durationum, quia quâcunque collectione futurarum durationum acceptâ, & finitâ, semper manent aliæ & aliæ, quibus res duratura est; sed eodem modo à parte antè quâcunque collectione sumptâ durationum, in qua mundus potuit produci, semper restant aliæ & aliæ priores, in quibus produci potuit; go sicut æternitas à parte post, salvatur sinè infinito categorematico, ita etiam salvabitur à parte antè. R. jam dilutum esse hoc argumentum in ratione nostra. Nihilominus pro uberiori doctrina D. M. ideo, & simul, quia nunquam possunt accipi omnes durationes futuræ, quibus duratura est anima, per modum unius collectionis determinatæ ampliùs non augibilis, vi cuius verum sit dicere: *Præter has omnes durationes, in quibus durabit anima, nulla est alia, in qua adhuc duratura est, C. M.*

Si possent sic accipi omnes durationes futuræ, ægo quòd non inferret Infinitum categorematicum æternitas à parte post, & D. m. sed eodem modo à parte antè &c. Ita tamen, ut hoc ipso, quòd verum esset, mundum posse produci ab æterno categorematicè, omnes illæ durationes possent accipi per modum unius collectionis determinatæ ampliùs non augibilis, vi cujus verum foret dicere: *Præter has omnes nulla est prior, in qua posset durare priùs.* Vel hoc ipso quòd verum esset, mundum esse productum ab æterno categorematicè, verum foret dicere: *Jam omnibus durationibus à parte antè ita duravit mundus, ut nulla sit assignabilis, in qua non durasset, C. m.* Secùs discurrendo, N. m. & C. Nisi enim veræ essent præfatæ propositiones, mundus non aliter durasset, vel potuisset durare ab æterno, quàm hodierna tua lectio, dum legis hanc doctrinam.

Dices tamen: Si DEUS produxisset mundum ante quodlibet Instans sumptum distributivè, ita ut nullum instans determinatum sit assignabile, ante quod mundus non fuisset productus, DEUS produxisset mundum ab æterno categorematicè; ergo etiam si potuit producere mundum ante quodlibet instans modo superiùs explicato, potuit producere ab æterno categorematicè. Confirm. Bona est hæc illatio: *Nullum instans est assignabile inter possibilia, ante quod DEUS non extitisset actu; ergo existit ab æterno categorematicè.* ergo etiam erit bona hæc: *Nullum instans est assignabile inter possibilia, ante quod DEUS non potuisset producere mundum; ergo potuit producere ab æterno categorematicè* R. imò. N. A. quia de ratione creaturæ est, quòd non sit, vel aliquando non fuerit. R. 2dò. tr. A. N. C. Dispar. est. Quòd hoc ipso, quòd verum sit dicere, rem aliquam esse productam ante quodlibet instans in possibilitate
assi-

assignabile, illa deberet habere durationem vel divisibilem extensionis determinatæ, quæ correspondeat cuicquæ instanti assignabili, vel indivisibilem, æquivalentem divisibili, quæ duratio quia non posset non esse infinita categorematicè, infert necessariò æternitatem categorematicam, loquendo vi illationis materialis, vi illationis enim formalis inferret, & non inferret, quando, quidem esset chymæra: è contrà ut verum sit dicere, quòd res potuerit produci ante quodlibet instans sumptum distributivè, seu determinatum assignabile in possibilitate instantium, non requiritur talis duratio determinatæ extensionis, sed solùm indeterminatæ, augibilis videlicet in infinitum, adeoque solùm syncategorematicè infinita, & per consequens non inferens æternitatem categorematicam. Hinc quemadmodum apud omnes valet hæc consequentia: *Datur defactò numerus Angelorum, quocunque assignabili numero finito determinato major; ergo hic numerus est à ratione numeri finiti extractus.* Apud nullum tamen valet hæc: *Possibilis est numerus Angelorum, quocunque finito determinato assignabili major; ergo possibilis est infinitus categorematicè.* Horum autem ratio videtur hæc esse, quòd res omnes actu existentes accipiuntur per modum collectionis determinatæ, quæ secundùm se tota existit, & extra quam nihil est, quod actu non existeret, adeoque si talis collectio excedat quemcunque numerum finitum, necessariò debet esse infinita; si enim finita solùm esset, hoc ipso non excederet quemcunque numerum finitum, seipsam enim non excederet: è contrà verò res possibles nequeunt omnes accipi simul per modum unius collectionis determinatæ, extra quam nulla alia sit possibilis, sed semper accipiuntur solùm per modum collectionum finitarum augibilium in Infinitum.

Neque Instes: Si durationes non tot quin plures coëxisterent hodiernæ diei, possent ratione talis coëxistentiæ per modum unius infinitæ collectionis accipi, quia in tali tota collectione nihil esset, quod huic diei non coëxisteret; go cum durationes non tot quin plures possibiles coëxiterint ab æterno ipsi æternitati divinæ, possunt etiam accipi per modum unius collectionis infinitæ non augibilis, quia nulla inter omnes esset, quæ eidem æternitati non coëxisteret. R. enim, C. A. N. C. Ratio est: quia Dies hodierna est quid determinatum, & suis finibus clausum, adeoque si eidem coëxisterent non tot quin plures durationes, jam illæ intra diem unum existerent omnes, adeoque sumerentur per modum unius collectionis, quæ secundum se tota existeret, & extra quam nihil esset, quod non existerethâc die determinatâ. Divina verò æternitas cum nullo fine claudatur, nequeunt eidem coëxistentes durationes sic accipi. Sed quemadmodum æternitas accipitur semper æquivalens durationibus finitis in infinitum: Ita & hæ eidem coëxistentes tantum sic accipi possunt, adeoque nunquam per modum unius collectionis infinitæ, præter quam nulla sit alia & alia semper augibilis.

Obj. 2dò. DEUS fuit ab æterno causa sufficienter completa ad producendum mundum. 3tio. Non implicat causa creata, quæ quodocunque est, quolibet instanti producat aliquid, v. g. Cogitationem; go etiam non implicabit, ut DEUS producat aliquid, quodocunque est, ergo ab æterno. 4to. Si causa creativa mundi esset necessaria, eò ipsò, quòd illa esset æterna, etiam mundus necessario esset æternus; go etiam cum sit libera, & æterna, mundus potest esse æternus, quia quod ex suppositione causæ necessaria-

æssariæ est necessarium, illud ex suppositione causæ liberæ potest esse. 5^{to}. Tempus imaginarium est ab æterno, 6^{to}. go etiam reale potuit esse ab æterno. 6^{to}. Saltem negatio mundi dabatur ab æterno. R. ad 2^{am} D. A. DEUS fuit ab æterno causa sufficienter completa productiva mundi æternitate potentia, C. potentiâ æternitatis, N. Potentia ergo creativa mundi est æterna, sed non est creativa æternitatis; æternitas enim creata à parte antè categorematica, est chymæra. Ad 3^{tium} tr. A. N. C. Si ly *quandocunque* supponat collectivè. Dispar. est, quòd causa creata non necessariò excedat suum effectum in omni formalitate susceptiva *magis & minus*, sed possit habere effectum æqualem sibi. DEUS autem in talibus prædicatis necessariò excedit suum effectum, aliàs non esset participabilis in infinitum, adeoque effectus suscipiens *magis & minus* non potest esse æqualis DEO. Unde quòd DEUS non possit ab æterno categorematicè producere effectum, est ejusdem perfectio. Ad 4^{tum} D. A. etiam mundus necessariò esset æternus, vi illationis materialis, tr. vi formalis esset, & non esset, quia mundus est creatura; creaturæ autem omni est esse contingentem essentielle, & tamen si causa mundi creativa esset necessaria, & æterna, ille esset simpliciter necessarius, quia DEUS simpliciter, & absolute non posset non esse ejusdem productivus ab æterno, adeoque esset creatura, & non esset, quia esset contingens, & non esset: Unde sic distinctio antecedenti N. C. Quia solum illud, quod ex suppositione causæ necessariæ est necessarium, & non est chymæra, illud ex suppositione causæ liberæ potest esse. Ad 5^{tum} R. Cùm juxta me Tempus imaginarium non sit aliud, quàm possibile durationes entium possibile, D. A. fuit ab æterno, ly fuit sumpto in vi verbi

bi. N. ly fuit sumpto in vi copulæ, subd. ab æterno categorematicè tempus sumptum, N. syncategor. radicaliter, seu distributivè sumptum, C. A. & N. C. sub eadem dist. Ad 6tum B. Hæc propositio: *dabatur ab æterno negatio mundi*, significat juxta sæpiùs dicta: *nihil dabatur ab æterno*, quia negationes formales sunt nihil. Unde præfata propositio est negativa, non affirmativa.

SECTIO V.

An Cæli sint corruptibiles, & utrum moveantur ab intrinseco?

Dico imò. Probabilius est, cœlos esse incorruptibiles, incorruptibilitate ortâ ex forma inamissibiliter unita materiæ cœlorum. Ita *Spinula hic sect. 2.* Prob. imò. Si cœli essent naturâ suâ corruptibiles, debuissimus jam per tot sæcula in continua rerum vicissitudine experiri in illis mutationes sensibiles; go cum has non simus experti, statuendum est, eosdem esse incorruptibiles ratione formæ inamissibiliter unitæ materiæ cœlorum. A. patet, ideo enim sublunaria inferimus esse corruptibilia, quia experimur in illis sensibilem mutationem; consequentis autem suppositum patebit ex object. solut. Prob. 2dò. Agentia creata nequeunt in cœlos agere actione corruptivâ, cum hæc non fiat nisi à contrario; formæ autem cœli nullæ qualitates sunt contrariæ, go. Deinde congruum est, ut cœlum sit naturâ suâ incorruptibile, à quo sublunaria stabiliter conservari debent in suis generationibus.

Dices imò. D. Petrus Epist. 2. c. 3. ait: *Cæli ar-*
den-

dentis solventur, go non sunt incorruptibiles 2dò, Cælum eandem specie habet materiam, quàm sublunaria, go sicut hæc sunt corruptibilia, ita illud. 3tio. Astrologorum Doctrina est, novas in cælo stellas repertas esse, prius nunquam visas; go cum generatio unius sit corruptio alterius, hæ novæ stellæ in cælo non sunt genitæ, nisi aliquid fuerit corruptum, adeoque cæli sunt corruptibiles. R. ad 1mum D. Petrum per *ly ardentis* idem intellexisse ac *splendentes*, seu *lucidi*, qui in extremo die Judicij solventur, non quidem virtute agentium naturalium, sed DEI sic ordinantis. Ad 2dum. C. A. N. C. Quia qualitates disponentes materiam cæli pro forma nova non sunt contrariæ ipsi formæ cælorum, adeoque proximè non disponunt pro corruptione formæ cælorum. Ad 3tium R. Astronomis credo novas stellas esse visas, sed nego illas esse genitas ex materia cæli, sed Dico, quòd quædam sidera non differant substantialiter à cælo, sed solum sint partes opacæ cæli, quæ ratione suæ opacitatis sunt transmissivæ lucis, & visibiles. Unde dum de novo videntur nova phænomena, vel stellæ in cælo, id non fit per generationem ex materia cæli, sed accidit, quatenus de novo talibus partibus cæli supervenit opacitas, quæ quia in partibus illis post tempus aliquod esse desinit, desinunt videri illæ stellæ prius visæ. Cur autem aliquas stellas admittam substantialiter differre à cælis, aliquas non, ratio est, quia sic loquendo valde probabiliter salvatur, non esse in cælo novas generationes, quibus semel admisis, magnam cælorum partem in aliud corpus mutatam admittere deberemus ab igne proximè partibus cæli applicato.

Dico 2dò. Cælum, & astra nullo modo moventur ab intrinseco, est *Urtadi*, *Mauri*, &c. Prob.

Si astra moverentur ab intrinseco, motus astrorum esset vitalis, adeoque astra viverent, seu essent animata aliquâ animâ; sed astra nullâ animâ sunt animata, go. Prob. M. Quidquid in loco sibi proprio, & statu connaturali perfectio constitutum se movet ab intrinseco per actionem immanentem, est vivens, ut ex Animastica suppono; sed si astra moverentur ab intrinseco, motus astrorum procederet ab eo, quod in loco sibi proprio &c. go. Prob. etiam min. Primi syllog. imò auth. SS. PP. in specie S. Damasceni asserentis: *Nemo cœlos, aut luminaria arbitretur esse animata; animâ enim, & sensu carent.* Item Concil. Constantinopolitanum ait: *Si quis dixerit cœlum, aut solem, aut stellas animantes esse, anathema sit.* Prob. 2dò eadem min. ratione. Quia animæ in cœlo nullum indicium habemus; constans namque, & ordinatus, ac imperturbabilis motus cœlorum est potius indicium, quod astra moveantur ab extrinseco, ab Intelligentijs videlicet assistentibus. Non autem est indicium alicujus animæ in cœlis admittendæ, quam faciliè aliæ causæ naturales ab ordinato, & implexo hoc motu turbare possent.

Dices contrâ imò. Motus astrorū potest salvari per virtutem aliquam astris intrinsecam, putâ animam solum loco motivam circulariter, vel spiraliter, quæ non implicat, ergo. 2dò. Ex eo, quod lapis nativâ vi, & ab intrinseco semper tendat deorsum, non infertur eundem habere animam viventem, go nec cœlos. 3tid. Non implicat qualitas talis naturæ, quæ semel applicata, seu impressa corpori versus aliquam partem, exigat perpetuò movere corpus versus illam partem, nec impediri possit absque violentia; go potest dari etiam substantia sic exigens moveri corpus circulariter. 4tò. Si astra moverentur ab extrinseco, moverentur motu violento;

lento ; siquidem talis motus non esset illis connaturalis, 1^{to}. S. August. ait : *Nec illud certum habeo, utrum ad civitatem supernam pertinet sol, luna, & sidera animata.* R. ad 1^{um}, N. Ass. talis enim virtus locomotiva necessariò infert cælos vivere, & motum cæli fore vitalem. Unde ad 2^{dum} C. A. N. C. Dispar. est, quòd lapis tendat deorsum ex loco solum sibi improprio, & statu connaturaliter imperfecto, seu violento. Astrorum autem motus esset ex loco proprio, & statu connaturali perfecto, nec ullo modo violento. Ad 3^{tium} C. Totum, ex tali enim qualitate non probatur cælos moveri ab intrinseco; siquidem illa qualitas non moveret, nisi ab extrinseco mota, & impressa corpori. Quodsi autem velis inferre ex non implicancia talis qualitatis possibilem etiam substantiam, exigentem motum v. g. circularem perpetuum, R. sub distinct. substantia vitalis est talis naturæ possibilis, C. non vitalis, N. Ad 4^{tum} N. assump. Ille enim motus non esset connaturalis astris, solum connaturalitate strictâ, seu non exigitus, esset autem connaturalis connaturalitate in latiori sensu sumptâ, quatenus videlicet non esset cum resistantia, & repugnantia passi. Ad 5^{tum} Dico, quòd S. August. intellexerit solem, lunam &c. esse animata, non per informationem, sed per assistentiam, eò quòd Angeli eisdem assistentes moveant illa.



DISPUTATIO IV.


De Ente Alterato, Raro, Replicato,
& Projecto.

S E C T I O I.

De Ente alterato.

Alteratio strictè accepta dicitur: *Motus ad aliquam qualitatem.* Motus hic duplex est: *extendens, & intendens.* Extendens est, dum qualitas aliqua, v. g. calor extenditur ad plures partes subjecti, putà in ligno tripalmari ex palmo imò ad 2dum, & 3tium. Intendens est, dum in eadem parte subjecti sensibilibiter augetur qualitas. Hic iterum duplex est: *Causalis, & formalis.* Causalis, seu activus est ille ipse qui producit formalem. Formalis verò est ratio illa, seu forma, per quam subjectum aliquod denominatur ex tali magis tale. Dari motum intendentem tam causalem, quàm formalem, extra controversiam est. Per quid autem motus intendens qualitatem habeatur, multùm controversum est. pro cuius decisione

Dico imò. Intensio qualitatum physicarum fit per additionem gradus ad gradum in eadem parte subjecti. Prob. imò. Extensio fit per hoc, quòd plures partes ejusdem qualitatis ponantur in diversis partibus subjecti; go Intensio fiet per hoc, quòd plures gradus ejusdem qualitatis ponantur in eadem parte subjecti. 2dò. Aliquis gradus caloris v. g. facit subjectum calidum; go plures recepti in eadem parte subjecti facient illud magis cali-



calidum : sicut enim se habet simpliciter ad simpliciter, ita se habet magis ad magis, cum igitur unus gradus caloris v. g. faciat subjectum simpliciter calidum, plures in eadem parte recepti facient illud magis calidum.

Hinc infero imò contra *Capreolum*, & *Ægydium* Intensionem non fieri formaliter per depurationem à contraria qualitate. imò. Quia multæ qualitates intenduntur, quæ nullum habent contrarium, ut lux, &c. 2dò. Juxta Trident. datur Intensio in gratia habituali; hæc autem fieri nequit per depurationem contrariæ qualitatis, quia eo momento, quo minimus gradus gratiæ habitualis ponitur in peccatore, destruitur omnis noxa lethalis. 3tio. Sequeretur aquam futuram frigidam sine omni frigore. Dum namque aqua calida ut 8. reduceret se ad frigus, juxta hanc sententiam non intenderetur in frigore per novum frigus, sed per amissionem caloris prioris, 9o sine frigore evaderet frigida intensivè.

Neque dicas imò. Aristot. docere subjectum fieri magis tale, quando minus habet de admixtione contrarij, 2dò. Quò plus caloris aufertur ab aqua, hæc evadit magis frigida, 9o. & ad utrumque, per depurationem contrarij haberi intensionem solùm exigitive, & radicaliter, non autem formaliter.

Infero 2dò contra *Durandum*: Intensionem non fieri per mutationem totius qualitatis remissæ in intensiorem. imò. Quia remissio qualitatis non fit per destructionem totius intensæ, & productionem minus intensæ, cum talis productionis nulla sit assignabilis causa in casu, quo aqua ab igne remota, & in nivibus v. g. collocato vasculo, sensim successivè se reducit ad pristinum frigus. 2dò. Quia etiam intensio gratiæ fieret per destructionem prioris remissionis, cum tamen juxta communem sensum Theolog. gratia

gratia in homine non destruat aliter, quàm per peccatum.

Dices contrà 1mò. Intensio est motus à termino à quo ad terminum ad quem; sed dum mobile movetur à termino à quo ad terminum ad quem, amittit priorem terminum; ergo etiam dum intenditur v. g. calor, amittet terminum à quo, qui est qualitas imperfectior. 2dò. Fax posita in loco a. v. g. illuminans objectum f. postea eadem fax posita propinquius v. g. in loco c. objectum illud illuminat intensius, & tamen in casu hoc prior lux perit; ergo intensio fit per deperditionem prioris qualitatis imperfectioris, & productionem novæ perfectioris. 3tiò. Dum arcus ex minori curvitate transit ad majorem, hæc major curvitas non fit per additionem curvitatibus, sed per deperditionem prioris, & productionem novæ; ergo idem dicendum de intensione. 4tiò. Actus vitales, ut cognitio, & amor, intenduntur per deperditionem prioris, & productionem novæ perfectioris intensioris; ergo etiam aliæ qualitates sic intenduntur. R. ad 1mum C. M. D. m. amittit terminum à quo Totalem, tam 2dum quod dicit de positivo, quàm negativo, N. m. 2dum quod dicit de positivo, subd. in motu conversivo, tr. m. In motu alterativo, N. m. & C. Terminus totalis à quo in alteratione est tum prior qualitas remissior, tum negatio, seu carentia ulterioris intensioris: hanc mobile, dum movetur ad majorem intensioris, amittit, non autem illam. Ad 2dum D. 2dam partem anteced. & tamen in casu hoc prior lux perit ex eo, quòd magis intendatur lux, N. ex eo, quòd mutetur distantia facis, à qua sic distante prior lux desumebatur, C. A. & N. C. Ad 3tium C. A. N. C. Disp. est, quòd major, & minor curvitas respectu ejusdem subjecti simul & semel sit impossibilis naturaliter; curvitas enim desumitur

ex certis ubicationibus. quia ergo naturaliter est impossibile aquirere novam totaliter ubicationem, non deperditâ priori, impossibile est naturaliter, idem subjectum fieri simul & semel magis, & minus curvum. Ad 4^{am} C. A. N. C. Dispar. est, quod actus vitales sint indistincti ab actione sui productiva, adeoque clarior cognitio nequit fieri per additionem, sicut nequit fieri actio productiva Intensior per additionem, sed per novam à priori specie distinctam, habeturque per ipsam vivaciorem tendentiam actûs in objectum, quæ tendentia est actui vitali identificata.

Infero 3^{tiò} contra Cajetanum, & Thomistas: Intensionem non fieri per majorem radicationem qualitatis in subjecto. Et quidem, si per majorem radicationem intelligatur, quod qualitas perfectiorem aquirat existentiam, clara est conclusio, quia, juxta dicta in Ente possibili, essentia ab existentia non distingvitur; ergo quemadmodum eadem qualitas nequit habere modò perfectiorem, modò imperfectiorem essentiam, ita nec existentiam. Si verò per ly *majorem radicationem* idem intelligatur, ac quod perfectiorem aquirat unionem, etiam Prob. Quia vel illa perfectior unio fieret per destructionem prioris, & productionem novæ, & si hoc, contra sunt ea, quæ paulò antè contra Durandum attulimus. Vel verò fieret per additionem novæ unionis ad priorem, & contrà est: Quia longè congruentius est dicere, intensionem fieri per additionem qualitatis ad qualitatem, quàm unionis ad unionem, quia stante hâc doctrinâ deducitur, quod qualitas unita per unionem unicam sit longè intensior, quam unita per plures: quia unita per unicam unionem esset qualitas magis radicata in subjecto, cùm difficiliùs expellatur, quàm unita pluribus unionibus. Apud omnes enim certum est.

qua-

qualitatem remissam (qualis juxta hanc sententiam esset unita solum unâ unione) difficilius expelli, quam intensam. Deinde unio nequit esse principium activè intendens, cum operativa non sit, ergo erit solum conditio. Conditio autem virtutem causæ formalis non auget, sed solum expeditam reddit; ergo unio non intenderet formaliter subjectum, sed qualitas. Si tandem cum nonnullis per ly majorem radicationem intelligatur perfectioreductio qualitatis ex potentia subjecti, Contrà est: Quia adveniente hâc novâ perfectiore educatione, vel prior destruitur, vel non? Si *1um*, est sententia similis Durandi, jam refutata. Si *2dum*, ergo eadem qualitas penderet à duplici actione totali, vel una totali, altera partiali, quod pariter ut chymericum rejectum est in Disputat. de causis Entium.

Obj. contrà *1mò*. Anima unita carni perfectiores elicit operationes, quam unita ossi, ideo, quia ibi habet perfectiorem unionem. *2dò*. absquè additione novæ quantitatis augetur extensio quoad locum; ergo etiam intensio absquè additione novæ qualitatis. *3tò*. Juxta Arist. qualitas non suscipit magis & minus; ergo intensio non fit per additionem qualitatum. *4tò*. Qualitas non est quanta; ergo non potest dici habere partes. *5tò*. Intensio motûs localis non fit per additionem motûs ad motum; ergo nec qualitatis. *6tò*. Perfectior Angelus non fit per additionem perfectionis ad perfectionem; ergo nec qualitas perfectior per additionem qualitatis ad qualitatem. R. ad *1um* N. ly ideo, sed ideo, quia in carne habet perfectiora organa, & magis disposita. Ad *2dum* C. A. N. C. Ratio est, quod extensio formaliter non habeatur per quantitatem, sed per ubicationem. Ad *3tium* Aristoteles locutus est, quod in essentia sua metaphysica non suscipiat

piat magis & minus : hæc enim habetur adæquatè per genus proximum, & differentiam ultimam. Ad 4^{um} C. A. N. C. aliàs nec gratia in homine posses intendi per additionem partis ad partem. Solùm igitur ex illo anteced. inferri potest, qualitatem non habere partes secum invicem naturaliter impenetrabiles. Ad 5^{um} C. A. N. C. Dispar. est, quòd motus localis sit Ens essentialiter successivum, adeòque nunquam potest habere partes simul, & per consequens nec hæc Intensio fieri per additionem motus ad motum. Ad 6^{um} C. A. N. C. Dispar. est, quòd perfectio substantiva non suscipiat magis & minus, suscipit autem perfectio accidentaria.

Dico add. Gradus Intensionis sunt inter se heterogenei, heterogeneitate ordinis simul, & perfectionis. Ita Suarez, Urtad. Maurus part. 3. q. 28. contra communem RR. quos citat Quiros hic Disp. 73. sect. 3. Prob. 1^{mo}. Quia si gradus intensionis essent homogenei, tunc si 8. carbones disponerentur in coronam, in centro hujus coronæ esset tam intensus calor, quàm sit in quolibet carbone, quod est contra manifestam experientiam. seqv. autem ostenditur: quia quilibet horum carbonum in illo centro producet saltem unum gradum caloris: suppono enim, centrum hoc non esse extra sphæram activam illorum carbonum, consequenter centrum, seu subjectum intendent illi calores ut octo. Prob. 2^{do}. Admittendo, gradus intensionis esse heterogeneos, assignatur ratio à priori, cur simile non possit agere in simile, quam Homogeneistæ assignare non possunt; go sententia heterogeneistarum est præferenda huic. A. patet. Quia juxta Heterogeneistas ideo calidum ut tria non potest agere in aliud calidum ut tria, quia quartus gradus caloris, quem deberet producere in calido ut tria, est perfectior gradu ter-

tio, adeoque superat activitatem calidi ut tria, consequenter cum in causis univocis effectus perfectior nequeat produci à causa imperfectiori, calidum ut tria non potest agere in aliud calidum ut tria.

Neque dicas, etiam Homogeneitas dare rationem à priori, cur simile non agat in simile; quia videlicet non habet finem agendi. Contra enim est: Finis agentium naturalium non est assimilare solummodo sibi passum quoad intensiorem qualitatis, sed simul est disponere subjectum, quantum fieri potest, ad formam substantialem; natura enim per alterationes maximè, & principaliter intendit productionem substantiæ. ergo.

Obj. 1^{mo}. Si gradus intensiorem essent heterogenei, heterogeneitate ordinis simul & perfectionis, intensio caloris v. g. fieret per qualitates diversæ speciei; illi namque gradus inter se differrent specie; hoc autem est impossibile, go. 2^{do}. Per plures albedines omninò ejusdem perfectionis, positas in subiecto, subjectum fit magis album; go nulla est necessitas graduum heterogeneorum in Intensione. 3^{to}. Ut subjectum ex simpliciter quanto fiat magis quantum, necesse non est, ut eidem addatur quantitas diversæ rationis; go etiam, ut subjectum fiat ex simpliciter v. g. calido magis calidum, necesse non erit, ut illi addatur calor diversæ rationis à imo. &c. ad 1^{um} D. M. Intensio caloris v. g. fieret per gradus diversæ speciei specie completâ, quarum una non ordinatur à natura ullâ ratione ad constituendum unum totum cum altera, N. M. specie solum incompletâ, quarum una ordinatur à natura ad constituendum unum totum cum altera, C. M. & similiter dist. min. N. C. Sic etiam, juxta probabilem sententiam, animæ brutorum constant partibus heterogeneis, quæ tamen constituunt

unt unum totum. Ad *2dum* D. A. Subjectum fit magis albam, ly magis supponendo intensivè intensione oppositâ remissioni, N. A. ly magis supponendo intensivè intensione oppositâ extensioni ejusdem qualitatis ad diversas partes subjecti, C. A. & N. C. Ad *3tium*. C. A. N. C. Ad rationem enim *extensi* non requiritur aliud, quàm ut in diversis partibus invicem unitis ponantur plures partes qualitatis, seu ejusdem, seu diversæ rationis. Ad rationem autem *Intensionis*, prout hæc opponitur *remissioni*, requiritur, ut in eadem parte subjecti ponantur plures partes perfectiores & perfectiores, quia per hanc intensionem qualitas fit *simpliciter perfectior* remissâ, adedque debet continere aliquid simpliciter perfectius, quod non continetur in remissâ.

Dices cum *Dequiros*: Gradus ille, qui facit qualitatem intensam ut duo, potest manere solus, ablato priori, & facere intensam qualitatem solùm ut unum; ergo intensio fit ex gradibus homogeneis. R. D. A. qui facit qualitatem intensam ut duo, intensione oppositâ remissioni, seu qui facit simpliciter perfectiorem qualitatem, quàm fuerit remissâ, potest manere solus, & facere intensam qualitatem ut unum, N. A. qui facit qualitatem intensam intensione solùm oppositâ extensioni, C. A. & N. C. sub eadem distinctione. Gradus igitur ille, qui facit qualitatem intensam ut duo, intensione oppositâ remissioni, licet possit supernaturaliter conservari solus, priori destructo, in hoc tamen casu non reddit subjectum intensum ut duo, vel ut unum, sed solùm reddit intensum per *2dum* gradum. Intensum enim ut duo dicit duos gradus qualitatis in subjecto receptos ita subordinatè, ut primus disponat subjectum ad recipiendum *2dum*,

& 2dus uniatur immediatè tam subjecto, quàm primo gradui, tanquam subjecto suo partiali.

Pro reliquis *Nota* imò, Intensio opposita remissioni non fit à duabus causis homogeneis, agentibus actionibus homogeneis, sed agentibus actionibus heterogeneis. Unde fit, quòd, dum sol v. g. vel fax 1mo instanti producit in objecto lucem intensam ut unum, 2do Instanti, etiam manente eadem distantia objecti, mutatis tamen aliquibus circumstantijs, producat perfectiorem effectum, non tamen eadem actione productivâ, quâ priùs, sed diversâ, & heterogeneâ à priori. 2do. Intensio opposita remissioni non debet desumi à perfectiori sensatione. Certum quippè est, quòd in ære vel plumbo non sit major intensio caloris, quàm in igne, & tamen illa citius, & vehementiorem sensationem producant in manu v. g. hominis, quàm ignis; igitur intensio opposita remissioni desumi debet ex heterogeneitate graduum. 3to. Licet gradus heterogeneus tertius sit perfectior imò & 2do, hi tamen non sunt superflui in subjecto, quia 1mus & 2dus disponunt subjectum ad recipiendum tertium, quod tertius præstare non potest, nec se solo redit intensum subjectum ut tria, sed cum primo, & secundo unitus, ut superiùs dixi. 4to. Homo justus habens intensam gratiam ut 4. accedens ad Sacramentum cum attritione intensa ut unum merebitur gratiam intensam ut 5. & non solùm ut unum, quia meritum actuum supernaturalium non desumitur solùm ex Intensione actuum merentium, sed simul ex dignitate personæ merentis. 5to. *Nota ex Urtado hic Disp. 5. §. 4.* Compositum, seu aggregatum ex gradu 1mo & 2do esse absolutè perfectius, quàm solus gradus 2dus; gradus enim primus secundùm se dat effectum formalem diversum, quem non dat 2dus solus.

los. Quemadmodum quoque quamvis actualis intellectio sit imperfectior ipso intellectu, quia tamen ab actuali intellectione acquirit Intellectus perfectionem dissimilem ab illa, quam habuit ante actualem intellectionem, fit, ut intellectus actu intelligens sit simpliciter, & absolute perfectior, cæteris paribus, intellectu actu non intelligente. Ita etiam fit, ut complexum ex gradu 1mo & 2do, unitis eidem subjecto, sit simpliciter & absolute perfectius, quam solus gradus 2dus. 6to. Si post primum gradum caloris ponantur in eodem subjecto 4. vel 5. 2di, inter se solo num. distincti, qualitas non evadet magis intensa, quam ut duo, intentione opposita remissioni. 7mo. Ipse gradus intendens qualitatem est in se indivisibilis formaliter. Vel si admittas adhuc divisibilem in alios duos, hos dic esse indivisibiles, & heterogeneos, non tamen specie completâ diversos ab invicem.

S E C T I O II.

De Ente Raro.

Dico 1mo. Forma denominans in genere causæ formalis subjectum rarum, non est vacuitas intercepta inter partes corporis rarefcentis. Ratio est, quia rarefactio datur naturaliter, vacuum autem naturaliter dari nequit.

Dico 2do. Hanc formam non esse Quantitatem, est contra Scotum. Prob. Quantitas, ut docui in Ente Continuo, non est formalis extensio, sed est indifferens ad majorem vel minorem extensionem; rarefactio autem est actualis extensio, ergo.

Dicos 3mo. Intensio qualitatum fit per additionem

nem novæ qualitatis ; 2o etiam extensio per additionem novæ quantitatis. 2do. Non est intelligibile, quomodo eadem quantitas fiat jam ad minus, jam ad majus spatium extensa. 3to. Per rarefactionem augetur corporis impenetrabilitas, 2o quantitas. R. ad 1um C. A. N. C. Quia extensio, seu rarefactio non est motus ad quantitatem, sed ad qualitatem ; ergo hæc potius habebitur per additionem qualitatis, sicut intensio. Ad 2dum N. A. Sicut namque eadem materia potest esse jam sub magna, jam sub parva quantitate, ita etiam eadem quantitas jam sub parva, jam sub magna extensione. Ad 3tium D. A. augetur extensivè, C. A. Intensivè N. A. & C.

Dico 3to. contra *Dequiros*: Forma denominans subjectum rarum non est unio partium facilè solubilis. Prob. Quia juxta communem sensum DD. Rarum est id, quod est extensum ad majorem locum ; hæc verò sententia absque omni extensione quoad locum vult salvare rarum, 2o faciet Quæstionem de nomine, quid rarum sit.

Neque dicas, In Eucharistia Sangvinem Christi esse rariorem, quàm sit caro, & hanc, quàm sint ossa, & tamen nec sanguis, nec caro sunt extensa ad locum. R. esse sanguinem rariorem raritate solùm in actu 1mo acceptâ, non verò in actu 2do.

Dico 4to. Forma denominans subjectum rarum non est Introsusceptio corpusculorum. est contra *Arriagam*, *Oviedum*, *Ayleward*. Prob. Quia sinè omni introsusceptione corpusculorum dabilis est rarefactio ; 2o in illa statui nequit ; aliàs haberetur formalis effectus denominationis sinè causa formali. A. autem patet ab experientia Magdeburgica. Deinde hæc sententia non ponit eandem materiam sub magna dimensione,
quæ

quæ antè erat sub parva, quod ad rarefactionem propriè talem requiritur.

Pro object. *Nota 1mò.* Verum esse, quòd frequenter rarefactionem consequatur corpusculorum Introsusceptio, per hanc tamen formaliter nunquam habetur. *2dò.* Caro humana, dum poris apertis attrahit humorem, propriè in sensu Philosophico non rarefit; aliàs etiam vesica rarefieret, dum impletur aère. *3tò.* Per Introsusceptionem corpusculorum idem corpus non occupat majus spatium, quàm occupaverit priùs, sed occupat solùm aliud.

Dico 5tò. Forma denominans in actu secundo subjectum rarum, est major ubicatio corporis. Prob. Forma denominans subjectum in actu 2do rarum est illa ipsa, quæ formaliter extendit subjectum ad majus spatium; sed hæc est ubicatio. Juxta Dicta enim in Disp. de Ente modali, ubicatio est ultima actualis determinatio subjecti ad spatium, ad quod ubicat, ergo.

Dices contrà *1mò.* Sequi hinc, quòd etiam Angelus posset rarefieri, cùm possit ubicari ad majus spatium per ubicationem majorem, *2dò.* Aliquæ substantiæ difficiliùs longè rarefiunt alijs; ergo forma rarefactionis erit ipsa forma substantiæ. *3tò.* Corpus violenter tensum extenditur ad majus spatium per majorem ubicationem, & tamen non rarefit, go. *iv.* ad *1mum* N. assump. Rarefactio enim est extensio Entis materialis ad majus spatium; Angelus autem non est Ens materiale. Ad *2dum* N. C. ex hoc enim anteced. solùm sequitur, quòd rarefactio radicaliter habeatur etiam ab ipsa forma substantiali, non autem formaliter. Ad *3tium* D. A. extenditur ad majus spatium servatâ totâ priori trinâ dimensione integrâ, quam

habuit, N. A. deperditâ priori trinâ dimensione, C. A. & N. C.

Dices ultro. Si forma rarefactionis esset major ubicatio, tunc per rarefactionem semper corpus replicabitur: quia dum corpus semipalmare rarefit ad spatium palmi, occupat simul & semel duo spatia. Item per condensationem penetrabitur; si enim corpus palmare constans 10. indivisibilibus condensetur ad semipalmum spatij constantem 5. indivisibilibus, necessarium est, ut uni indivisibili spatij correspondeant duo indivisibilia corporis. R. N. A. ad ejus probat. D. A. occupat simul & semel duo spatia, quorum quodlibet sit adæquatus locus corporis rarefacti, & simul per duplicem ubicationem, quarum quælibet sit adæquatè extra aliam, N. A. duo spatia, quorum neutrum sit adæquatus locus corporis illius rarefacti pro circumstantijs rarefactionis, nec occupat illa per ubicationem duplicem, quarum quælibet sit actu adæquatè extra aliam, C. A. N. C. Ad replicationem enim requiritur, ut res imo modo existat in duobus spatijs. Ad *adum* assumptum R. In tali casu omninò necessarium futurum, ut duo indivisibilia corporis correspondeant uni indivisibili spatij; sed quia non respondebunt illi per unicam ubicationem indivisibilem, vel per duas tales, quarum quælibet non sit adæquatè extra aliam, non penetrabuntur illa duo Indivisibilia corporis inter se. Igitur in hoc casu duo indivisibilia corporis affiguntur uni indivisibili spatij per duas ubicationes ita, ut si loco indivisibilis spatij ponerentur duo minora, quibus æquivalet, unum indivisibile corporis uni, alterum alteri indivisibili spatij per suam ubicationem responderet solùm, & non quodlibet utrique.

Dices iterum: Ad minùs sequi, quòd indivisibile rare-

rarefactum mutet suam essentiam; quia ante rarefactionem æquivalerat v. g. duobus solum indivisibilibus determinatæ molis loco sui ponibilibus; rarefactum autem ad majus spatium æquivalet etiam sex illius determinatæ molis indivisibilibus; ergo cum æquivalentia talis sit identificata indivisibili, hoc rarefactum mutando æquivalentiam mutabit essentiam. R. N. assump. ad probationem dico, quod æquivalentia illa determinata non sit identificata indivisibili sumpto secundum se entitative, sed prout ubicato tali certâ ubicatione; adeoque cum rarefactum non servet priorem, sed aliam acquirat ubicationem, etiam aliter æquivalet, quin mutet suam essentiam. Sic Angelus occupans medium scholæ æquivalet aëri tanto, qui necessarius est ad implendum spatium mediæ scholæ; Idem tamen occupans unum angulum scholæ, non æquivalet in actu 2do tanto aëri, ac prius.

S E C T I O III.

De Ente Replicato.

Dico imò. Replicatio corporis circumscriptiva non implicat. Ita communis contra Thomistas. Pr. imò. Non implicat idem numero corpus in uno loco existere definitive, in alio circumscriptive: defactò namque sic existit Corpus Christi in Venerabili, & in cælo ad dexteram Patris; ergo nec repugnat idem numero corpus existere in duplici loco circumscriptive. prob. C. Hoc ipso, quod non implicet idem numero corpus existere in uno loco definitive, in alio circumscriptive, essentia ubicationis, circumscriptive assignantis corpus ad aliquod spatium, non est, ita illud

affigere ad determinatum hoc spatium, ut corpus hoc simpliciter nullibi alibi existat; go sine contradictione conceptus ubicationis circumscriptivæ salvatur cum hoc, quòd corpus existat etiam in alio loco.

Neque dicas, non esse paritatem bonam ab existentia definitiva, compossibili cum circumscriptiva, ad aliam circumscriptivam: quia Corpus Christi, existens definitivè in Venerabili, existit solùm sacramentaliter, hoc est, non per occupationem loci. Contrà enim est. Etsi Corpus Christi, existens sacramentaliter in hostia, non existat per occupationem loci, existit tamen per veram realem præsentiam, seu ubicationem affigentem Corpus Christi ad has determinatas species, ita, ut idem Corpus non existat in locis intermedijs inter unum & alterum, v. g. altare; go si hoc non obstat Ubicationi circumscriptivæ, nec obstabit 2dum. **Confir. Conclusio à miraculis, quæ ab Ecclesia Catholica pro veris agnoscuntur.**

Dices contrà *imò*. Corpus in duobus locis adæquatis existens circumscriptivè, nec esset unum, nec divisum. Non divisum à se, ut ipsi fatemur: Non unum, quia non esset indivisum in se. *add.* Taliter corpus existens distaret à se ipso, quod est impossibile, go. *3tò*. Nequit idem corpus simul & semel esse in duobus temporibus; ergo nec in duobus locis adæquatis. *4tò*. In tali casu neuter locus esset adæquatus corporis illius; quia de ratione loci adæquati circumscriptivi est, ita continere intra se corpus, ut nihil illius, & nec illud totum sit alibi. *5tò*. Principium certum, ex quo indubitanter inferimus duo esse distincta, est, quòd experiamur illa esse in diversis locis circumscriptivè; hoc autem falsificaretur admittens replicationem circumscriptivâ. Imò dubitare possemus, an non modò integrum mare sit solummodò
unica

unica gutta aquæ sæpius replicata, go. R. Imò hæc omnia retorquendo contra replicationem definitivam. R. 2dò Ad 1mum N. A. ad prob. Dico: Corpus illud fore unum, quia esset adhuc indivisum in se, indivisione intrinsecâ, & entitativâ, licet esset divisum divisione extrinsecâ, & locali, quæ non obstat, quò minus corpus sit unum: quemadmodum non obstat, quò minus corpora sint duo, licet invicem penetrentur, & non sint divisa divisione locali sibi extrinsecâ. Ad 2dum D. A. distaret à se ipso, si ly distaret idem significet, ac *existeret in locis distantibus*, C. secus, N. A. Ad hoc enim, ut idem corpus distaret à se ipso, deberet esse in loco *b. v. g. Posonij*, & nullo modo in loco *a. v. g. Tyrnaviæ*. Neque dicas, ex hoc sequi, quòd nec locus Tyrnaviensis, & Posonienis distarent ab invicem, quia essent indistantes ab uno 3tio, nempe corpore replicato. R. enim N. assump. ad ejus probat. D. ab uno 3tio, quod est mensura eorum, N. A. quod non est mensura, C. A. Sic nec Tu distas, nec Turcarum Imperator ab immensitate DEI: sequitur tamen, illum à te, vel te ab illo non distare? Ad 3tium C. A. N. C. Disparitas est, quod duo Tempora esse simul sit impossibile, cum Tempus sit Ens essentialiter successivum. Ad 4tum N. utrumque Ant. aliàs corpus idem nec posset esse in uno loco circumscriptivè, in alio definitivè. Unde explicatur ly *ut nihil illius sit alibi*: quòd videlicet non esset intra locum suum adæquatum. Ad 5tum D. A. Principium certum est illud certitudine physicâ, C. metaphysicâ, N. A. Falsificari autem certitudo physica potest, quia fundatur solùm in exigentia naturali rerum, contra quam DEUS ut supremus Dominus agere potest. Ad id, quod additur, N. quòd cum fundamento in re, & prudenter dubitare possimus, an mare integ-

rum non sit una gutta sæpiùs replicata. Donec enim non habeamus fundamentū prudens dicendi, factum esse miraculum, imprudenter dubitabimus, an non totum mare sit una gutta replicata, cum replicatio naturaliter fieri non possit, sed solum miraculose.

Pro reliquis *Nota imò.* Esto semipalmus, qui est pars palmi, replicatus occupet spatium palmi, non sequitur tamen, partem esse æqualem toti, vel idem majus se ipso entitative, & 2dum magnitudinem essentialem: sed solum sequitur, esse æqualem quoad ubicationem, & hanc ipsam solum accidentaliter exigitam, quod non est impossibile. 2dò. Ex eo, quod possibilis sit replicatio circumscriptiva supernaturaliter, non sequitur, quod etiam naturaliter. Lapis enim replicatus in aëre vel non moveretur naturaliter deorsum ullâ vi, vel si moveretur, non foret replicatio naturaliter, quia non acquireret duo ubi adæquata, nullo præsupposito miraculo, & pro circumstantiis replicationis non exigita. Vide *Card. de Lugo, Diss. 5. de Euch. Sect. 1.*

Dico 2dò. Ubicatio, aliâque accidentia essentialiter affixa loco determinato, nec divinitus replicari possunt. Ita *Oviedo Contr. 15. Phys. punct: 19.* Prob. Si ubicatio v. g. Tyrnaviensis, idem est de alijs accidentibus essentialiter affixis loco determinato, replicaretur, & poneretur Posonij, hæc ubicatio alicubi existeret sine sua essentia; hoc autem implicat, ergo. M. prob. Ubicationis Tyrnaviensis essentia est, esse Tyrnaviæ; ergo ubicunq; est existens hæc ubicatio, deberet esse Tyrnaviæ; sed Posonij esset existens, & ibi non esset Tyrnaviæ; ergo ibi esset sine sua essentia. Neque dicas, hanc ubicationem Posonij solum per accidens fore existentem. Contrâ enim est: homo nec per accidens potest alicubi existere, & ibidem non esse
ani-

animal rationale, ideo, quia essentia ejus est, esse animal rationale, & idem sine se ipso nullibi potest existere; sed etiam hujus ubicationis essentia est, esse Tyrnaviæ, go sine hac nullibi potest esse. Deinde ubicatione Tyrnavientis si posset poni per replicationem Posonij, hoc ipso esset, & non esset modus; quia esset indifferens, ut existat Posonij, vel non, qualem indifferenciam homogeneous in modis admittere nullum est fundamentum, ut ostendi in Disp. de Ente modalis.

Dices contra *imò*. Ubicatione Tyrnavientis, posita per replicationem Posonij, haberet totam suam essentiam, quia illa ubicatione existens Posonij, adhuc esset ultima actualis determinatio sui, & Petri v. g. ad existendum Tyrnaviæ, quod prob. Hic conceptus: *esse essentialiter Tyrnaviæ, seu non posse metaphysicè, & absolute non esse Tyrnaviæ, non æquivalet huic: Esse Tyrnaviæ, & non posse esse alibi*; go cum hoc conceptu: *esse alibi*, stat hic: *Non posse metaphysicè non esse Tyrnaviæ*. Confir. Licet Petrus existens Tyrnaviæ, prout existens Tyrnaviæ, metaphysicè non possit non esse Tyrnaviæ, per hoc tamen potentiam ad existendum alibi non amittit; go idem dicendum de ubicatione. *2dò*. Replicato Petro, debet cum illo replicari, quidquid est illi essentialiter affixum; sed ubicatione est illi essentialiter affixa, go. R. ad *imùm* N. A. cum sua probat. ad hujus prob. D. A. Hic Conceptus: *esse essentialiter Tyrnaviæ ultimò, seu non posse metaphysicè non esse Tyrnaviæ ultimò, non æquivalet huic: Esse Tyrnaviæ, & non posse esse alibi*, N. A. Hic Conceptus: *esse Tyrnaviæ essentialiter, non tamen ultimò, non æquivalet illi*, C. A. & N. C. sub eadem distinctione, quæ etiam ad confirmationem pro disparitate est adhibenda. Unde sicut homo nec per accidens potest existere alicubi sine animali rationali, quia ultima

tima ratio formalis constituens hominem, est animal rationale, ita ubicatio Tyrnaviensis nec per accidens potest existere Posonij, & ibi non esse ultima actualis determinatio sui, & Petri ad esse Tyrnaviæ, quia illius essentia est, *Ultimò essentialiter affigere se*, & Petrum ad existendum Tyrnaviæ. Ad 2dum D. M. quidquid est illi essentialiter affixum, sumpto entitative, & præciso à loco, C. A. quod est illi affixum essentialiter, sumpto reduplicative cum respectu ad locum, N. M. & sic de reliquis.

Dico 3tio contra *Oviedum, Ariagam, &c.* Res replicata potest plus, quàm non replicata. Ita *Comptonus Disp. 35. Phys. Prob. 1mò.* Quia ex hoc nulla sequitur contradictio, ut patebit ex solut. object. 2do. Res in duobus locis existens non minùs est virtualiter duplex, quàm existens in duobus temporibus, & prorsus independens à semetipsa, existente in alio loco; go sicut res existens in duobus temporibus potest plus agere, & pati, quàm existens in uno, ita etiam existens in duobus locis. Neque enim obstat quidquam, duo illa tempora non esse simul. Nec enim duo spatia sunt simul simultate loci.

Dices 1mò. Rei replicatæ nihil additur aliud, quàm sola ubicatio; sed hæc nihil superaddit virium, go nihil potest plus in duobus locis, quàm in uno. 2do. Res posita in eodem loco per duas ubicationes, non posset plus agere, vel pati; go nec potest posita per duas ubicationes in locis distinctis. 3tio. Actus contrarij, v. g. amor & odium, non opponuntur sibi in ordine ad locum, respiciendo ipsum locum, sed in ordine ad subjectum, respiciendo ipsum subjectum; go cum subjectum etiam replicatum maneat idem, manebunt actus illi impossibiles, sicut sunt respectu subjecti illius existentis in uno tantum loco. 4to. Si amor,

amor, & odium ejusdem objecti posset sine contradictione prædicari de subjecto replicato, posset etiam de non replicato, dum v. g. Angelus replicatus prius, de non replicato, dum v. g. Angelus replicatus prius, postea obviando sibi ipsi penetraretur secum. *R.* Ad *1mum*, C. M. D. m. Ubicatio nova nihil superaddit virium intensivè, C. extensivè N. m. & C. Ubicatio igitur nova non adfert plures gradus virium, ut si supponas Petrum ante replicationem fuisse fortem ut sex, factâ replicatione non evadit fortis ut octo; adfert tamen plus virium, ly *plus* supponendo extensivè, quia facit Petrum bis fortem ut sex, mutando videlicet ejusdem activitatem proximam, in quantum reddit expeditum, ut in duobus locis, sit fortis ut sex, adeoque jam in duobus locis & consequenter bis tantum possit, quantum prius in unico solum, sicut positus in duplici tempore. Ad *2dum* *R.* *1mò*. Si antecedens supponat per *2dam* ubicationem ubicandam etiam *1mam*, N. Suppositum, posse sic poni rem in eodem loco per duas ubicationes adæquatas. Modus enim ad modum in eodem genere implicat. *R.* *2dò*. D. A. Si res in eodem loco per duas ubicationes existens ageret per actiones duas distinctas, adeoque esset causa virtualiter duplex, N. A. Si sic non ageret, C. A. & N. C. Ad *3tium* *1mò* potest argumentum retorqueri ad diversa Instantia. *2dò*. D. A. non opponuntur sibi in ordine ad locum oppositione actûs remoti, C. A. oppositione actûs proximi, N. A. Oppositio enim contradictoria in actu *2do* est: *Ejusdem de eodem, eodè modo sumpto, affirmatio, & negatio.* Neque ex hoc inferas, tolli contradictionem, si affirmes quidpiam sedens, neges autem surgens. Sic enim acceptus non fit virtualiter duplex, prout est subjectum eodem tempore in diversis locis existens. Ad *4tum* Dico, Angelum illum sibi ipsi obviantem secum ipso penetrari non posse, quia

quia penetrationem hanc impedirent formæ incompossibiles, videlicet *gratia*, & *peccatum*. Unde quemadmodum eidem animæ existenti in manu sinistra, obstat mōles corporea, quò minus penetraretur secum existente in dextera: ita in casu posito obstarent Angelo formæ illæ, ex quibus simul existentibus in eodem subjecto resultaret contradictio.

Ex his *Infero* imò. Posse eundem hominem, vel Angelum replicatum, in uno loco assentiri objecto, dissentiri eidem in altero. Non tamen, si Angelus non sit replicatus, & occupet spatium divisibile hujus scholæ, in uno angulo v. g. assentiri, in altero dissentiri eidem objecto. Sic enim Angelus non operaretur per modum causæ duplicis, sed solum unius, quia sic existens non esset in duplici loco adæquato.

Infero adò. Eundem hominem replicatum posse esse in uno loco justum, & amicum DEI, in altero inimicum. Imò in uno mori, in altero vivere, si videlicet *ly mori* sumatur solum respectivè ad locum, & significet Petrum v. g. *in hoc loco* non amplius habere vitam. Non verò si *ly mori* sumatur absolute, & significet Petrum *nullibi* vivere. Quod in alijs etiam prædicatis observandum. An autem talis homo posset salvari, & damnari, dubium est. Affirmat P. *Młodzianowski* Disp. 3. *Phys.* quamvis asserat, non fore completè beatum, siquidem replicatus esset in summa miseria. Ego ajo spectare ad Providentiā divinam, ut nunquam permittat replicatum mori in uno loco, quando aliter est dispositus ad salutem in loco altero.

SECTIO

SECTION IV.

De Ente projecto.

Utrum Projecta quiescant in Puncto Reflexionis?

Dico imò, In projectis motu perpendiculari sursum, si projectum non impingat in ullum aliud corpus reflectens, probabilius est, quòd aliquando possit dari quies positiva in puncto reflexionis. Semper tamen non datur. Probat Pars Ima. Virtus motiva corporis projecti, v. g. lapidis, quæ est impetus impressus, destruitur successivè à gravitate lapidis, resistente impetui; go in aliquo casu accidere potest, ut impetus ille impressus perveniat ad æquilibrium cum gravitate; sed in tali casu lapis in puncto reflexionis quiescere potest positive, quia in tali casu lapis 2do instanti nec ascenderet, nec descenderet. Si enim ascenderet; hoc ipso impetus esset major gravitate, si verò descenderet; gravitas esset major impetu, quod utrumque est contra suppositum, go. Prob. Ima Conseqv. Quia in hoc implicantia nulla est: Potest siquidem impetus, qui successivè destruitur, amittere illos gradus, quibus superabat gravitatem. Id quod congruè evincitur à paritate aliarum qualitatum, v. g. caloris, & frigoris, quæ quia invicem agendo, & reagendo destruuntur successivè, fieri potest, ut quandoque veniant ad æquilibrium.

Neque dicas: Impetum solùm tamdiu destrui successivè, quamdiu est potens ferre sursum; quamprimum

mum autem sit impotens ferre sursum, destrui eundem totum simul. Contra enim est, quod asserti hujus nullum sit fundamentum. Estò enim impetus ille non sit amplius potens ferre sursum, habet adhuc nihilominus finem existendi, videlicet, ut lapidem sustineat immotum. Deinde impetus est par alijs qualitibus, quæ successivè petunt destrui, etiam dum à contrario vincuntur.

Pars 2da etiam pr. Quia cum Impetus destruat uniformiter difformiter, contingere potest, ut postquam ultimò fuit potens movere sursum corpus projectum, ad illam remissionem deveniat, quam gravitas (quæ in corporibus gravibus specie diversis, vel etiam in medio densiori, diversam etiam habet proportionem destruendi impetum) sequenti instanti immediatè vincere possit; ergo quies positiva in puncto reflexionis non datur semper.

Dico 2da. In motu arcuali nulla datur quies positiva. Ratio est, quia in tali motu gravitas corporis projecti nullo instanti superat impetum impressum: aliàs corpus caderet lineâ rectâ deorsum, & non arcualiter. Motus enim naturalis gravium est lineâ rectâ deorsum.

Obj. 1mo. Si Impetus impressus in aliquo Instanti posset esse in æquilibrio cum gravitate corporis projecti, esset vel maximè instanti illo, quod immediatè succedit illi, in quo Impetus produxit ultimam ubicationem ferendo corpus sursum; sed in hoc nequit esse in æquilibrio; ergo nunquam, adedque nunquam naturaliter loquendo potest dari quies positiva in puncto reflexionis. prob. min. in Instanti assignato decrescit aliquis gradus ex impetu, vel totus perit simul; ergo nec hoc instanti erit in æquilibrio cum gravitate corporis projecti. A. prob. quia quolibet instanti


stanti decrefcit aliquis gradus impetûs. R. C. M. N. m. ad ejus probat. D. A. Instanti assignato decrefcit aliquis gradus ex impetu, ille videlicet, adûm quem priori instanti produxerat impetus ille ubicationem ultimam sursum, adeoque adûm quem impetus superabat gravitatem, C. A. alter aliquis, ex illis videlicet, adûm quos constituitur ille impetus æqualis gravitati corporis projecti, N. A. & C.

Instabis *1^{mò}*. Quando Impetus producit ultimam ubicationem sursum, tunc verum est dicere: *Nunc ita prævalet Impetus gravitati, ut immediate 2^{do} instanti non sit prævaliturus, &: Nunc ita non prævalet gravitas impetui, ut immediate 2^{do} instanti sit prævalitura.* 1^o immediate 2^{do} instanti gravitas prævalebit impetui, adeoque non erunt in æquilibrio. R. D. A. ut immediate 2^{do} instanti non sit prævaliturus in ordine ad motum, seu ascensum sursum, C. in ordine ad impediendum descensum, N. hanc partem, & D. etiam 2^{dam}: & gravitas 2^{do} instanti immediate sit prævalitura in ordine ad impediendum ascensum sursum, C. In ordine ad motum deorsum, N. A. & sub eadem distinct. Conseqv.

Instabis *2^{dò}*. Virtus motiva sursum, & impeditiva deorsum est eadem in Impetu; ergo si perit prima, peribit & 2^{da}. Idem est de virtute gravitatis motiva deorsum, impeditiva sursum. R. D. A. est eadem, ita tamen, ut plurium graduum virtus requiratur ad movendum sursum hoc determinatum corpus in his circumstantijs, quàm præcisè impediendum descensum, C. A. Ita, ut quot graduum virtus sufficit ad impediendum motum deorsum, totidem sufficiat in his circumstantijs ad movendum hoc corpus sursum, N. A. & Conseqv. Neque enim Virtus prima perit tota, sed solum adûm complementum In-

tegrale virtutis hic & nunc in actu 2do potentis movere sursum.

Obj. 2do. impetus non est separabilis à motu; ergo in illo instanti, in quo corpus quiesceret positivè, non conservaretur amplius impetus. 3tio. Si semel admittitur quies positiva in puncto reflexionis projectorum perpendiculariter, admittenda est semper. *Arist.* enim universaliter probat, dari quietem in puncto reflexionis; quia motus directus, & reflexus sunt motus contrarij; contraria autem juxta eundem continuari non possunt, go. R. ad 2dum N. A. contrarium enim colligimus in plumbo pendente ex filo, quod imprimit impetum in filum, non tamen motum. Ad 3tium. N. assum. & suppositum, quod ex illa ratione asseram dari quietem positivam in puncto reflexionis. Quod verò attinet Authoritatem *Aristot.* R. Si ratio illa esset universalis, deberet dari quies etiam in motu arcuali. Item etiam tunc, dum lapis projectus sursum impingeret in lapidem v. g. molarem ruentem deorsum, in quibus casibus nec adversarij audebunt admittere quietem positivam. Dicendum igitur est, *Aristotelem* ibidem locutum esse ex sententia aliorum, referendo opinionem alienam. Vel dicendum, *Aristotelem* intellexisse, quod contraria non possint continuari versus eandem partem, seu eandem lineam, continuò ascendendo v. g. Non autem, quod non possint continuari continuatione motus non interrupti.



DISPUTATIO V.

De Causis Entium.

SECTIO I.

De duplici actione Totali.

Dico 1^{mo}. Implicat duplex actio totalis respectu ejusdem numero effectus. Ita *Maurus* hic q. 23. contra *Dequiros*. Disp. 53. sect. 6. *Spinulam* hic Disp. 5. sect. 6. Prob. Implicat actio efficiens, per quam aliquid ponatur præter ipsam, & simul per quam nihil ponatur præter ipsam; alterutra actio totalis in consortio alterius totalis esset talis, go. m. prob. 1^{mo}. Per illam actionem nihil ponitur præter ipsam, quâ ablatâ, & nullâ aliâ in locum ejusdem succedente nihil auferretur præter ipsam; sed alterutrâ ex duabus actionibus totalibus ablatâ, nec ullâ aliâ in locum ejus succedente, nihil auferretur præter ipsam, go. prob. 2^{do}. eadem m. Per illam actionem nihil ponitur præter ipsam, quæ non transfert simpliciter effectum suum de potentia ad actum: ex duabus actionibus totalibus necessariò esset aliqua talis; quia effectus per unam totalem translatus simpliciter de potentia ad actum, non manet amplius in potentia, go. Confir. à pari. Nequit idem effectus desinere per duplicem actionem totalem, go. nec produci. Confir. 2^{do}. Juxta doctrinam in Disp. de Ente modali. actio efficiens est modus; harum autem alterutra non esset modus, cum alterutra ex illis non foret ultima actualis determinatio rei ad existendum simpliciter.

Dices contrà *Imò*. Duo ignes applicati eidē passivo producunt tertium, agendo uterque totaliter, go. A. pr. Uterque hic ignis est causa necessaria; causa necessaria debite applicata agit tantum, quantum potest: sed uterque Ignis potest totaliter producere tertium, go. *¶* N. A. ad prob. C. M. D. m. uterque ignis potest totaliter producere tertium in consortio alterius secum producentis, & in effectum influentis, N. m. extra consortium alterius, C. m. & N. C. Cur autem consortium alterius causæ sit circumstantia impeditiva, quò minus totaliter influat, ratio est; quia quilibet ignis est impotens producere effectum per talem actionem, per quam poneretur aliquid præter ipsam, & simul nihil poneretur, seu per quam effectus non transferretur simpliciter de potentia ad actum. In consortio autem alterius causæ si ageret totaliter, necessario ageret per talem actionem, go. Quòd si quaeras, quis causæ non cognoscitivæ, dicat adesse aliam concomitantem? *¶* Is idem, qui eidem dicit adesse passivum proximè approximatum; item adesse unum, non duo, adeoque non in duo, sed in unum tantum exerendam virtutem. Qui est author naturæ, vel ipsa natura.

Dices contrà: Possibilis est ubicatio *b.* affigens Petrum v. g. ad locum *a.* etiam in consortio ubicationis *a.* affigentis eundem totaliter ad locum *c.* & hoc ideo, quia licet Petrus ubicatus per ubicationem *a.* in loco *c.* non manet amplius indifferens ad existendum in loco *c.* manet tamen adhuc indifferens ad existendum in loco *a.* sed etiam ignis *C.* productus per actionem *a.* ab igne *a.* licet non sit indifferens ad hoc, ut producat ab igne *a.* est tamen indifferens ad hoc, ut producat ab igne *b.* Siquidem est producibilis ab hoc, vel illo igne, go. Confir. *imò*. eadem numero
al-

albedo saltem supernaturaliter potest informare duo subjecta, *go* & idem effectus terminare duas actiones totales. *2da*. Eandem numero materiam possunt supernaturaliter informare duæ formæ substantiales, ergo etiam duæ actiones totales eundem numero effectum ponere. *¶* *Imò*. ad omnia hæc C. A. N. C. Disparitas est, quod hæc omnia præstent duplicem, & diversum effectum; duæ autem actiones totales deberent ponere eundem numero effectum. *go* paritas non est. *¶* *add*. C. M. N. m. nunquam enim in effectum datur talis indifferentia, quæ tolli deberet per actionem chymæricam, si autem Ignis productus per actionem *a*. totalem, indifferens adhuc esset, ut producat per actionem *b*. totalem etiam ab alia causa, esset indifferens indifferentiâ tali, quæ tolli deberet per actionem chymæricam. Omnis namque actionis productivæ essentialis est, non solum determinare effectum ad dependendum ab hac causa, sed etiam transferre effectum simpliciter de potentia ad actum (per hoc enim distinguitur ab actione conservativa) adeoque determinare effectum ad existendum simpliciter, quod tamen actio *2da* totalis non præstaret. Unde paritatem assumo pro me: Quia ubicatio *a*. essentialiter tollit in Petro indifferentiam ad existendum in loco *a*. impossibilis est *2da* ubicatio, quæ eundem affigat ad locum *a*. etiam per accidens præstando eundem omnimodum effectum, quem præstitit prima; *go* etiam, quia actio *a*. transtulit effectum simpliciter de potentia ad actum, impossibilis est *2da* actio totalis transferens eundem simpliciter de potentia ad actum, seu præstans eundem omnimodum effectum.

Obj. *2da*. Multa sunt, quæ licet nequeant fieri naturaliter, possunt tamen supernaturaliter, maximè si DEUS per hoc ostendere possit suam omnipotentiam

tiam. 3^{to}. Potest idem objectum videri, vel cognosci duplici visione adæquatâ, go etiam efficiente. 4^{to}. Potest idem numero effectus procedere, à duplici causa finali, ergo etiam ab efficiente. R. ad 2^{um} D. A. Si sint talia quæ nequeunt fieri naturaliter defectu virium sufficientium in natura ad producenda illa, C. A. si nequeant fieri propter contradictionem, quæ ex eorum existentia necessario emanat, N. A. Deinde DEUS nequit ostendere suam omnipotentiam per medium improporcionatum, quale esset actio productiva essentialiter infœcunda, & non transferens effectum simpliciter de potentia ad actum. Ad 3^{ium} C. A. N. C. Adæquatus effectus visionis, vel cognitionis non est denominare solummodò objectum visum, vel cognitum, sed præterea perficere potentiam vitalem, tollendo in illa indifferentiam. Cum igitur quælibet, visio, & cognitio aliam, & aliam indifferentiam tollant in potentia vitali, & aliam ac aliam perfectionem tribuant, nulla illarum erit infœcunda, & nihil ponens præter seipsam, nec erit utraque totalis respectu eiusdem effectûs. Ad 4^{um}. C. A. Si loquamur de effectu aliquo externo 2^{um} se sumpto N. C. Quia causa finalis non propriè efficit effectum, sed solum per suam intentionalem existentiam movet potentiam ad ponendum actum, quem consequitur finis intentus. R. 2^{do}. N. A. formalis enim & adæquatus effectus causæ finalis ex interna volitione, & externo actu consurgit: cum autem omnis actus internus dicat essentialem nexum cum suo objecto, impossibile erit, ut, alterutra ex duabus causis finalibus deficiente, maneat idem actus internus v. g. eadem volitio, & per consequens, ut maneat idem effectus, quod, tamen ad duplicem actionem totalem requiritur.

Dico 2dò. Etiam si possibilis esset duplex actio totalis, impossibile est, ut idem seipsum causet quoad 2dum esse. Ita *Ovied. contr. 9. punct. 10.* Prob. Quia idem per eandem actionem dependeret, & non dependeret à se ipso, quod est impossibile. Prob. Imprimis per actionem illam, per quam idem produceret seipsum quoad 2dum esse, dependeret à seipso; impossibilis enim est causalitas non denominans terminum seu effectum suum pendere à sua causa; cum sit omnis determinatio actualis ultima ad certam denominationem. Sed etiam non dependeret; quia per hanc ipsam actionem causa in actu 2do fieret prior suo effectui, sed id, quod est prius altero, non dependet ab ipso: prioritas enim est independentia unius ab alio: ergo per hanc actionem non dependeret causa à suo effectui, sed eadem entitas esset causa sui ipsius, ergo hæc non dependeret à se ipsa.

Prob. 2dò. Actio illa 2da, per quam idem seipsum produceret quoad 2dum esse, nec foret totalis, nec partialis, ergo implicat. A. prob. Non totalis, quia illa actio non est totalis, quæ non potest se solâ independentem à consortio alterius ejusdem lineæ & ordinis producere effectum: hæc autem esset talis; quia essentialiter præsupponeret actionem 1am, per quam res 1mò esset producta. ergo. Non etiam partialis. Quia omni actioni partiali debet in effectui correspondere aliqua formalitas, quam producendi sufficientem proportionem habeat actio illa, seclusâ quacunque aliâ actione creatâ seu ejusdem lineæ. hoc hic non haberetur. ergo.

Prob. 3tiò. Quia relatio inter producentem & productum est realis, cum sit strictissime physica; relatio autem realis non datur, nisi inter realiter distincta. qualia non sunt 1mum & 2dum esse. Et ideo neq; actio illa foret fecunda, cum nihil distinctum produceret à causa.

Dices contra *1mò*. Ignis productus per actionem *a*. deinde producens se ipsum quoad secundum esse per actionem *a*. esset prior, & independens à se ipso per actionem *a*. dependens verò & posterior per actionem *b*. hæc autem nulla est contradictio. *2o*. *2dò*. Christus productus semel producit seipsum *2dò*. quoties Sacerdos profert legitimè verba consecrationis. *3tò*. Causa finalis causat seipsam. *4o* etiam efficiens potest causare seipsam. *4tò*. Potest idem seipsum cognoscere, amare, *5o* etiam producere. *B.* ad *1mum*. N. M. per eandem enim actionem *b*. per quam causaret idem seipsum, esset seipso prius, utpote causa talis actionis. Ad *2dum*. N. assump. Christus enim non producit seipsum, quoad esse Christi, sed solum quoad esse sacramentale; producendo videlicet novam sui ubi-ationem sub speciebus sacramentalibus, iisdemque se uniendo. Ad *3tium* D. A. quoad idem esse reale N. A. quoad diversa esse seipsam causat C. A. & N. C. Ad *4tum* C. A. N. C. Dispar. est. Quia amor vel cognitio non dat objecto suo esse intrinsecum, sed denominationem solum extrinsecam, quâ denominatione res est prior adum esse intrinsecum. adeoque non est prior & posterior se ipsa adum idem esse.

S E C T I O II.

Qua sit causa productiva substantia, & Accidentium?

Dico *1mò*. Sola accidentia non sunt causa adæquatè productiva substantiæ. est contra Thomistas quibus favet Spinula hic Diss. 6. & ex nostris Vasquez, Ru-
vius

vius, *Semeri Tom. 3. Disp. 3. quæst. 2.* Prob. Quia vel essent causa univoca vel æquivoca. 1^a non, ut clarum est. 2^a etiam non. Quia causa æquivoca semper debet esse majoris perfectionis suo effectu, cum semper producat effectum sibi dissimilem, adeoque, cujus perfectionem formaliter non præcontinet, sed eminenter, sic autem præcontinere effectum, est esse causam altioris ordinis effectu à se producendo, & simul perfectiorem effectum producere posse isto. Accidens autem non est tale quid respectu substantiæ.

Neque dicas cum *Semeri hic disp. 3. q. 2.* accidentia non esse quidem causam adæquatam productivam substantiæ, esse tamen virtutem adæquatam. Quia videlicet non solet vocari causa illud, quod immediate influit in effectum, sed quod est principium seu radix illius immediate influentis, adeoque cum solummodo causa æquivoca debeat esse perfectior effectu, non repugnat, quominus accidentia sint virtus adæquata productiva substantiæ: Sic enim accidentia non in propria, sed substantiæ Virtute agunt. Contra est. Hæc virtus substantiæ, in qua dicuntur accidentia agere, non congruit ipsis accidentibus præcisè titulo accidentium, aliàs quodlibet accidens esset productivum substantiæ. ergo illis deberet congruere titulo *taleitatis* seu quatenus sunt accidentia talia propria talis substantiæ; hoc autem dici non potest, ergo prob. m. Illa *Taleitas* vel extrahit accidens ab Imperfectione accidentis vel non. Si *im*; ergo illa taleitas extrahens accidentia ab imperfectione accidentis (quæ hoc ipso debet esse ens perfectius accidente, adeoque substantia) erit virtus adæquata, productiva substantiæ. Si *2^{da}*, ergo etiam cum hac taleitate accidens manebit inproportionatum ad producendam substantiam, quemadmodum calor licet sit accidens substantiæ *Illu-*
mina-

minativæ, Ignis videlicet, tamen calor non est productivus luminis; quia ejusdem taleitas non extrahit illum ab imperfectione, seu carentia perfectionis productivæ luminis.

Dices *1mò*. Calor est virtus productiva ignis, *go* accidentia sunt virtus substantiæ, per quam immediatè agit. *2dò*. Accidens producere adæquatè substantiam in virtute substantiæ non est aliud, quàm esse instrumentum productivum effectûs, assimilando eum non sibi, sed causæ suæ principali, in cujus virtute agit; in hoc autem nihil est repugnantia: sic namque penicillus est instrumentum, quo artifex immediatè effigiat imaginem, assimilando eam suæ ideæ, quam concepit. *go*. *3tò*. Princeps agens in autoritate sui Principalis potest plura & majora statuere, quàm aliàs *2dùm* se haberet virtutem statuendi. *go* etiam accidens agens in virtute substantiæ potest producere substantiam, quam aliàs sumptum *2dùm* se producere non posset. *4tò*. Potest ab imperfectiori corrumpi perfectius; ergo etiam produci. *5tò*. Expulsio unius est generatio alterius, sed ab accidente v. g. calore fit expulsio formæ ligni, *go* etiam productio formæ Ignis. *6tò*. Causalitas productiva substantiæ seu actio est accidens. *go* etiam causa potest esse accidens. *7mò*. *Aristot. 7. de gener. ait: Nihil est aptum agere, nisi habeat contrarium.* Substantiæ non habent contrarium, habent autem accidentia. *go* hæc, non illa sunt productiva substantiæ. *8vò*. Causa materialis est imperfectior formali, & tamen potest hujus esse causa adæquata. *go*. *Æ. ad 1mum. D. A.* est virtus adæquata N. A. est virtus vel partialis solùm, vel solùm dispositiva C. A. & eodem modo conseqv. *Ad 2dum. C. M. N. m.* naturaliter loquendo. *ad prob. C. A. N. C.* Dispar. est, quòd penicillus artificis, sit instrumentum purè *mortu.*

mortuum, in effectum non influens; adeoque effectus
 nec illi tribuitur, nec ille denominatur causa produ-
 cens, vel virtus. Omnia contraria forent, si accidens
 esset virtus productiva adæquata substantiæ. Ad 3^{tium}.
 C. A. N. C. Disp. est, quod Prorex ille in ordine
 ad exercendas actiones morales in æstimatione homi-
 num sit unum quid cum Delegante; adeoque tales
 actiones non sunt supra illius virtutem, quatenus est
 unum quid cum Delegante moraliter, seu in æstima-
 tione hominum. Inter accidens verò & substantiam,
 utpote causas físicas, non datur talis identitas. Id
 quod ex ipsa hac instantia desumitur: Ut enim Pro-
 rex ille ponat aliquam actionem physicam v. g. supe-
 ret hostem secum congregientem, non satis est eun-
 dem moraliter esse unum quid cum Delegante, sed
 requiritur in ipsomet virtus, & robur intrinsecum. D-
 inde Prorex talis nequit in autoritate Delegantis po-
 nere illas actiones, quas nec ipse Delegans posset po-
 nere. Juxta Advers. autem substantia, quæ se habe-
 quasi Delegans respectu accidentis, nequit producer-
 substantiam. go nec accidens agens in virtute substan-
 tiæ. Ad 4^{tum} C. A. N. C. Ad corruptionem enim
 sufficit, si ponatur in subjecto forma impossibilis
 cum priori, etiamsi sit imperfectior; ad productionem
 autem requiritur virtus æquè, vel perfectior effectui
 producendo. Ad 5^{tum} Dico, quod ab accidente expul-
 sio formæ fiat solum dispositivè. Ad 6^{tum}, C. A. N.
 C. Dispar. est, quod causalitas seu actio non debeat
 communicare virtutem & perfectionem suam effectui,
 cum sit solum determinatio causæ communicantis su-
 am perfectionem effectui. Ad causam verò ut quod
 spectat, ut communicet suam perfectionem effectui. Ad
 7^{mum} Aristot. intelligendus est de actionibus corrup-
 ptivis, ad quas requirit substantia accidentia, tamquam
 dispo.

dispositiones contrarias formæ priori. Ad *8vum* causa materialis respectu formarum est solum causa adæquata sustentativa, non verò efficiens.

Pro reliquis *Nota*. In illis casibus, in quibus producantur effectus substantiales, si non possunt adscribi Astris, quæ miros causant effectus in sublunaribus, nec alteri substantiæ creatæ, adscribendi sunt DEO ut auctori naturæ, qui quæ Author naturæ supplet defectum causæ creatæ, quoties dantur sufficientes dispositiones, adeoque exigentia in natura pro forma aliqua producenda.

Dico *2do*. Defectò accidentia partialiter producant substantiam. Ita *Suarus Disp. 18. Metaph. Pr.* Quoties ad productionem alicujus effectûs requiritur aliquod principium, illudquæ sit necessaria causa, & præcontineat aliquam formalitatem effectûs producendi, toties ad illum agens hoc concurret, saltem partialiter producendum. Neque enim alia de causa probari potest, species impressas, item phantasma materialitè esse partialem causam productivam speciei intelligibilis; go cum Accidentia, quæ requiruntur ad productionem substantiæ, sint agentia necessaria, & præcontineant aliquam formalitatem substantiæ v. g. esse virtutem productivam accidentis, illa partialiter producant substantiam. Neque dicas, verum hoc esse tunc solum, quando omnes formalitates effectûs producendi nequeunt inveniri in una sola entitate. Contra enim est: dum duo ignes applicantur æqualiter passo, etli in unico reperiantur omnes formalitates effectûs producendi, non cessat tamen *2dus* agere, ut causa partialis, ideo præcisè, quia est causa necessaria debite applicata, passo apto, & effectûs producendi formalitates continet in se.

Dices contrà *imò*. Cognitio necessariò requiritur

tur ad producendum amorem, continet etiam formalitatem aliquam amoris, nempe vitalitatem, & tamen non producit partialiter amorem. *go* ratio nostra fallit. *2dò*. Accidentium virtus satis occupatur in productione accidentium alterando passum, *go* non producunt substantiam. *R.* ad *1mum* *imò*. Cognitionem non esse agens necessarium in producendo, sed solum in repræsentando. ratio autem nostra dicit de agente *necessario in producendo*, requisito ad productionem effectûs. *R.* *2dò*. Cognitionem non esse accidens ut quod, adeoque solum se habere respectu effectûs per modum puræ applicationis, & consequenter quemadmodum pura applicatio physica non est causa partialis, cum non communicet perfectionem suam effectûi v. g. Igni producendo, quod pertinet ad rationem causæ, ita nec applicatio intentionalis erit causa respectu amoris producendi. Ad *2dum* D. *ly satis* sumendo in sensu exclusivo N. A. sumendo in sensu positivo, ut significetur, quod accidens de se sit causa sufficiens producendi accidens C. A. & N. consequ.

Nota ulterius. Tunc solum bene argui, effectum totaliter totalitate causæ adstrui debere causæ univocæ; quando hæc & præcontinet totam perfectionem effectûs, & causa æquivoca de se non est activa, neque ita necessaria, quod absque illa causa univoca non ageret, seu non produceret effectum; secus si contraria habeantur experientiâ. Cum autem substantia Ignis v. g. absque calore nunquam agit, seu nunquam producit alterum ignem, & calor, qui est causa æquivoca sit activus, præcontinetque aliquam perfectionem specialem ignis producendi, nempe virtutem productivam caloris; & absque illo substantia ignis nunquam agit in subjecto extraneo, producendo formam ignis, consequenter dicendum, quod ignisquam-

vis sit causa univoca, non agat in confortio caloris, totalitate causæ, producendo ignem.

Dico 3tio. Defacto substantia cum accidentibus activis, quæ sunt ejusdem proprietates, producit immediate similia accidentia in subjecto extraneo. Ita *Oviædus Contr. 9. Phys. punct. 3. Contra Ut tædum & Arriagam. Prob. Quotiescunque duæ causæ necessaræ, quarum quælibet habet virtutem producendi effectum approximantur debite passo capaci, toties utraque illa causa aget, & partialiter effectum illum producet. go cum hoc reperiatur totum in substantia ignis v. g. & ejusdem calore respectu producendi caloris in ligno, utraque agent simul, & producent calorem in ligno. A. est certum. Quia causa necessaria positis omnibus ad agendum requisitis, agit necessariò tantum, quantum potest.*

Dices contrà imò. Si substantia simul cum accidente produceret accidens simile in extraneo subjecto, sensibilibus adverteremus produci effectum intensiorem, & perfectiorem, quàm quando solum accidens agit in passum, & producit in eo accidens sibi simile. hoc autem falsum est. go. &. C. M. N. m. Experimentiâ enim docemur, quòd calor existens in aqua ad tantam distantiam non calefaciat, nec tam citò, quàm dum est in igne.

Dices 2dò. Stante hâc sententiâ, aqua calida posset in subjecto extraneo producere frigus, quia substantia aquæ habet virtutem productivam frigoris, est causa necessaria, & est debite applicata passo, v. g. manui, dum hæc in illam mergitur. &. N. A. ad ejus probationem: N. ly debite applicata. Siquidem non habet absentiam contrariæ qualitatis in se. Nec juvat dicere, illam in similibus circumstantiis appetere productionem frigoris in subjecto extraneo, esset enim

inordinatus hic appetitus; communicare extraneo sub-
jecto priùs id, quàm sibi, quod ad conservationem
sui individui multum facit.

Repones forte. Etiam substantiam in præsentia
accidentis non esse debite applicatam, ad producen-
dum accidens, eo quòd activitas ejus impediatur per
præsentiam causæ univocæ, quæ magis proportiona-
ta est ad producendum accidens. R. N. assump. cum
sua probatione: Causam videlicet univocam esse ma-
gis proportionatam. Proportio enim non desumitur
à similitudine specifica causæ, & effectûs, sed à virtute
productiva; quæ cum par sit in substantia & acciden-
te respectu producendi accidentis, æqualiter utraq;e
erunt proportionata.

SECTIO III.

An una creatura posset creare aliam?

Dico imò. Cum Dequiros hîc Disput. 62. sect. 2.
Contra Durandum, Linze, Spinulam hîc Disp. 7.
sect. ultima. Implicat creatura creans principaliter.
Prob. imò. Authorit. SS. PP. sic S. Athan. Serm. 3.
contra Arrianos, dicit: *Creare est solius DEI.* S. Cyril-
lus lib. 2. c. 1. *Virtutem creativam habere creatura non
potest.* S. August. lib. 3. de SS. Trinitate c. 8. *Nec
boni, nec mali Angeli possunt esse creatores alicujus rei.*

Prob. 2dò. Ratione. Actio creativa principaliter
est soli DEO propria, go creaturæ communicari
non potest; quemadmodum modus essendi, & prædica-
ta soli DEO propria, ut sunt immenûtas, omnipoten-
tia &c. A. Prob. Actio creativa principaliter est de
se omnium actionum prima; cum nullam aliam de se
præsup-

præsupponat, ad omnes autem aliàs actiones creaturarum præsupponatur, utpote agentium dependenter à subiecto. Sed actio omnium actionum prima, est soli DEO propria. Ordini enim agentium correspondet ordo actionum. Cùm ergo in agentium ordine DEUS sit omnium primus, illi etiam ex ordine actionum actio de se prima omnium correspondebit, ut soli propria, ergo.

Dico 2do, Implicat etiam creatura creans instrumentaliter. Prob. ly *Instrumentaliter* vel refertur in ordine ad instrumenta artis, vel ad instrumenta naturæ. Si 1mum: clarum est, creaturam instrumentaliter creare non posse; quia de ratione instrumenti artis est, facilitare, & adjuvare potentiam agentis principalis; hoc respectu DEI implicat, aliàs DEUS sine creatura non tam facile, & perfectè crearet, quàm cum creatura, & consequenter esset vel insufficiens de se, vel indigus adjuutorio creaturæ, ut instrumento ad creandum. Si verò referatur ly *instrumentaliter* ad instrumenta naturæ, etiam videtur certa implicancia, ut creatura sic creet instrumentaliter; quia hoc modo deberet aliqua creatura esse virtus causativa DEI, eidem intranscensa. Hoc enim intelligitur per instrumentum naturæ; & taliter instrumentum ignis ad calefaciendum, dicitur calor, aquæ ad frigefaciendum frigus, go.

Dico 3tio, contra *Dequiros supr. citatum*. Implicat etiam, ut creatura elevetur ad creandam aliam. Ita *Geraldinus parte 2. Phil. quest. 13. Prob.* Implicat, ut DEUS elevet creaturam ad efficiendū aliquem effectū per actionem chymæricam; actio creativa, per quam creatura elevata crearet aliam, esset chymærica, go. prob. m. Actio illa creativa procedens à creatura creante, non esset actio essentialiter prima; cùm respiceret essentialiter causam secundam. Omnis autem actio crea-

creativa est essentialiter omnium actionum creatarum prima, utpote actio soli DEO propria, go. Confir. imò. Esse omnipotentem, immensum &c. quia est modus essendi soli DEO proprius, nulla creatura nequidem per elevationem potest esse omnipotens, vel immensa; go etiam, quia creare est modus agendi soli DEO proprius, nulla creatura etiam per elevationem potest esse creans. Confir. 2dò. SS. Patres Arrium, doctentem Filium DEI esse creaturam, hoc potissimam argumento oppugnabant: *Filius DEI est Creator, go non est creatura.* Atqui hoc argumentum non fuisset efficax, si creatura elevari posset ad creandum. Quàm facile enim respondisset Arrius, Filium DEI esse creatorem, sed solum obedientialiter, quatenus elevatus ad creandum à DEO Patre; adeoque actionem creativam principaliter, esse soli DEO propriam, non verò universaliter actionem creativam. Confir. S. Augusti, lib. 9. de Gen. cap. 15. ait, *Creare creaturam, tam nullus Angelus potest, quàm se ipsum.*

Dices contra imò Sapiencia, bonitas, sanctitas &c. sunt perfectiones soli DEO propriæ, & tamen hæ creaturis communicari possunt, go etiam virtus creativa. R. D. ad partem A. Juxta modum eadem habendi soli DEO proprium, N. A. juxta modum eadem habendi DEO non proprium, participativè videlicet, C. A. & N. C. Virtus enim creativa nequit reduci in actum alio modo, quàm soli DEO proprio.

Nequè reponas, solam actionem creativam principaliter, esse modum agendi soli DEO proprium, non autem creativam obedientialiter solum, utpote subordinatam ad agens aliquod superius. R. enim. Hoc ipse, quòd actio hæc esset creativa, deberet fieri

finè subordinatione ad agens aliquod superius, go cum non fieret finè, esset, & non esset creativa.

Instabis imò. Virtus creativa est virtus solùm finita, cùm terminetur ad effectum solùm finitum, go potest communicari creaturæ. add. Etiam ipsa actio creativa est solùm finita, go. R. ad 1mum N. A. licet enim terminetur ad effectum solùm finitum, terminatur tamen ad eundem juxta modum agendi soli DEO proprium, adeoque terminus finitus, dum creatur, petit saltem arguitivè in sua causa virtutem infinitam, quatenus tunc produci petit per modum agendi soli DEO proprium. Ad 2dum dico, actionem creativam esse quidem solùm finitam, si sumatur entitativè; exigitivè tamen esse infinitam; quia, cùm sit modus agendi soli DEO proprius, exigit causam sui DEUM, adeoque perfectionis infinitæ.

Dices: Effectus creabilis, seu nihilum rei, & subiecti non distat infinitè ab ipso esse rei; go actio creativa non exiget virtutem infinitam in sui causa. R. tr. A. D. C. Non exiget ex illa ratione, quia deberet transferre effectum infinitè distantem ab esse suo. tr. C. ex eo, quia est modus agendi soli DEO proprius, N. C.

Dices add. In qualibet creatura simpliciter activa datur virtus inchoata ad producendam quamlibet, go etiam ad producendum Angelum, adeoque ad creandum; cùm ille produci nequeat, nisi per actionem creativam. R. D. A. ad producendam quamlibet, si ipsa productio, prout dependens à creatura non involvat contradictionem, C. A. secùs N. A. & C. Jam enim ostendimus actionem creativam, si proflueret à creatura, fore & non fore creativam, quia foret & non foret actio essentialiter omnium actionum creaturarum prima.

S E C T I O IV.

An DEUS immediatè concurrat ad omnes effectus creaturæ?

DEUM esse causam rerum omnium, eique omnes causas creatas subordinatas esse, nemo Christianus negavit hæctenus. Illud tamen in Quæstionem abiit; An DEUS, qui est causa prima, ad singulos effectus creaturarum concurrat per concursum immediatum, & simultaneum cum creatura? Hoc est ita, ut creatura non possit ullum actum in actu secundo exercere, nisi ad talem actum producendum DEUS cum creatura concurrat immediatè influendo, seu per influxum physicum eundem producendo. An verò solum mediatè; ita videlicet, ut satis foret DEO, quòd produxerit causam creatam, & huic ad agendum virtutem indiderit; quæ dein relicta sibi producat effectum, nec ampliùs indigeat concursu immediato DEI ad eundem producendum?

Durandus occasione Textuum Sacræ Scripturæ: nempe *Gen. 1. Germinet terrâ herbam virentem*; Item *Gen. 2. Requievit DEUS die septimo ab omni opere, quod patrârat*. Sententiam negativam est secutus in 2dum. *Dist. 1. quæst. 5.* Hunc secutus est *Nicolaus Boretus*, & *P. F. Nicolaus à Dola Capucinus*. Sed opinio *Durandi* ferè ab omnibus alijs improbabilis, & à compluribus periculosa in fide, & temeraria censetur. Quare

Dico, DEUS immediatè concurrat ad omnes, & singulos effectus creaturarum concursu physico, non solum permissivo, sed verè physicè effectivo. Ita

communis. Prob. imò. Testimonijs Scripturæ. Sic S. Paulus Epist. 1. ad Corinth. *DEUS operatur omnia in omnibus.* Item Actor. 7. *In ipso vivimus, movemur, & sumus.* Joan. 1. *Omnia per ipsum facta, & sine ipso factum est nihil.* Item S. Hieronymus ad Ctesiphontem: *Nec ambulare, nec stare, nec sedere, imò nec spiritum trahere sine præsentis DEI auxilio, & concurrente.* Denique Joan. 5. v. 17. dicit Christus: *Pater meus usque modò operatur, & ego operor.*

Prob. 2dò. DEUS est collectio omnium perfectionum simpliciter simplicium; ergo nulla perfectio simpliciter simplex est DEO deneganda. sed, quòd creatura non possit operari sine immediato physico concurrente DEI, est perfectio simpliciter simplex; ergo hæc DEO non est deneganda. Min. subst. probr. Non posse creaturam operari sine immediato physico concurrente DEI, arguit summam dependentiam creaturæ à DEO; & hæc summa dependentia, seu indigentia creaturæ arguit in DEO summum Dominium in creaturam; sed summum Dominium DEI in creaturam est perfectio simpliciter simplex, ergo. M. prob. Indigentia in effectu, qua indiget dependere ab aliqua creatura immediatè, arguit in effectu imperfectionem, & perfectionem in causa; & hoc ideo, quia vi talis indigentia effectus est sibi ipsi insufficientia ad existendum; causa verò est sufficientia dandi existentiam effectui; ergo etiam indigentia creaturæ, quæ indiget concurrente immediato DEI, arguet in creatura summam dependentiam in operari, & hæc summa dependentia creaturæ arguet in DEO summum Dominium in creaturam, ergo. Confir. Si posset aliquis effectus produci à causa creata, DEO immediatè non concurrente per influxum physicum ad ejusdem productionem, daretur aliqua entitas ordinis naturalis, quam DEUS
ut

ut author naturæ producere non posset ; hoc est impossibile ergo. m. est certa. DEUS enim, ut author naturæ, debet in sua virtute physica rerum naturalium productivâ, continere eminenter omnes entitates ordinis naturalis ; alioquin Virtus DEI, ut Authoris naturæ, in sua serie foret limitata, non extendens se ad omnes entitates ordinis naturalis, ad quas se extenderet virtus creata productiva, si non posset aliquam entitatem ordinis naturalis producere, ut clarum est. M. autem prob. Si posset ignis D. produci à solo igne v. g. C. actio illa, per quam produceretur ignis D. non posset produci à DEO, ut authore naturæ, go. A. prob. Illa actio neque de potentia absoluta posset produci à DEO immediatè per se ipsam ; siquidem esset essentialiter actio solius ignis C. ergo multò minùs posset produci per se ipsam immediatè à DEO, ut authore naturæ. Sed neque posset sic produci à DEO per aliam actionem ; est enim impossibile modus ad modum in eodem genere. go.

Obj. contrà imò. Gen. 2. legitur : *Requievit DEUS die septimo ab omni opere, quod patrârat.* go DEUS requiescit defactò, & non concurrit immediatè cum creaturis ad quodlibet opus. 2dò Si DEUS produceret talem creaturam, quæ deinde se sola sinè immediato DEI concursu produceret effectus, DEUS esset magis perfectus ; quia sic produceret plures specie creaturas. Quod Confit. Sic opus aliquod artefactum, v. g. Horologium, censetur esse à perfectiori artifice factum, si hujus non indigeat continuo adjutorio, & præsentia ad suum effectum. go & in DEO major arguetur perfectio, si producat creaturam, quæ postea independentè ab immediato DEI concursu producat effectus. 3tid. Videtur Divinam Majestatem dedecere, ad quodlibet etiam vilissimas creaturarum actiones concurrere

immediatè per influxum physicum. go. R. Ad 1^{um}.
 Textum illū intelligendum esse, quòd DEUS septimo die
 universi hujus molem absolverit, & nihil ampliùs cre-
 averit, quod necessarium foret ad complementum hu-
 jus universi. Ad 2^{dum} N. A. quia sic producendo
 DEUS produceret chymæram, non creaturam; siqui-
 dem creaturæ essentialè est, non tantùm in esse, sed
 etiam in operari immediatè dependere à DEO; aliàs
 etiam dicam, quòd posset producere creaturam, quam
 immediatè non sciret, seu non videret. Ad Confir-
 trans. A. N. C. Disp. est. Quòd omnis artifex crea-
 tus sit limitatæ solùm potentia; hinc non posset con-
 tinuò adesse præsens suo operi, & hoc juvare, nisi
 summa cum molestia, & fatigio: & ex hoc pruden-
 ter æstimamus, perfectius esse illud artefactum, quòd
 præsentia continuâ artificis non indiget. DEUS au-
 tem cum sit omnipotens, æternus, immensus, & il-
 limitatæ virtutis, absque omni fatigio concurrat im-
 mediatè cum creaturis ad omne opus. Ad 3^{tium} N.
 A. Ipse enim Christus in Evangelio dicit: *Omnes*
capillos capitis nostri numeratos esse, & nec unum ex ijs
cadere sine DEI voluntate: & alibi Scriptura: *Lilia cam-*
pi, & volatilia celi in cura DEI esse. Neque in tes-
 go DEUS concurreret immediatè ad actionem ludendi,
 comedendi, bibendi, go sicut denominatur creatura,
ludens, bibens, manducans, ita & DEUS. R. enim
 C. A. N. C. Actiones enim vitales solùm illud prin-
 cipium denominant, v. g. *bibens, ludens,* à quo pro-
 ducuntur efficienter vitaliter, & in quo simul recipi-
 untur, seu cui immanent: cum ergo hi actus in DEO
 non recipiantur, neque DEUS possit esse eorum sub-
 jectum, cui immanent, sed solùm ab eodem tanquam
 à causa extrinseca producantur, DEUM non denomi-
 nant *bibentem.*

Obj. 4^{to}. DEUS non concurrat immediatè ad actionem causæ materialis, qua sustentat materialiter formam, neque ad actionem causæ formalis, quæ hæc informat materiam, ergo neque debet concurrere immediatè ad omnem actum causæ efficientis. 5^{to}. DEUS non minùs est ultimus finis omnium rerum, quàm sit earum primum principium effectivum, juxta illud: *Ego sum a & w*; sed, licèt sit ultimus finis omnium, multi tamen effectus fiunt à creaturis, qui non causantur finaliter immediatè à DEO; ergo etiam, quamvis sit primum principium effectivum, fieri possunt aliqui effectus, qui ab eodem immediatè non causantur efficienter. 6^{to}. DEUS defactò concurrat immediatè, ut causa objectiva ad visionem creatam sui, & tamen juxta communem Theologorum, potest delegare hunc concursum alicui causæ creatæ, nempe speciei impressæ, quæ locò ipsius concurrat immediatè ad producendam visionem sui: ergo cur non posset delegare alicui creaturæ concursum suum immediatè effectivum operis creati? R. ad 4^{um} D. A. non concurrat ad actionem causæ materialis, efficienter, N. A. non concurrat materialiter, & formaliter exercendo illas causalitates, C. A. & N. C. Disparitas est: Quòd causalitates hæc sumptæ materialiter, & formaliter, importent imperfectionem subjectionis, & informationis, recipientis, & recepti; quod puro actui, qualis est DEUS, repugnat. Ad 5^{um} C. M. & m. N. C. Disparitas est: Quòd finis immediatus, & non ultimus, non sit tam propriè finis, quàm mediatus & ultimus: nec dicitur ita propriè, finis non ultimus, & immediatus causare, ac finis mediatus, & ultimus; adeoque quamvis DEUS aliquarum actionum non dicatur esse finis immediatus, si tamen est mediatus,

& ultimus, adhuc propriè dicitur effectum talem causare finaliter. E contra, causa efficiens illa solum dicitur propriè efficere, & causare, quæ immediatè influit in effectum. Hinc non dicitur propriè, Adamus generare homines, quamvis ille communicaverit virtutem generativam hominum; quia videlicet immediatè non concurrat effectivè ad modernas generationes. Ad 6tum C. A. N. C. Disp. est, quòd de conceptu visionis non sit, ut immediatè procedat à suo objecto, sed vel ab eo, vel à specie ejusdem. è contra de essentia est omnis creaturæ, ut immediatè pendeat à DEO, & in esse, & in operari.

Obj. 7mò. Si DEUS necessariò immediatè concurrat efficienter ad omnes effectus creatos, sequitur nullam causam creatam esse totalem causam, nullam adæquatam, & proportionatam suo effectui; siquidem omnis indigeret ad producendum effectum consortio causæ primæ. Sequela est absurda; ergo. 8vò. Non potest dici, utrùm eadem indivisibili actione concurreret DEUS cum creatura, vel distincta: si enim distincta; tunc actio creaturæ, qua produceret effectum, procederet immediatè à sola creatura, & altera à solo DEO: hoc autem est impossibile; aliàs jam daretur aliqua creatura, nempe actio illa creaturæ, ad quam producendam DEUS immediatè non concurreret. Si autem eadem indistincta; tunc Sequitur 1mò. Quòd ad hanc ipsam actionem ponendam, non daretur sufficientia in solo DEO, ut ab illo immediatè produceretur, tanquam à causa totali, & adæquata, quod est absurdum. Sequitur 2dò. Eandem indistinctam actionem esse immanentem suo principio, & transeuntem. v. g. Intellectio, quam producit Petrus, respectu Petri foret immanens respectu DEI, transiens. Sequitur 3tiò. posse eandem indivisibilem actionem procedere à duobus

bus agentibus specie distinctis, quod videtur absurdum. *Sequitur 4to.* Quòd, quando Petrus odit DEUM, DEUS etiam se ipsum odio haberet; ille namque se ipsum odit, qui producit odium suisipsum. *Sequitur 5to.* Quòd etiam DEUS immediatè concurreret ad peccatum, & consequenter peccaret. *¶.* Ad 7mum N. sequelam, & D. ejus probationem: omnis indigeret consortio causæ primæ, & hæc est ejusdem ordinis cum causa creata N. assump. & est diversi ordinis C. assump. & N. C. Ad 8vum *¶.* quòd DEUS cum creatura eadem indistincta actione produceret effectum. *Ad imam verò inde sequelam.* C. assump. N. autem id esse absurdum, quòd actio, quæ ex essentia sua est actuale exercitium indivisibiliter virtutis divinæ, & creatæ, nequeat à sola virtute divina, tanquam causa totali, procedere. Nihilominus hæc eadem actio respectu causæ adæ foret præcisè productio effectûs; & eadem non foret effectus alterius actionis; respectu verò primæ causæ simul foret effectus actionis increatæ. *Ad secundam sequelam.* Dico C. sequelam respectu diversorum principiorum, sed N. esse absurdam. Quemadmodum nihil est absurdum, quòd idem effectus, v. g. amor, procedat à voluntate nostra liberè, & ab habitu Charitatis non procedat liberè; quatenus habitus Charitatis, quamvis cum voluntate nostrâ eadem indivisibili actione producat amorem, non tamen eundem producit, se electivè determinans, sed duntaxat à voluntate determinatus. *Ad 3tiam sequelam* D. A. Ita, ut agens unum specie distinctum, nempe creatura, sit in agendo subordinata DEO. C. A. secus N. A. & C. *Ad 4tam sequelam* N. A. Cujus rationem jam dedi in responsione ad objectionem 3tiam, sub finem. *Ad 5tam sequelam* C. A. N. C. Ratio patebit ex lect. subsequenti sexta.

S E C T I O V.

De Prædeterminatione physica.

QUæritur, An præter concursum simultaneum hætenus probatum, admittendus sit adhuc aliquis alius causæ primæ prævius concursus, physicè prædeterminans causas secundas ad agendum, qui fieret per prædeterminationem physicam?

Porro Prædeterminatio physica vocatur, qualitas quædam, habens sequentia attributa, seu proprietates: *1mò.* Quòd sit ita metaphysicè necessaria ad agendum, ut sinè illa voluntas creata agere non possit, nec componere cum ejusdem carentia operationem. *2dò.* Quòd à voluntate creata sit prorsus inevitabilis, quatenus nullam penitus habet, neque habere potest potestatem, neque ex natura sua, neque ex concessione divina, ut DEUM impediatur, ne sibi infundatur, aut sibi infusam à se repellat. *3tò.* esse per se metaphysicè absolūtè, ac determinatè connexam cum operatione, ad quam prædeterminat. *4tò.* esse omnino inacquiribilem à creatura, quando hæc caret illâ. Hanc Qualitatem defendit, & necessariam esse ad operationem causæ secundæ, tota schola Thomistarum docet, cum multis sequacibus. Eandem neque necessariam, neque componibilem cum libertate operationis creatæ è contrà tota Schola JESUITARUM, cum plurimis adhærentibus ostendit, & ideo constanter eandem rejicit.

Cum hac sententia Dico *1mò.* Ad complendum actum primum proximum causarum necessariorum prædeterminatio physica est superflua. Ratio est. Quia
per

per solam suam naturalem existentiam, & præparatam omnipotentiam DEI ad concurrendum cum causis necessarijs, causæ necessariæ in actu primo sunt sufficienter completæ ad agendum, ergo prædeterminatio physica est superflua. Unde D. Thomas 1. parte quest. 103. art. 1. ad 3tium, Dicendum (inquit) *Quod necessitas naturalis inherens rebus, quæ determinantur ad usum, est impressio quædam DEI dirigentis ad finem, sicut necessitas, quæ sagitta agitur, ut ad certum signum tendat, est impressio sagittantis, & non sagittæ, sed in hoc differt, quia, id quod creaturæ à DEO recipiunt, est earum natura; quod autem ab homine rebus naturalibus imprimitur, præter earum naturam, ad violentiam pertinet.* ergo cum prædeterminatio physica non sit natura rerum, non est à DEO impressio facta creaturis, determinans creaturas ad agendum.

Dico 2dò. Implicat per prædeterminationem physicam compleri actum primum proximum creaturæ liberæ, manentis, & operantis liberè. Prob. 1mò. Josue 24. legitur. *Optio vobis datur: eligite, quod placeat.* Sed posita prædeterminatione physica in voluntate creata, non ampliùs est optio eligendi, quod placeat; cum illa sit essentialiter, metaphysicè connexa cum uno extremo. ergo. 2dò. Admissa prædeterminatione physica, sequeretur, hominem carentem illâ ad sedendum v. g. vel loquendum, & simul carentem omni potestate acquirendi illam, carere libertate indifferentiæ ad sedendum, vel loquendum, non minùs, ac caret libertate indifferentiæ ad cogendam v. g. Congregationem generalem ordinis religiosi privatus religiosus, qui nec habet potestatem, neque illam acquirere potest ad effectum illum. Item cum, qui haberet prædeterminationem ad sedendum, vel loquendum, & se ab illa liberare non posset, non habiturum liber

libertatem ad surgendum, vel à locutione cessandum. 3to. S. August. sæpissimè dicit: *Ex duobus equali vocacione vocatis & equali tentatione pulsatis, alterum consentire, unum non, unum cadere, alterum stare*: ergo vocatio illius, qui non consentit, non fuit prædeterminatio physica; aliàs pariter consentiret: & tamen ex mente Augustini vocatio illa fuit æqualis alteri, cui alter consentit. ergo neutra fuit prædeterminatio physica. 4to. Prædeterminatio physica evertit libertatem creaturæ in agendo, ergo. A. prob. Causa libera per hoc differt à necessaria, quòd illa possit agere vel non agere, seu cum toto actu primo componere actionem, vel carentiam actionis, sed posita prædeterminatione physica complecte actum primum proximum causæ, talis causa non maneret sic indifferens ad agendum, vel non agendum, cum prædeterminatio physica sit inevitabiliter, & metaphysicè necessariò connexa tantum cum agere, seu cum uno tantum extremo determinatè; ergo causa, posita sub prædeterminatione, non ageret liberè.

Recentiores nonnulli Thomistæ recedunt à veteribus, asserentes, ipsam prædeterminationem physicam, seu præmotionem, non se tenere ex parte actûs primi proximi, sed ex parte actûs secundi, esseque ipsam applicationem actûs primi ad actum secundum. Neque dari ad posse, sed ad operari, adeoque libertatem non tollere; quemadmodum illam non tollit actualis causalitas causæ liberè operantis; estò, illà positâ, & intellectâ effectus nullò modò impediri possit. Ita P. Placidus Rentz Benedictinus Tom. 2do Physicæ suæ universalis editæ, Coloniae Agrippinæ Anno 1723. Qui posteaquam Pag. 445. magnificè conclusisset: *DEUS physicè præmovet, & prædeterminat omnem causam secundam ad omnem illius operationem, adeoque datur præ-*
motio,

motio, seu prædeterminatio physica. Ita S. Thomas & cum eo præcipue Orbis Academia: Salmaticensis, Lovaniensis, Duacensis, Salisburgensis &c. Item Primates Societatis; ut Salmeronius, Toletus, Bellarminus, Pererius, Azorius, Cosmas Alamannius, Henriquez, & alij plures, quos, ut fieri solet, educatio implicuerat quidem opinioni contrariæ, ubi tamen invictissima Thomistarum fundamenta paulò accuratiùs examinârunt, illam ceu minus veram rejecerunt, ut referunt Salmaticenses. Reverende P. Placide, liceat & mihi ex vero concludere, & dicere:

DEUS, nullam causam secundam liberam physicè prædeterminat, seu præmoveret ad ullam operationem liberam; imò implicat cum physica prædeterminatione poni operationem liberam: Eandemque sententiam Academia Germaniæ: Ut Moguntina, Herbipolensis, Ingolstadiensis, Dilingana, Vienuensis, Græcensis, Trevirensis, & Musipontana Lotharingiæ repellunt. Quarum Judicia ad Clementem VIII. Papam submissa, leges apud Eleutherium de auxilijs l. 2. cap. 15. à pag. 133. Ibid. pag. 136. reperire est judicium Doctorum Universitatis Bononiensis, ac ibidem eripiuntur etiam Thomistis, Bellarminus, Pererius, Henriquezius, & cæteri Societatis Primates, quos P. Placidus audacter citat, absque citatis eorum locis, sententiisque, pro Prædeterminatione physica stetit. Meliori ego fide dixerò. Prædeterminationem physicam à S. Thoma non agnitam, ac à primi Subsellij Dominicanis Theologis rejectam. Lego enim apud S. Thomam, ut omittam alia. In I. Part. q. 62, art. 3. ad 2dum Hæc formalia: Dicendum, quòd omnis forma inclinât suum subjectum, secundum modum naturæ ejus; modus autem naturalis intellectualis naturæ est, ut libere feratur in ea, quæ vult; & ideo inclinatio gratiæ

non imponit necessitatem. Sed habens gratiam potest eam non uti, & peccare; atqui si gratia illa est permotio physica, quæ necessario connectitur cum consensu, quomodo potest eam non uti voluntas creata? Item quæst. 106. art. 2. ad 2dum Item 3. Part. quæst. 69. art. 8. ad 2dum. De inæqualiter operantibus cum æquali gratia, ait: Etiam si æqualem gratiam percipiant, non æqualiter eam utuntur; sed unus studiosius in ea se perficit, alter per negligentiam gratiæ DEI deest. Item in 2. Dist. 28. q. 1. art. 1. Non enim esset homo liberi arbitrij, nisi ad eum determinatio sui operis pertineret, ut ex proprio Judicio eligeret hoc, aut illud. Ibid. distinct. 39. quæst. artic. 2. ☉ Ratio culpæ in actu deformi est ex hoc, quod procedit ab eo, qui habet dominium sui actus; hoc autem est in homine secundum illam potentiam, quæ ad plura se habet, nec ad aliquid eorum determinatur, nisi ex ipsa, quod tantum voluntati convenit. Et quæst. 1. de Potentia art. 4. ad 3. Dicendum, quod licet causa prima maxime influat in effectum, tamen ejus influentia per causam proximam determinatur, & specificatur. Dist. 39. quæst. 1. art. 1. ☉ Ipsa potentia voluntatis, quantum in se, est indifferens, & ad plura; sed quod determinatè exeat in hunc, vel illum actum, non est ab alio determinante, sed ab ipsa voluntate. Denique quod maxime notandum. D. Thom. quæst. 6. de verit. art. 3. In motione autem, & executione, quæ est propinquior causa, DEUS cumulat varias causas, & auxilia, quibus spontè consentit homo, & liberè se determinat: ubi si una causa defecerit, per aliam supplèbitur. Quomodo hæc P. Placidus Thomista applicabitur ad præmotionem physicam, expectatur quàm maxime.

De primi Subsellij Dominicanis Theologis, uti de Joanne Vincentio Testimonium dat Joannes Garcia Coronel Doctor Vallisoletanus in Epist. ad Joannem Baptistam Plumbium his verbis: Contrariam præde-

terminationi opinionem ex Patribus Dominicani legit nota
 fra tempestate, Magister Frater Joannes Vincentius, & ali-
 quibus annis ante hunc Magister Mantius, ambo insignes
 Viri in Academia Salmaticensi. His succedat Doctissi-
 mus Vir Basilus Verdu, in relectione de auxilijs pag.
 54. Concl. 12. Ubi adversus recentiores ex fratribus
 suis disertissime ait: Probabilius tamen dicitur, aliquod
 opus morale bonum ordinis supernaturalis fieri posse sine
 physica prædeterminatione, sed satis erit simultaneus con-
 cursus.

Omitto P. M. Fr. Didacum Yangvas. P. M. Fr.
 Mandigon, qui asperè tolerunt, à suis fratribus propu-
 gnari, DEUM prædefinire ad actum peccati, vel quod
 impelleret ad illum. Navarette Tom. 2. Controv. 25. §.
 5. Concl. 13. verba sunt. Nec in Scriptura sacra, nec in
 concilijs, vel Doctrina Sanctorum Patrum invenitur ver-
 bum aliquod de prædeterminatione materialis peccati, seu En-
 titatis. Et illud magnum lumen Thomistarum Aravius,
 præter quam quod Madrito, Anno 1663, die 12. Decem-
 bris, Epistolam dederit ad P. Henao in hæc verba: Re-
 spondeo, quod fuerim in Juventute mea nutritus in præ-
 determinatiombus physicis, sed postea ætate magis prove-
 ctus, conformavi me R. P. Magistri Fr. Joannis Vincen-
 tij moralibus. Tom. 2do in 1. 2da. sic docet: Mirum
 planè est, quod quidam Novitij Theologi, quorum multi
 absque ullo examine suorum Magistrorum sectantur placita,
 tantam sibi fidem velint haberi, ut inäubitanter posteri Theo-
 logi credere teneamur, hunc DEI physicum humane volun-
 tatis prædeterminativum concursum; ejus nec Concilia,
 nec SS. Patres, aliquando meminere; sed ab eis fuit quod-
 dam fallaci discursu confictus. Certè & P. Magistri Jose-
 phi de Vita Siculi, Magister Passerinus, Procurator
 Generalis totius Ordinis Prædicatorum. Item R. P.
 Candura Provincialis Trinacriæ, R. P. M. Gigante,

Regens studiorum Panormi, R. P. M. Thomas Ancona, Regens ibidem, Doctrinam contra Prædeterminationes physicas approbârunt, censurâ suâ libro præfixâ, non solum ut bonam & Thomisticam, sed tanquam necessariam, ut doceatur in ordine, ac dignissimam, ut è cunctorum D. Thomæ asseclarum manibus, ore, & corde haud unquam corruat.

At longior videor esse. Ideo concludo cum Reverendissimo Turco Ordinis Dominicanorum Generali, qui palàm Fratri Tolosano dicebat: se fateri, Prædeterminationes physicas esse plurimum Thomistarum, sed à S. Thoma longè aberrantium; quibus si mihi ostenderis S. Thomam alicubi favere, promitto Tibi Magisterium. Taceo Alexandrum Alensem D. Thomæ Magistrum, videndum 1. part. quæst. 40. membro 4to, & cum hoc plurimos citatos apud Eleutherium de auxilijs. lib. 6. cap. 20. Quibus omnibus addendus est recentior P. Sebastianus Knippenberg, Professor publicus Lib. de providentia DEI gubernante per motum, Coloniae Anno 1700. impresso, quæst. 3. art. 50. Nunc judicet æquus Lector, an P. Placidus eâ fide asseruerit, Primates Societatis adhæsisse Prædeterminationibus physicis; quâ ego primi Subsellij Dominicanos ab eadem recessisse, eandemque rejecisse.

Sed dicet fortè P. Placidus, Citatos à me Thomistas rejecisse omnino prædeterminationem physicam, quæ se teneret ex parte actûs primi, quæve necessaria foret voluntati creatæ ad posse. Non item eam præmotionem physicam, quæ se teneat solum ex parte actûs 2di, neque detur ad posse, sed ad ipsum operari, sitque duntaxat applicatio voluntatis creatæ præviè potentis operari, ad ipsam actualem operationem. Ita enim ille citato Lib. physicæ. pag. 450.

Collige ex dictis, præmotionem physicam ita describi posse,

posse: quòd sit prævia, & physica motio procedens à DEO, & infallibiliter faciens, ut causa secunda jam prius potens operari, hic, & nunc applicetur ad actualiter operandum, modo nature sue conformi. Dicitur imò: prævia motio, eò quòd sit prius naturâ, quàm causa secunda operetur, cum sit causa motionis, & operationis causa secunde. Dicitur 2dò. physica motio, eò quòd non sit solum metaphorica, & moralis, quæ sit suassione, præceptione, propositione objecti, & similibus modis, sed quæ etiam verè realiter, & effectivè moveat. Dicitur 3tiò. Procedens à DEO, quia non est in nostra potestate, sed à DEO datur, ita ut causa secunda respectu ejus se habeat merè passivè. Dicitur 4to. faciens, ut causa, jam prius potens operari, applicetur ad actualiter operandum, per quas particulas insinuat, præmotionem physicam non tribuere ipsum posse operari, hoc enim jam supponit, eoque posterior est, sed tribuere duntaxat actu operari, in quantum est applicatio quædam pertinens ad reductionem potentie in actum, per quam causa secunda, jam aliunde potens operari, movetur, & applicatur ad actu agendum. Notanter dico, jam aliunde potens operari, ut intelligas hanc propositionem: sine præmotione non possum agere, falsam esse; præmotio enim non est necessaria, ut homo simpliciter, & absolute possit operari, sed tantum ut actu operetur, atque ideò, quòd aliquis non habeat præmotionem, nulla est consequentia; si dicas: ergo non poterit operari: sed debere inferre, ergo non operabitur. Dicitur 5to. modo nature sue conformi, ut insinuetur, DEUM prædeterminando ad aliquem effectum cause secunde, sive liberum, sive necessarium, determinare eam juxta modum, & exigentiam ejus; cum igitur modus, & exigentia cause secunde liberæ sit, elicere actum suum liberè, DEUS physice prædeterminando facit, ut eundem creata voluntas liberè eliciat, hoc est, cum indifferentia, & potentia ad utrumlibet, & consequenter ad-

missâ prædeterminatione physicâ, libertas non tollitur, sed causatur.

Intelligo, P. Placide, hanc doctrinam; Sed contra eandem Repono 1mo. Quòd hæc doctrina non sit eadem, quam de prædeterminatione physicâ eiusdem Assertores Thomistæ tenuerunt, ut est Banez, Alvarez, & inter noviores Goneth Disp. 6. de Præd. actûs. cæterique, qui prædeterminationem physicam non tantum ad operari, sed & ad posse necessariam iudicârunt, adeoque eandem se tenere ex parte actûs primi proximi docuerunt; ut paulò post patebit: Repono 2do, & quæro, quomodo fieri potest, ut cum hac præmotione physica, quæ est applicatio voluntatis creatæ ad operandum, & quæ actione, ad quam applicat, seu consensu carere non potest, neque carentia consensûs cum eadem componi, quomodo, inquam, fieri potest, ut voluntas rationalis operetur modo nature sue conformi, id est liberè? Tum quòd hæc applicatio descripta non permittat potentiam proximam expeditam ad utrumlibet: Tum, quia nullo pacto concordat cum textu Apostoli, 2. ad Corint. 6. *Adjuvantes exhortamur, ne in vacuum gratiam DEI recipiatis.* Hic siquidem loquitur Apost. *de gratia actuali*, juxtà mentem Concilij Senonensis in præfatione ad fidei decreta, & S. August. lib. *de gratia*, & *liber. arb. cap. 5.* loquitur autem de gratia, quam in vacuum recipi non repugnat. Neque enim utilis foret hæc exhortatio, si gratiam, de qua Paulus loquitur, in vacuum recipi repugnaret. Porrò Concilij verba sunt: *Testis siquidem est Apostolus, divinam gratiam in se vacuum non fuisse, cum abundantius (inquit) laboravi, non ego autem, sed gratia DEI mecum.* Unde rectè conficitur, ipsum divinæ gratiæ, & reliquos fideles cooperatum fuisse, quos ipse cohortatur, ne in vacuum gratiam DEI recipiant, laborem

horum pronancians nequaquam fore vacuum, si sic
 gratiâ utantur, ut non frustra illam videantur susce-
 pisse. Ex quibus sic argumentor: Gratia, de qua
 Paulus, & Concilium citatis locis loquitur, talis est
 entitatis, cui non repugnat in vacuum recipi; seu ef-
 fectu carere, sed gratia, de qua locis citatis loquitur
 Apostolus, est gratia efficax, ergo gratia efficax talis
 entitatis est, cui non repugnat in vacuum recipi, &
 effectu carere, postquam in voluntate posita est. Sed
 præmotio physica à P. Placido explicata, quæ in vo-
 luntate recipitur, & respectu cujus voluntas se mere
 passivè habet, est talis motio, talis applicatio, talis
 determinatio voluntatis, quam, postquam in volun-
 tate posita est, repugnat in vacuum recipi, & effectu
 carere, ergo hæc non est gratia illa, quam ne in va-
 cuum recipiant, hortatus est Corinthios Apostolus,
 adeoque non est gratia efficax Apostoli, sed huic op-
 posita, ergo non idonea, cum qua voluntas rationalis
 operetur modo nature sue conformi, id est, liberè. Con-
 firmatur ex S. Thom. quæst. 6. de verit. art. 3. In mo-
 tione autem, & executione NB. (non in potentia remo-
 ta) quæ est propinquior causa, DEUS cumulat varias
 causas, & auxilia, quibus spontè consentit homo, & li-
 berè se determinat, ubi si una causa defecerit, per aliam
 supplebitur. ergo motio adûm mentem S. Thomæ, seu
 executio (id est applicatio potentix ad operationem)
 quæ est causa propinquior, est talis, quæ deficere po-
 test, & per aliam suppleri: ergo est talis, cum qua
 non repugnat poni carentiam operationis, ergo non
 est motio à P. Placido descripta. Non miretur ergo
 P. Placidus, quod millies (ut loquitur pag. 453.) re-
 petendo, & explicando suam præmotionem, non in-
 culcet adversarijs, quomodo DEUS voluntatem mo-
 veat per illam ad exercitium suæ libertatis: nisi pri-

us ostenderit illam esse medium idoneum, & aptum per quod DEUS velit, ut causa secunda liberè operetur. Tandem siquidem loquitur: Si præmotio physica est ejusdem naturæ, ut descripta est à P. Placido, quantum loqueretur, si diceret, quòd DEUS per gratiam, seu motionem necessitantem ad actum, causam secundam applicet ad libertatis suæ exercitium, ut videlicet voluntas posita sub illa operetur modo naturæ suæ conformi, id est liberè.

Nèquè potest P. Placidus dicere, Apostolum loco citato, & Concil. loqui de gratia duntaxat sufficiente. Nam ibidem Apostolus non hortatur Corinthios ad aliquid faciendum, quod ab eis fieri repugnat; at juxta principia Thomistarum, de quorum numero est P. Placidus, repugnat, gratiam sufficientem habere effectum, id est, cum voluntatis consensu conjungi. ergo Apostolus non exhortatur Corinthios ad non recipiendam in vacuum gratiam sufficientem. Oportet ergo dicere, eundem locutum esse de gratia efficaci.

Contrà repono 3^{tiò}. Prædeterminatio physica, seu præmotio prævia juxta ipsamet P. Placidum, si se teneret ex parte actus primi proximi, seu si daretur ad posse, tolleret libertatem, ut patet ex ejusdem responsione ad obj. 7^{mo}. pag. 460. sed juxta primos Prædeterminationis physicæ Assertores, prædeterminatio physica prærequiritur ex parte potentia, sive datur ad posse, ut patet. Nam Bagnèz 1. p. q. 14. art. 13. sic docet: *Nulla causa secunda potest operari, nisi efficaciter determinante prima.* D. Avila. pag. 75. toto cap. 9. probat., *sinè auxilio efficaci, neminem posse converti.* Alvarez in Comment. super Isaiam cap. 10. Omnes causas secundas, etiam liberatas, nihil posse agere, nisi efficaciter à DEO moveantur. Nunnus Cabezudo.

zudo. Non posse voluntatem se determinare, nisi à DEO prædeterminetur. ergo ex mente Placidi, prædeterminatio physica, seu præmotio, quam hi Thomistæ docuerunt, tollit libertatem actûs, adeoque ab eadem omnino recedendum. Atqui subsumo: Hoc ipso, quod prædeterminatio physica tolleret libertatem actûs creati, si se teneret ex parte potentiæ, seu si daretur ad posse, tollet etiam, si dicatur, se tenere duntaxat ex parte actûs, seu si duntaxat necessaria sit ad ipsum operari. Prob. assump. Ideo tolleret in priori casu, quia potentia sub tali præmotione physica posita, non esset indifferens, & proximè expedita ad utrumlibet, puta consensum, vel carentiam consensûs. atqui idem prorsus fit, si dicatur, se habere etiam ex parte actûs, seu necessaria ad solum operari; ut patet ex ejusdem natura. ergo. Deinde, si præmotio physica non se tenet ex parte potentiæ, seu ex parte actûs primi, sed ex parte actûs 2di. quomodo hæc præmotio dici potest auxilium præveniens, & non potius auxilium coadjuvans, vel concomitans? Quomodo item potest connumerari inter eas gratias, quas DEUS in nobis operatur sine nobis? certum siquidem est ex Tridentino, quòd DEUS non constituat nos in actu 2do operationis liberæ, sine nobis, seu sine nostra libera cooperatione. Accedit item, quòd si præmotio hæc physica sit simpliciter necessaria ad operari, seu, ut convertatur, & homo non habeat hanc præmotionem, neque habeat potestatem illam acquirendi, manifestum evadit, quòd talis non habeat omnia necessaria ad conversionem. Si autem non habeat omnia necessaria ad conversionem, quomodo dici potest, quòd habeat sufficientiam ad conversionem? nullus certè habet sufficientiam ad aliquem effectum, si desint illi aliqua ex necessarijs ad illum. Neque dici potest,

quod P. Placidus asserit: per sufficientem gratiam iam haberi posse. Nulla siquidem potentia, seu sufficientia datur ad actum impossibilem; gratiam verò Thomisticè sufficientem componi cum actu, est actus impossibilis, ut ipsi docent, ergo per illam sine præmotione physica non datur sufficientia, adeoque hæc necessaria est ad sufficientiam. Unde dicendo, præmotionem physicam necessariam esse solum ad operari, non evacuatur difficultas; nisi simul addatur in potestate voluntatis creatæ esse, habere hanc præmotionem tenentem se ex parte actûs, cum libuerit, ad eum ferè modum, quo de concursu concomitanti philosophamur. Dicor enim ego modò, habere sufficiens principium ad ambulandum; quia, quamvis non habeam actu concursum concomitantem, qui ad ambulandum necessarius omnino mihi est, ita tamen habeo paratum, ut quoties voluero, habiturus sim illum. Quod juxta sua principia P. Placidus omnino dicere non potest.

Contrà est 4to. S. Thomas 2. contrà Gentes cap. 30. dicit: *Quod ex ratione principiorum essentialium rei competit, absolutam necessitatem in omnibus necesse est habere.* Si ergo præmotio physica P. Placidi ex sua essentia seu natura debet habere adjunctam actionem, ad quam præmovet, & applicat voluntatem creatam, utique actio illa absoluta necessitate consequi debet, *absoluta autem necessitas excludit contingentiam*, ut iterum ait S. Thom. imò *contra gentes, cap. 86.* ergo ista motio excluderet contingentiam, seu libertatem.

Contrà est 5to. Propriæ passiones non conveniunt contingentem naturæ, quamvis essentialem connexionem non habeant cum illa, cum ergo præmotio physica Thomistica essentialem connexionem habeat cum actione, adeoque majorem, quam passiones cum natura, à fortiori minus dici potest, quod actio con-

tingenter sequatur ad præmotionem, adeoque necessa-
riò, & non liberè.

Contra est 6to. P. Placidus pag. 453. ait, præ-
motionem physicam, esse: *Applicationem Intellectus,*
ad formandum Judicium indifferens, quo representetur
voluntati objectum ut bonum. Et paulò post eandem
pag. ait: *Esse applicationem voluntatis ad exercitium sue*
libertatis, id est, ad deliberandum, & eligendum juxta dicta-
men Intellectus. Quæro jam ex Patre Placido. An
possit dici aliquis prudenter consultare, num eidem hæc
actio, hæc operatio facienda sit, cum qua facienda &
exercenda applicatio voluntatis & Judicij metaphysicè
necessariò connexa est? certè nemo prudenter delibe-
rat, an oculis apertis objectum præsens videndum sit,
&c. atqui motio illa Patris Placidi, est essentialiter
metaphysicè connexa cum operari, ergo positâ illâ in
voluntate, prudenter dici non potest, quòd voluntas de-
liberet, & eligat, adeoque liberè agat.

Contra est 7mo. P. Placidus dicit, præmotio-
nem physicam naturâ, & causalitate esse priorem actu
secundo; & alio loco rursus dicit, eandem se habe-
re ex parte actus secundi. quod iterum inconceptibi-
le est, ut id, quod est naturâ prius actu 2do, constituat
actum secundum, go.

Contra repono 8vo. Quòd hæc præmotio phy-
sica, quæ necessaria dicitur ad operari, si non sit in
promptu, ut eam habeam, &, cum datur, non est
realis, cui resisti possit, contrarieque Concilio Senonensi;
quod sic dicit: *Nec verò tanta gratie necessitas libero*
præjudicat arbitrio; cum ipsa semper sit in promptu. &
paulò post. *Nec tale sit DEL trahentis auxilium, cui re-*
sisti non possit. Item Tridentino. Quod Sess. 6. cap.
5. docet. Quòd gratie excitanti possit voluntas liberè af-
ferri, aut eam abjicere; & Can. 4. Si quis dixerit,

liberum hominis arbitrium à DEO motum, & excitatum, nihil cooperari assentiendo DEO excitanti, & moventi &c. neque posse dissentire, si velit, anathema sit.

Recurrat hic P. Placidus ad decantatam illam distinctionem sensus compositi, & divisi; quam non vult P. Placidus eo sensu intelligi, ac, quòd voluntas etiam, dum præmotioni physicæ consentit, retineat adhuc potentiam dissentiendi, si auferatur videlicet præmotio; bene gnarus, quòd hoc sensu etiam dici posset: Intellectum dissentire posse conclusioni, etiam evidenter deductæ ex præmissis, quibus jam præbuit assensum; cum retineat adhuc potentiam dissentiendi, si assensus, & evidentiæ deductionis auferatur. Item voluntatem etiam sub gratia necessitante positam, adhuc dissentire posse; cum retineat adhuc potentiam dissentiendi, si motio necessitans auferretur. Ideo eandem pag. 456. sic explicat. Notari quippe debet, distinctionem sensus compositi, & divisi, non esse sic accipiendam, quasi sensus compositus, & divinus idem sint, ac posita, vel ablata præmotione, & consequenter præmotus ad agendum possit non agere, si tollatur præmotio; non possit verò, si ponatur præmotio: sicut ligatus vinculis potest ambulare, si tollantur vincula; non potest, si vincula maneant: hæc enim explicatio inepta est, & contra mentem Thomistarum. Sensus ergo compositus, & divinus tunc est, quando, stante præmotione in voluntate ad agendum, voluntas habet potentiam ad non agendum, non quidem hac ratione, ut ipsum non agere, conjungat cum agere, quod est in sensu composito; sed ut possit non agere sejunctim ab agere, quod est in sensu diviso, & ad libertatem sufficit.

Sed bona pace, P. Placide, audiamus D. Thomam q. 6. de verit. art. 23. ad 7mum & art. 4. ad 8vum & q. 3. art.

art. 5. ad 3. agentem de certitudine prædestinationis, & de modo; quo prædestinatus potest, vel non potest damnari, atque ad istud explicandum, utentem distinctione vera sensûs compositi, & divisi, sic loquentem: Hæc propositio: *Prædestinatus, in peccato mortali potest mori* (idem est de hac; *Præscitus potest salvari*) si accipiatur subjectum, prout stat sub forma prædestinationis, sic sumitur in sensu composito, & est falsa; si autem accipiatur, prout consideratur sine tali forma, tunc est divisa, seu sumitur in sensu diviso, & est vera. Comparetur hæc Doctrina cum doctrina P. Placidi; & judicetur, quæ mens sit, & debeat esse Thomistarum. Certè si ad mentem S. Thomæ loqui voluit, dicere debebat: *Quòd liberum arbitrium vocatum à DEO efficaciter, potest dissentire, vel prædeterminatus physicè ad unum, potest resistere*: Si accipiatur subjectum, prout stat sub forma physicæ præmotionis, sit propositio composita, seu in composito sensu sumpta, & sic sit falsa; si autem accipiatur, & consideretur sine præmotione physica, sit divisa, seu in sensu diviso sumpta, & tunc est vera: atqui hoc nec Thomistæ nec P. Placidus dicit: Quòd videlicet voluntas etiam, prout stat sub præmotione physica, non possit dissentire, imò docent oppositum, go in sensu S. Thomæ, sensum compositum & divisum non accipiunt. Contra est 2dò, quòd, quemadmodum ex verificata propositione hac simplici: *voluntas potest dissentire*, sit necessariò vera & hæc: *Fieri potest, ut voluntas dissentiat*, ita ex verificata hac modali: *voluntas à DEO mota & excitata potest dissentire*; Necessariò verificari debeat & hæc: *Fieri potest, ut DEUS voluntatem moveat, & excitet, & hæc tamen dissentiat*. Ergo responsio, & explicatio sensûs compositi, & divisi à P. Placido adducta non subsistit. Contra est 3tò, quòd hæc propositio absolutè prolata: *Liberum arbitrium, potest DEO vocan-*

ti absolute resistere, si velit, sit omnino vera, atqui eadem propositio absolute prolata foret falsa, si præmotio physica foret talis, cui voluntas absolute resistere non posset, quantumvis vellet, ergo.

Illud lepidum est, quod P. Placidus in explicatione sua addit. Sensus ergo compositus & divisus tunc est: Quando stante præmotione in voluntate ad agendum, voluntas habet potentiam ad non agendum. Non quidem hâc ratione, ut ipsum non agere conjungat cum agere, quod est in sensu composito. Bone P. Placidus, quis unquam somniavit, quòd ulla potentia, seu creatâ, seu increata, detur, ad conjungendum non agere simul cum agere, quis unquam hoc docuit? Deinde, unde dici potest: Quòd in sensu composito posse resistere motioni physicæ, idem foret, ac componere non agere, cum ipso agere. Nisi fortè dicere volet. Quòd voluntas à DEO mota, & excitata formalissimè idem sit, ac voluntas motioni assentiens, & motio prævia nihil sit, quàm productio assensus in voluntate. Atqui hoc P. Placidus dicere non potest: ait enim: pag. 461. sub finem objectionis. *Et. Enim etsi præmotio non sit in nostra potestate, ut eam habeamus, esse tamen in nostra potestate, ut illi consentiamus, vel non, ac proinde actionem non infert necessariò.* Qualiter tamen hæc responsio P. Placidi cohæreat cum prædicato 4^{to} Præmotionis physicæ à P. Placido descriptæ, judicet æquus lector.

Deinde, fide docemur, quòd assensus voluntatis præmotioni præstitus sit à voluntate creata, ergo non est formalissimè idem, ac voluntas mota: Siquidem motio voluntatis, ut ait P. Placidus, producitur in nobis sine nobis, & ad ejus productionem voluntas creata habet se merè passivè.

Denique, non nisi falso asseri, *liberum arbitrium posse in sensu composito dissentire, idem esse: ac posse con-*
jungere

Jungerè consensum cum dissensu, patet manifestè in dissentientibus gratiæ, & liberè peccantibus. Qui certè non conjungunt dissensum cum consensu. Alias pia anima, quoties tentationi dæmonis dissentit, simul assentiretur.

Ultimò tandem. Dum Concil. dixit; *Quòd voluntas DEO vocanti possit resistere, ac dissentire*, certè idem intellexit: ac quòd eidem gratiæ, cui liberè assentitur, possit dissentire; atqui hoc significat, quòd quemadmodam consentire vocationi divinæ est componere consensum cum tali gratia: ita dissentire, est componere dissensum cum tali gratia; si autem hoc; jam sensus divini explicatio data à P. Placido est contra mentem Concilij, go. Assump. prob. Sic certè nemo dicet, verificari hanc propositionem: *Petrus obedit legi*. Nisi conjungendo obedientiam cum lege; & hanc secundam: *Petrus repugnat legi*, nisi conjungendo inobedientiam cum lege. go etiam non potest dici cum veritate: *Voluntas dissentire motioni*, nisi conjungendo dissensum cum motione.

Omitto illud Theologorum proprium, quòd non satis explicari possit, quomodo Deus, hanc præmotionem causando in nobis merè passivè se habentibus, non foret author peccati, dum ad actum malum præmovet.

Nunc

Obijciat aliquis pro P. Placido. *scilicet*. Sacerdos legitimus sine pane, & vino habet potentiam, & sufficientiam consecrandi; & tamen fieri non potest, ut consecret sine pane, & vino. go. potest dari in voluntate creata sufficientia ad ponendam actionem, licet sine præmotione physica, ut applicatione, nunquam fieri potest, ut ponatur actio. R. N. A. veram enim potentiam consecrandi, & sufficientiam absolutam duo essentialiter constituunt; nempe potestas, quam character designat, per modum principij, seu causæ efficientis, & ipse panis, ac vinum, per modum objecti, seu ter-

mini, quem illa potentia essentialiter respicit; & quia, præcisè alterutro horum deficiente, consecratio redditur impossibilis, etiam deficit potentia adæquata, & vera sufficientia ad illam. Deinde, si nec habens panem, & vinum, nec sibi comparare valens, Sacerdos non consecret, numquid irreprehensibilis manet omni jure? quis enim culpabit illum, quòd rem impossibilem non fecerit? ergo similiter puniendus non foret, qui carens præmotione physica, neque habens potestatem eandem acquirendi, se non convertit, quod tamen P. Placidus cum thomisius negat, ut negare debet. go.

Obj. 2^{da}. Homo sedens potest stare; non in sensu composito; ergo in sensu diviso, ergo, sicut hic vera potentia standi cum sessione conciliatur, ita cum præmotione physica ad consensum, vera potentia dissentendi conciliari potest; adeòq; eadem nihil præjudicat libertati. R. Hominem sedentem pro instanti sessionis non habere veram potentiam standi liberam. Libera enim potentia consistit in potestate ad utramvis partem contradictionis indifferenti, & indeterminata; per sessionem verò jam non amplius pro eo instanti, quo sedet, indifferens est, sed determinata, affixaque ad unam partem contradictionis. Sessio nihilominus est eidem libera; Quia supponitur esse derivata à potentia, quæ, positis omnibus ad agendum requisitis, pro priori instanti naturæ, quàm est sessio, pro nutu, & optione arbitrij poterat se tam ad standum determinare, quàm ad sedendum. Deinde, quia is, qui se hoc instanti determinavit ad sedendum, potest quovis instanti subsequenti tollere, & dividere à se sessionem, quæ stationem impediabat, & sic tam in primo instanti sessio, quàm continuatio ejusdem est ei libera. Hæc autem præmotioni physicæ applicari non possunt, ergo. Et hinc est, quòd homini liberè sedenti impotentia standi pro eodem instanti

instanti sit solum consequens exercitium libertatis, adeoque, quod jam præsupponit, & ad quod ipsa subsequitur, impedire non potest. At in sententia prædeterminantium physicè, ex hypothesi, quòd pro hoc temporis instanti homo ad sedendum à DEO physicè sit prædeterminatus, impotentia standi pro eodem instanti antecedit exercitium libertatis humanæ, adeoque usum libertatis impedit, planeque evertit.

Neque reponatur: Præmotionem physicam esse solummodo applicationem voluntatis ad operari, quemadmodum est approximatio ignis ad comburendam stuppam; Quemadmodum ergo ignis veram habet potestatem comburendi, licet sine approximatione non comburat, ita & voluntas veram habebit potestatem dissentiendi, licet non dissentiat sine præmotione physica ad dissentiendum. Contra enim est; quòd approximatio ignis ad stuppam non determinet ignem ad urendum; quia ignis aliunde à natura sua ad id est determinatus; neque approximatio operatur ipsam ustionem, sed solus ignis. Contrarium est in præmotione physica, quæ & determinat voluntatem ad volendum, & operatur ipsum velle, seu volitionem nostram, & quidem, ut vult P. Placidus, prius naturâ, & causalitate. Ergo nulla paritas. Et ideo ajo: si ignis se ipsa urere non posset, seu non exiret in actum urendi, nisi eundem approximatio determinaret ad urendum, & eadem determinando causaret, formarétque ustionem, tunc in hac mutata rerum natura, ignis, seclusa approximatione, non haberet veram urendi, & sufficientem potentiam.

Objicietur 3^{ti}o. Deus est causa non tantum libertatis nostræ, sed & exercitij libertatis, ergo eo modo fiet exercitij libertatis creatæ, quo Deus illud fieri vult; sed Deus per præmotionem physicam vult, ut liberè fiat, ergo fiet liberè

berè adeoq; præmotio non tollet libertatem. *H.* Hoc argumentandi genere, probabitur, quòd DEUS etiam per gratiam necessitantem foret causa liberi exercitij creaturæ, ut consideranti patebit. In forma. *C. imò Enth. N. Subs;* DEUS enim non potest velle liberum exercitium creaturæ, per auxilium ineptum, & libertatis sublativum, utpote non componibile cum actu, & non actu.

Obj. 4to. Voluntas est cæca, sequens ductum rationis; unde eo modo fertur in objectum, quomodo illi ab intellectu proponitur, ita, ut, si proponatur cum determinatione ad unum, v. g. ad amandum, necessarium amet; si verò proponatur sine determinatione ad unum, sed cum indifferentia, v. g. ad amandum, vel non amandum, indifferenter quoque, ac liberè amet; atqui Divina præmotio non impedit, quin objectum, ad quod tendimus, proponatur ab intellectu ut indifferenter amabile, imò applicat intellectum, ut formet iudicium indifferens, quo representet voluntati objectum ut bonum, quod possit acceptare, vel respuere, ergò præmotio divina non impedit indifferentiam, & libertatem voluntatis, sed potius perficit, & causat. Ita *P. Placidus, pag. 453.* *W. P. Placidus* dixerat, præmotionem physicam fieri in nobis à solo Deo, voluntate duntaxat passivè se habente ad illam. Item eandem non se tenere ex parte actus primi. Innegabile autem est, quòd apprehensiones illæ, seu illuminationes in intellectu nostro, non fiant in nobis sine nobis, si sunt cognitiones verè, adeoque actus vitales. Item easdem se tenere ex parte potentia, dum se tenent ex parte intellectus, quomodo ergo modò dicit, præmotionem suam se tenere ex parte intellectus, quem applicat, ut formet iudicium indifferens? Item dixerat, esse essentialiter connexam cum actu; quomodo ergo modò dicit, quòd, posita illà, voluntas propositum sibi bonum

bonum possit acceptare, vel respuere? numquid respuendo componeret carentiam actionis cum præmotione, quod impossibile est. Talem autem præmotionem, cum qua componibilis est dissensus, seu carentia actionis à voluntate creata, Schola Societatis non negat, imo positivè necessariam docet ergo; argumentum hoc P. Placido prorsus nihil favet

Obji. 5to. Omnis motus essentialiter ordinatur ad suum terminum; ergo & motus, quo Deus movet causas secundas ad agendū, essentialiter ordinatur ad actionem. R. D. A. omnis motus essentialiter ordinatur ad suum terminum, semper essentialiter, & impedibiliter obtinendum, N. A. aliquando defectibiliter, & contingenter tantum obtinendum, C. A. & sub eadem Dist. C. Sic etiam accidens essentialiter dicit ordinem ad subiectum, sed duntaxat ad accidentaliter illi inhærendum.

Obji 6to. D. Th. 1. 2. q. 10. art. 4. ad 3. sic habet: *Si Deus moveat ad aliquid, impossibile est, quod voluntas ad illud non moveatur; ergo motio ex natura sua habet necessariam, & inseparabilem connexionem cum actione.* R. S. Thom. 1. 2. quæst. 112. art. 3. explicat se dicendo: *Si ex intentione DEI moventis est, ut homo, cujus cor movet, gratiam consequatur, infallibiliter ipsam consequetur: quia Intentio DEI deficere non potest.* Sive ut S. August. in *Enchirid.* cap. 98. loquitur: *Velle Omnipotentis non potest esse inane.* Hinc patet: Quod, quamvis impossibile sit, ut voluntas non moveatur ad illud, ad quod DEUS voluntate absolutâ, & efficaci movere intendit, non tamen impossibilitate ortâ ex connexionem essentiali, quæ foret inter motionem DEI, & operationem, spectatâ præcisè secundum suam Entitatem, & naturam; sed ex illa, & futuritione conditionata actionis, ponendæ in statu absoluto sub tali motionem, si hæc absolutè daretur. Et in hoc mira-

bilis DEI, & perfectior Omnipotentia elucet, quòd consensum creaturæ liberum infallibiliter obtinere possit per talem motionem, cujus naturæ non repugnat, ut illi dissentiat, & quæ libertati creatæ perfectissimè consulit. Non enim in eo summa Divinæ potestatis perfectio sita est, quòd nostræ voluntatis consensum obtinere infallibiliter possit, sed quòd liberum obtinere consensum infalibilliter possit.

Obj. 7^{mò}. A principio indifferente determinatus effectus produci non potest, quia hoc æqualiter habet se ad plura, & non est magis ad unum, quàm ad aliud; sed, si actus primus proximus compleatur solùm per auxilium indifferens, & non per prædeterminationem physicam, totus ille erit principium indifferens, go. & D. M. à principio indifferenti, indifferentiâ ortâ ex defectu virtutis sufficientis ad agendum, C. M. indifferentiâ ortâ ex abundantia virtutis sufficientis ad agendum, qualis causis liberis, tamquam earundem perfectio, est propria, N. M. & similiter D. m. N. Conseqv.

Obj. 8^{vò}. Etiam si actus primus proximus ad agendum compleretur per prædeterminationem physicam, adhuc in creatura remanet potentia volitiva, & objectum, circa quod versaretur, proponeretur illi per cognitionem indifferentem; ergo adhuc creatura maneret libera ad agendum. & C. A. N. C. Etsi enim sic constituta creata voluntas nec ab objecto, nec à cognitione illius necessitaretur ad agendum potius, quàm non agendum, necessitaretur tamen ab ipsa prædeterminatione. Nec de illa verum esset, quòd positus omnibus ad agendum requisitis possit agere vel non agere; aliàs etiam Petrus in abstrusissimo carcere positus, nec ullò modò in potestate habens procurandi sibi lucem, esset liber ad recitandas Horas Canonicas.

Obj.

Obj. 9^{mò}. Nisi DEUS prædeterminet causam liberam ad agendum, non potest velle efficaciter, & infallibiliter actum liberum creaturæ; quia semper complebit ejusdem insufficientiam per auxilium indifferens, adeoque per tale, cum quo creatura possit ponere, vel non ponere actum. ¶ N. A. ad ejus probat. D. A. semper complebit ejusdem insufficientiam per auxilium indifferens, prævisum tamen per scientiam mediam habiturum effectum, C. A. non sic prævisum, N. A. loquendo in suppositione, in qua DEUS vellet efficaciter actum liberum, & D. C. adeoque per tale, cum quo creatura possit ponere, vel non ponere actum, potentiâ antecedente, C. assump. potentiâ consequente, & ex suppositione, quod prævisa sit positura actum, N. assump. & Conseqv. An autem possibilis sit creatura talis, quæ prævideri posset sub nullo auxilio entitativè indifferenti positura actum, Theologorum disceptationi relinquitur.

Obj. 10^{mò}. DEUS est primum liberum, primum determinans, primum movens; sed talis non esset, si non prædeterminaret voluntatem ad suos actus; quia voluntas non prædeterminata, determinans se ad agendum, non supponeret aliquod prius, se determinans, go. ¶ D. M. DEUS est primum liberum, primum determinans &c. hoc sensu, quod DEUS sit primus, qui insufficientiam creaturæ ad operandum complet, in actu secundo eandem adjuvat, & ex impotente facit potentem operari, C. M. aliò titulò est primum determinans, N. M. & sub eadem distinctione Conseqv. Ad hoc autem, ut DEUS compleat insufficientiam creaturæ ad agendum, non est opus prædeterminatione physicâ, sed sufficit auxilium entitativè indifferens ad utrumlibet. Unde si alicubi *S. Thom.* dixit, causas secundas liberas præmoveri à prima ad operan-

operandum, intelligendus est, quod præmoveantur per auxilium entitativè indifferens.

Nequè dicas, hinc inferri, quod voluntas creata per auxilium entitativè indifferens ad agendum instructa, seipsam determinando ad agendum, hoc ipso determinaret etiam DEUM, quia determinaret omnia principia; si autem hoc, tunc DEUS subjaceret imperio, & beneplacito creaturæ, quod est contra perfectionem divinam. R. enim, D. Assump. hoc ipso determinaret etiam DEUM, antecedenter volentem se à creatura determinari, C. Assump. non volentem se antecedenter sic determinari à creatura. N. Assump. & eodem pacto reliqua. Sic autem determinari DEUM à creatura nihil est absurdi, imò conveniens summè DEO, in Decretis suis immutabili. Et licèt hæc determinatio creaturæ, DEI libertati præjudiciosa non sit, non sequitur, quod nec determinatio DEI per prædeterminationem physicam fieret præjudiciosa libertati creaturæ; quia determinatio Creaturæ est antecedenter à DEO impedibilis, & frustrabilis, adeóq; DEO libera; determinatio autem DEI per prædeterminationem physicam facta, à creatura nec antecedenter, nec consequenter esset impedibilis, vel frustrabilis, ergo.

Dices tamen, Determinationis illius, per quam creatura determinat DEUM ad concurrendum secum, esse causam etiam DEUM; ergo adhuc DEUS antecedit causativè creaturæ determinationem, atquè adeò prædeterminabit. R. DEUM esse causam illius efficientem, C. esse eligentem, subdist. electione mediata, à creatura impedibili, & frustrabili, C. immediata, & à creatura inimpedibili, N. assump. & C. Patent hæc ex dictis Sect. super.

Cur autem DEUS non dicatur determinare Creaturam, adeóque prædeterminare ad agendum, sed potius

tius creatura DEUM per talem electionem, Ratio est: Quòd, quoties causæ plures concurrunt ad eundem numero effectum producendum, toties illi causæ adscribatur determinatio, & electio immediata effectûs, cui effectus talis est immediatè liber, & imputabilis: ut patet in actu supernaturali, procedente à voluntate, & habitu supernaturali, ubi non habitus, sed voluntas dicitur determinans, & eligens actum; quia videlicet huic immediatè est liber, & imputabilis talis effectus; adeoque, cum & in nostro casu electio sit immediatè libera, & imputabilis creaturæ, hæc potiùs dicitur determinans comprincipia reliqua ad talem effectum, non verò alia concausa, intelligendo determinatione formali.

Ex hætenus dictis patet: Quòd, quemadmodum Prædeterminatio physica, tenens se ex parte potentia, ipsomet P. Placido confitente, neganda sit: ita etiam prædeterminatio, seu præmotio physica executiva, seu tenens se ex parte actûs, & ipsiùsmet operari, si eadem ejusmodi naturæ sit, quòd posteaquam liberum arbitrium est sufficienter constitutum in actu primo cum indifferentia ad utramlibet partem per gratias sufficientes, adhuc necessaria sit aliqua *motio, impulsus, vel qualitas*, quæ prædeterminatio physica, seu præmotio sit, ad quam ex natura rei sequatur operatio taliter, quòd stante illâ *qualitate, motione, seu impulsu*, liberum arbitrium non possit vel omittere operationem, vel velle oppositum operationi, prout deberet pro libertate sua conformiter ad Doctrinam Tridentini, omnino sit respuenda, & rejicienda.

Unde P. Placidus longè placidiùs egisset, si suum pag. 465. Collige omisisset; facile enim, si tricarì volet, reponeretur: Quinam magis, & proximius

Doctrinæ Concilij Tridentini adhærent? An ij, qui cum Concilio Tridentino docent: Motionem DEI, seu gratiam vocantem & excitantem esse talem, cui liberum arbitrium dissentire potest, si velit? An verò ij, qui negant motionem DEI esse talem, cui liberum arbitrium dissentire possit? Id quod etiam expressis verbis docuit Calvinus de libero Arbitrio lib. 6. *Nego gratiam sic nobis offerri, ut nostræ potestæ sit optionis vel obtemperare, vel refragari.* Sed hæc Theologis relinquamus. porro ad uberiorem nostram doctrinam sic

S E C T I O VI.

Quis determinet creaturas liberas ad individuum?

TAm causas necessarias, quàm liberas in productione effectuum inter se indiscernibilium determinari à DEO, ut hoc individuum producat præ alio omninò simili, communis jam contra *Thomistas*, & *Vasquez* Doctorum sensus est, ut videre est apud *Dequiros tr. met. Disp. 163.* Difficultas tamen non modica est in explicando modo, quo id DEUS præstet, ne vel arguatur tollere libertatem creatam ad merendum & demerendum, vel Author peccati, dum determinat creaturam ad odium *A.* eliciendum v. g. præ odio *B.* omninò simili. Refutandis aliorum Sententijs immorari vetant præscripti limites laboris, quare omissis illis, quæ videri possunt apud *Linze hic lib. 4. tr. 8. §.*

Dico: DEUS causas liberas ad individuum hoc modo determinat. Ab æterno decrevit DEUS, quòd
cujus-

cujuslibet creaturæ liberæ insufficientiam ad operandum complere velit per concursum suum indifferenter oblatum ad utrumlibet. Vidit postea, quid quælibet creatura libera, posita sub hoc vel illo auxilio, in his vel illis circumstantiis actura esset, vel non actura, an videlicet esset electura odium, vel amorem. Hâc scientiâ regulatus decrevit: *Volo dare v. g. Petro auxilium a. & nolo concurrere cum Petro ad eliciendum amorem ullum alium omnino similem amori a. præter amorem a.* Ratio doctrinæ est: quia sic loquendo salvatur libertas Petri in operando amorem a. cum absoluta determinatio DEI ad hoc individuum sit consequens ipsam liberam Petri electionem amoris præ odio, prævisam pro signo priori per scientiam mediam. Salvatur præterea, D E U M non esse Authorem peccati, sic determinantem v. g. ad odium a. quia per hoc suum decretum DEUS non eligit actum malum præ bono, sed solum determinat, ut actus malus unus fiat præ altero malo omnino simili, & quidem determinatione solum consequente liberam creaturæ electionem odij præ amore, prævisam per scientiam mediam. Ex hac doctrina patet, determinationem causæ primæ ad individuum in actu imo haberi per hoc, vel simile Decretum conditionatum: *Si viderem Petrum auxilio A. complenti ejusdem insufficientiam ad agendum, consensurum, & electurum sub illo amorem, darem illi hoc auxilium, & non concurrerem cum illo ad eliciendum amorem ullum alium omnino similem, præter amorem a.* In actu verò 2do eandem haberi per decretum absolutum supra relatam, quod resultat ex purificata conditione decreti hujus conditionati. Doctrinam hanc tenuisse videtur Suarez *Disp. 22. Met. sect. 4.*

Contra hunc modum explicandi determinationem

DEI ad individuum duplices opponuntur difficultates. Primæ, quæ, etiam hâc doctrinâ stante, evincere volunt, DEUM esse Authorem peccati. Secundæ, quæ impossibilitatem horum decretorum adstruunt, & hæc plûs Theologicæ sunt, quàm philosophicæ; igitur breviter eas attingam, gnarus, vetitum esse mittere falcem in messem alienam, quare

Dices imò. Etiam stante hâc doctrinâ DEUS esset causa, cur potius hoc numero peccatum, quàm aliud ponatur; go esset causa peccati. R. D. A. Cur potius hoc numero peccatum ponatur, quàm aliud, determinando creaturam ad hunc numero actum peccaminosum præ alio bono actu, N. A. determinando creaturam jam priùs prævisam, dependenter ab auxilio indifferenti electuram liberè actum malum præ bono, adeoque determinatione solùm consequente, & quodam modo negativâ ad hunc numero actum malum præ alio malo omninò simili, nolendo videlicet ad ullum alium similem concurrere, C. A. & N. C.

Neque dicas imò. Hoc ipso, quòd DEUS determinet ad actum malum *a.* præ alio actu malo *b.* v. g. omninò simili, determinat ad actum malum præ bono; ergo adhuc erit Author peccati. A. prob. Qui determinat ad speciem actûs, determinat ad actum malum præ bono; DEUS autem sic determinans determinat ad speciem, quod prob. Ratio specifica actûs, & individualis sunt realiter idem; go qui determinat ad rationem individualem, determinat etiam ad specificam. R. D. A. hoc ipso quòd determinet determinatione positivâ, tr. A. si determinet solùm determinatione negativâ, N. A. ad cujus prob. D. M. Qui determinat ad speciem determinatione absolutâ antecedente, absolutè determinat ad actum malum præ bono, C. M. Qui determinat antecedenter solùm
de;

determinatione conditionatâ, absolutâ verò solùm negativè, & consequente liberam electionem alterius, ille determinat ad actum malum præ bono, N. M. & D. m. DEUS determinans ad individuum determinat ad speciem determinatione absolutâ antecedente, N. m. determinatione antecedente solùm conditionatâ, absolutâ verò solùm negativâ, consequente liberam electionem creaturæ, C. m. & N. C. DEUS enim absolute non determinat ad actum amoris *a.* sed solùm negativè, & non nisi post prævisam creaturam liberè electionem amorem sub oblato præviè concursu, seu auxilio indifferenti; adeoque cùm eadem determinatione determinet ad speciem, quâ ad individuum, DEUS non determinat ad speciem absolute ante liberam electionem creaturæ, sed post.

Néque dicas 2dò. Etiam si DEUS antecederet ad prævisam liberam electionem creaturæ solùm conditionatè, & negativè determinaret creaturam ad odium *a.* v. g. adhuc DEUS erit determinans, & creatura determinata; sed quoties ex duobus unus est determinans, maximè si sit sciens, alter verò determinatus, effectus moraliter adscribitur determinanti, go. R. C. M. D. m. Quoties ex duobus unus est determinans ita, ut actum, ad quem determinat, svadeat & intendat, nec relinquat potestatem determinato ad oppositum, C. m. Si determinans solùm ita determinet, ut opus illud, ad quod determinat, non intendat, nec svadeat, sed potius ab illo deterreat, & relinquat simul potestatem completam, & expeditam ad oppositum, N. m. & C. DEUS 2dò modo, non primo est determinans.

Dices 3tò. DEUS est primum determinans, go determinatio DEI ad individuum debet antecedere liberam electionem creaturæ. R. D. A. DEUS est pri-

num determinans determinatione conditionatâ, offerendo præviè concursum suum indifferentem, per quem complet insufficientiam creaturæ ad agendum, C. A. Est primum determinans determinatione absolutâ respectu causarum liberarum operantium liberè, N. A. & D. C. Ergo determinatio DEI conditionata debet antecedere liberam electionem creaturæ, C. C. absoluta, N. C.

Instabis: Si determinatio DEI absoluta est solum consequens liberam electionem creaturæ, prævisam per scientiam mediam, tunc ante determinationem DEI absolutam creatura seipsam determinabit ad individuum, quia ante determinationem DEI absolutam determinat se ad speciem actûs eligendo amorem; ergo cum ratio specifica, & individualis sit eadem, determinabit se ad individuum. R. D. ass. Ante determinationem DEI absolutam determinabit se creatura ad individuum eâ determinatione, quâ se determinat ad speciem, C. Ass. aliquâ aliâ determinatione, N. assum. Ad hujus prob. D. A. Ante determinationem DEI absolutam determinat se creatura ad speciem, prout hæc est identificata huic determinato numerô actui, seu individuo, N. A. prout species illa continet totam collectionem individuorum, & in suppositione abstractiva proponitur voluntati, C. A. & N. C. Species enim prout contracta ad omnia individua sub se contenta, solum inadæquatè sumpta est realiter eadem cum hoc numerô individuo, non verò sumpta adæquatè. adeoq; pro illo priori ad absolutam determinationem DEI creatura non se determinat eligendo hoc præ alio omninò simili, sed solum eligendo illud præ alio speciei oppositæ.

Dices 4tò. Saltem juxta hanc Doctrinam explicari nequit, quomodo DEUS determinet creaturam ad ipsam electionem, quam futuram prævidet per scientiam mediam, quæ tamen etiam est actus aliquis individualis
causæ

causæ liberæ. *ꝑ.* Cùm ipsa electio creaturæ non se teneat ex parte actûs primi in ordine ad actum liberum, sed constituat ipsum actum liberum creaturæ, eodem pacto ad illam DEUS determinat, quo ad ipsum actum secundum liberum. Unde per scientiam mediam à DEO non prævidetur hæc numero electio futura creaturæ, sed hæc specie, seu hujus objecti præ alio.

Dices *stò.* Ex hac doctrina inferitur, Decretum DEI, quo offert præviè concursum suum, complementem creaturæ insufficientiam, esse Decretum de conferendo auxilio indeterminate cognito; sed talis cognitio in DEO implicat, *gò. ꝑ.* D. M. de conferendo auxilio indeterminate cognito, indeterminatione ignorantia, N. M. indeterminatione puræ præcisionis, quatenus per formalitatem scientiæ, seu cognitionis Divinæ, resultantem ex tali Decreto, non repræsentatur determinatum auxilium, per quod concurret in actu secundo, C. M. & similiter distinctâ m. N. C. Nam cognitio præcisiva DEI non est præcisiva præcisione ignorantia, qualis est creata, dum repræsentat objectum, non repræsentatis ejusdem ultimis differentijs, sed est præcisiva solùm hoc sensu, quòd Divina cognitio realiter sumpta, ob fecunditatem æquivalentiæ suæ, sit divisibilis intentionaliter in multas formalitates, quarum una, ut distincta formaliter ab alijs, non repræsentat, quidquid repræsentant omnes. Hinc est, quòd formalitas resultans ex scientia visionis, sit alia intentionaliter repræsentans voluntatem creatam ut indifferentem ad actum, alia repræsentans eandem ut actu operantem.

Dices *stò.* Decretum illud conditionatum, per quod explicamus determinationem DEI in actu primo, est stultum; *gò &* illud, ex quo hoc inferitur, A. pr. Quia hoc Decretum dicit: *Si darem auxilium, darem, seu: si determinarem, determinarem, gò. ꝑ.* Imò querendo:

rendo: Estne stulta hæc locutio in humanis, quâ dicit Parens filio: *Fili si scirem te abusurum hæc pecuniâ, quam tibi preparo pro usu fructuoso, non tibi eandem darem, vel è contra?* R. 2dò. N. A. ad ejus prob. D. A. dicit: si darem, darem, si darem, inquam, pro statu conditionato, & viderem in illo statu futurum sub illo consensum, darem etiam pro statu absoluto, C. A. pro eodem statu dicit: *si darem, darem, vel è contra*, N. A. & C. Plures, easque non leves difficultates circa præsentem quæstionem solvere Theologorum erit.

S E C T I O VII.

An educibile possit creari, vel creabile educi?

Terminus naturâ suâ educibilis dicitur ille, qui ex natura sua exigit produci per talem actionem, quæ actio essentialiter vel immediatè per se, vel per distinctam qualitatem unitur sustentativè subjecto præsupposito, per talem actionem non producto: tales sunt formæ materiales, &c. è contrâ Terminus naturâ suâ creabilis dicitur, qui exigit produci per talem actionem, quæ non exigit ex naturâ suâ uniri alicui subjecto præsupposito, & per eandem actionem non producto: tales termini sunt entia spiritualia, tum completa, tum incompleta. Item & materia prima.

Quæstio est duplex. 1mò de Terminis naturâ suâ educibilibus. 2dò de Terminis ex essentia sua educibilibus, ut est ipsa actio educitiva. & è contrâ de Terminis naturâ suâ creabilibus, & ex essentia sua
crea-

creabilibus, qualis posset dici actio creativa, si admit-
tatur distincta à termino per eandem creato.

Dico *1mò*. Terminus naturâ suâ educibilis po-
test creari. Ita *Oviedo Controv. 13. Phys. punct. 5. Hur-*
tado Disp. 12. Prob. DEUS, ut supremus Dominus
rerum omnium, potest contra naturalem rerum exigen-
tiam agere; ergo licet terminus aliquis naturaliter exi-
gat educi, potest tamen à DEO creari, cum aliunde
nihil obstat, & creatio, utpote actio perfectior, quam
eductio, potest hanc, velut imperfectiorem, supplere.

Dico *2dò*. Terminus exigens ex natura sua crea-
ri neque divinitus potest produci per actionem edu-
ctivam. Ita *Hurtad. contra Dequiros Disp. 62. Hæc*
conclusio intelligenda est tum de substantia spiritua-
li completa, qualis est v. g. *Angelus*, tum de mate-
ria prima, tum etiam de corpore simplici, si hoc
possibile supponatur. Tum denique de substantia
spirituali incompleta, tum etiam de accidenti-
bus naturaliter creari exigentibus.

Probatur quoad primam partem. Eductio est
productio rei dependenter à subjecto concurrente ad
productionem rei, sustentando videlicet in se rem pro-
ductam; sed nec materia prima, neque Angelus, ne-
que corpus simplex est ita producibile etiam superna-
turaliter, ergo. *min. prob.* Illud solum produci po-
test dependenter à subjecto præsupposito, & concu-
rente ad productionem rei, quod potest aliquâ ratio-
ne complere, & perficere subjectum, faciendo cum illo
unum compositum per se tanquam actus cum po-
tentia, & naturaliter extra materiam, è cuius poten-
tia educitur, existere non potest; sed nullum ex illis
tribus potest sic complere, & perficere materiam;
ergo. *prob. m. 1mò*. Quia materia prima, cum sit
subjectum primum, est impossibile, ut sit alicujus sub-
jecti

jecti actus, seu forma; Angelus etiam cum sit substantia completa, nequit cum materia facere unum per se, tanquam actus cum potentia, idem est de corpore simplici, ergo. M. autem patet: Quia capacitas materiæ ad concurrendum in eductionem alicujus formæ consistit formaliter in ipsius materiæ virtute, quam habet tales formas sustentandi, & perfectibilitate incompleta, vi cujus videlicet est capax per talem formam perfici, & compleri ad esse compositi.

Prob. etiam secunda Pars de formis incompletis, &c. Omnis actio supplens aliam, debet esse termini producendi sufficientia ad existendum; nulla eductio potest esse termini naturâ suâ creabilis sufficientia ad existendum, ergo nulla potest supplere actionem creativam; adeoque nec producere terminum naturâ suâ creabilem. M. est certa, m. prob. Omnis actio eductiva est ignobilior, & imperfectior in modo producendi effectum, quam sit creatio; ergo nulla est termini naturâ suâ creabilis sufficientia ad existendum. Consequenter patet. Quia hoc ipso, quod eductio in modo producendi sit ignobilior & imperfectior creatione, est minor actione creativâ in modo producendi, ergo est minor actione sufficiente ad producendum terminum naturâ suâ creabilem; sed id, quod est minus in modo producendi actione sufficiente, non est sufficientia, ergo. Antecedens autem etiam patet: Quia Omnis eductio etiam in modo producendi est essentialis dependentia sui, & saltem naturalis effectus sui à subjecto præsupposito, concurrente ad ejusdem existentiam, & per illam non producto. Hinc quamvis Anima rationalis producat in materia, quatenus eidem unitur, quæ sustentat naturales dispositiones, prærequisitas ad Animam naturaliter appetentem uniri materiæ; non tamen educitur ex materia.

teria, quia neque actio productiva animæ est talis actio, quæ essentialiter dependeat à materia tanquam subjecto præsupposito, per se non producto, neque anima rationalis est talis forma, seu effectus, qui naturaliter existere non posset absque subjecto. Actio autem creativa est essentialis independentia à materia ullò modò, ergo illa est imperfectior in modo producendi actione creativâ.


Neque dicas: quamvis educatio secundùm se sumpta sit in modo producendi imperfectior, & ignobilior actione creativâ; posset tamen per extraordinarium concursum DEI elevari, vel saltem suppleri, & sic proportionari ipsi actioni creativæ; ergo saltem elevari potest ad producendum terminum naturâ suâ creabilem. R. enim, N. assump. Nam præterquam quòd anima rationalis v. g. & alius terminus naturâ suâ creabilis, opponatur absolutè metaphysicè cum sui educatione è materia, vel actio illa educativa elevaretur, aut suppleretur per talem concursum, ut modò educivò producat terminum naturâ suâ creabilem, vel ut modò creativò? hoc secundum implicat; aliàs educatio mutare deberet suam essentiam, ut colligitur ex dictis. Primum autem etiam dici non potest, quia adhuc influxus ille foret imperfectior, quàm terminus naturâ suâ perat, adeoque insufficientis, & duntaxat determinans ad producendum effectum dependenter à subjecto, quod termino naturâ suâ creabili repugnat.

Dico 3tiò. Educationem ipsam, vel terminum ex essentia sua educibilem, implicat creati. Ita communis apud Ullojam Prodr. Disp. 4. Cap. 8. Num. 740. Prob. Nulla actio essentialiter unita sive mediata sive immediata alteri, tanquam præsupposito subjecto, & ab illo essentialiter dependens, tanquam subje-

subjecto sustentationis, est creatio (siquidem essentia hujus ut contradistinctæ ab educatione est, non habere ejusmodi dependentiam, & unionem) sed actio illa creativa, per quam crearetur educatio, essentialiter uniretur vel mediatè vel immediatè alteri tanquam præsupposito subjecto, & dependeret ab illo ut subjecto sustentationis, ergo. min. prob. Actio hæc creativa per essentiam suam deberet uniri termino per illam producto; sed hic terminus, utpote actio educativa, per essentiam suam deberet uniri alteri tanquam subjecto præsupposito per illam non producto, & essentialiter dependeret ab illo ut subjecto sustentationis; ergo actio creativa creans hanc educationem, cum huic deberet uniri per essentiam tanquam termino per illam producto, qui per essentiam suam deberet uniri subjecto præsupposito, pariter illa saltem mediatè essentialiter uniretur subjecto præsupposito &c. ergo esset & non esset actio creativa.

Dico 4^{to}. Pariter implicat terminum aliquem simul produci per actionem educativam & creativam. Ratio est. Quia duplex actio totalis, vel una totalis, altera partialis, ut supra dictum est, respectu ejusdem termini implicat; alterutrum autem fieri deberet, si idem crearetur, & educeretur. Neque enim ex actione creativa & educativa fieri & consurgere posset una indivisibiliter actio totalis, tanquam ex utraque partiali, cum hæ actiones sint essentialiter diversæ non tantum quoad entitatem, sed etiam quoad modum producendi, ut explicatum est. ergo.

PARS



P A R S III.

ANIMASTICA.

DISPUTATIO PRIMA.

De Ente Vivente in communi.



Nimam dari adeo certum est S. Augustino, ut sine Anima censeat illum, qui Animam dari dubitet. Definitur autem Anima ab Aristot. lib. 2. de Anima, t. 6. *Actus primus corporis naturalis organici, potentia vitam habentis.* Ad rite intelligendam hanc definitionem examinabimus particulas ejusdem per Sect. distinctas, quarum genuina explicatio Disputationem de Anima in communi plurimum faciliat. sit igitur :

S E C T I O I.

*Quomodo intelligenda particula :
Actus primus corporis ?*

Certum est juxta Concil. Viennen. Clement. Uni-
câ S. Porro de Trinitate. Animam rationalem
esse

esse formam corporis humani, cum quo per unionem physicam facit unum per se, videlicet hominem. Ex quo paritas ducitur ad probandum, etiam alias animas esse veras formas physicas, determinantes corpus ad certam speciem viventis. Unde sequitur, per particulam *Corporis* in definitione positam, non posse intelligi Materiam primam præviè informatam formâ corporeitatis, ut vult Scotus. Ratio est: Quia hoc ipso Anima rationalis non esset actus informans, sed tantùm assistens, cum naturaliter duæ formæ substantiales in eadem numero materia esse non possint. Neque satisfaciunt nonnulli Scotistæ, Respondentes: formam corporeitatis non esse totalem, sed subordinatam ex natura sua ad formam aliam, videlicet Animam. Contrà namque est: si forma corporeitatis esset solum subordinata, illa per se formaliter non determinaret materiam ad certam aliquam, & determinatam speciem corporis, sed solum ad aliquod esse genericum corporis; talis autem forma implicat, sicut implicat accidens, quod realiter denominet aliquod subiectum coloratum colore generico, & ut sic, ergo. quare

Dico, Per particulam *Corporis* intelligendam esse materiam primam, certis dispositionibus organizatam, per quas proximè fit capax, ut determinetur ab anima ad certam speciem entis completi, vitam habentis. Vel, si cum D. Thoma loqui velimus: intelligendum esse totum compositum, resultans ex corpore, & Anima. Animam verò definitam esse ab Aristot. in ordine ad totum compositum, quod constituit, quemadmodum definimus nigredinem, v. g. dum dicimus, eam esse actum, seu formam nigri; non autem in ordine ad partem compositi, seu ob-


jectum.

fectum, cui advenit, qualiter definimus nigredinem, dum dicimus: Nigredo est forma Corvi.

Quodsi Objicias cum Scotistis imò: Materiam primam per se ipsam non esse corpus, adeoque determinari eam ad esse corpus per aliquam formam substantialem; hæc autem non potest esse Anima, maxime in homine, cum Anima hominis sit rationalis & spiritualis; ab Anima autem spiritali nequit materia determinari ad esse corporis, cum forma spiritalis non minus sit inepta dare denominationem corporei, quam nigredo albi. R. Veram esse majorem, quod materia prima per se ipsam non sit corpus completum, adeoque determinari debeat per aliquam formam substantialem ad esse corpus completum. Si verò loqueretur major, materiam primam per se ipsam nec esse corpus incompletum, falsa esset. Sic videntur admittenda majori, N. m. Anima enim rationalis etiam sit spiritualis, est tamen talis forma, ad quam materia ordinatur à natura, ut cum illa constituat unum principium adæquatum actuum sensitivorum, & vegetativorum. Talis autem forma, etsi sit in se spiritalis, potest tamen materiam primam determinare ad esse corporis completi, sicut determinat illam ad esse principij adæquati respectu actuum sensitivorum, & vegetativorum.

Dices 2do. Idem est corpus mortuum, quod fuit vivum; ergo debet in mortuo corpore manere eadem forma, quæ fuit in vivo, adeoque præter animam rationalem in homine datur forma corporeitatis. R. D. A. Idem est æquivocè, C. A. Idem est formaliter, N. A. Corpus enim vivum fuit homo; corpus verò mortuum non potest dici homo, nisi æquivocè. ergo. Quomodo nihilominus verificari possit conceptum illud S. Damasceni dictum de Christo: Verbum

bum divinum quod semel assumpsit, nunquam dimisit, et si corpus mortuum non sit idem, quod vivum formaliter. R. Salvandum textum, si explicetur: Quòd verbum nunquam dimiserit illud, quod semel assumpsit per se, tamquam spectans ad essentiam, vel integritatem naturæ humanæ completæ. Unde etiã in triduo mortis verbum divinum univerit sibi corpus mortuum, dum anima Christi separata fuerat à corpore, adeoque etiã formam cadaveritatis saltem mediã, quia tamen hanc non assumpserat per se, utpote non spectantem ad essentiam, seu integritatem naturæ humanæ completæ, potuit hanc amittere. Sic autem explicandum esse textum S. Damasceni, facile sibi persvadebit, quicumque cogitaverit, Christum Dominum non unam particulam de corpore suo amisisse, dum attritus erat pro salute nostra. Neque dicas ex his sequi, quòd si in illo triduo mortis aliquis Sacerdos consecrasset hostiam, vi illius consecrationis fuisset corpus mortuum positum sub speciebus panis, quod cum non sit idem cum corpore vivo, non fuisset corpus Christi; Responderi enim ad hæc potest Imò: Si DEUS prævidisset, ut prævidere potuisset, hunc casum futurum, impedivisset in corpus mortuum introductionem formæ cadavericæ. Vel si non impedivisset, sub speciebus panis vi illius consecrationis fuisset positum corpus Christi non formaliter tale, sed suppositaliter tale, quia etiã tunc illud corpus Christi habuisset sibi unitam subsistentiam divinam.



S E C T I O II.

*Quomodo intelligenda Particula:
Organici?*

PER particulam hanc, intelligi certa, eaque diversa instrumenta, & organa, quibus præditum corpus fit aptum, ut anima eidem unita operari possit vitaliter, facile omnes admittunt. An verò diversa hæc organa, & instrumenta habeantur per solam variorum accidentium, seu humorum temperiem, an per formas aliquas partiales, quæstio est apud Philosophos? pro cuius resolutione

Dico: Nec in Viventibus, nec alijs compositis substantialibus dari formas partiales. Ita communis cum *Suarez Diss. 15. Metaph. sect. 10. Prob. 1mo.* Quia earum nulla est necessitas. *2do.* Quia essent substantiales, & simul non essent; de ratione enim substantiæ est, ut sit prima radix eorum, quæ sunt connaturaliter in tali supposito; ex his formis autem nulla esset radix prima, siquidem illæ omnes exigentur à forma viventis in ordine ad operationes vitales, adeòq; ad has haberent se ut instrumenta, & per consequens eo modo, quo accidentia exigita à forma totali in ordine ad exercendas in actu secundo operationes vitales. *2do.* Ex diversitate harum formarum non arguitur diversitas in anima exigente illas; ergo nec ex diversitate operationum, quas experimur procedere ab eodem vivente in diversis membris, infertur legitime diversitas formarum partialium.

Hinc infero, per particulam *Organici* intelligi

solummodo diversam complexionem accidentium; disponentium materiam, seu Embryonem, ut proxime aptus sit recipere animam.

Dices contra 1^{mo}. In Embryone, cadavere, & vivente, est eadem collectio accidentium; ergo etiam debet esse eadem forma, exigens hanc collectionem. Hæc forma non est anima, ergo formæ partiales. 2^{do}. Cor vivum, & cerebrum vivum tantum inter se differunt, quantum cor mortuum, & cerebrum mortuum, ergo substantialiter; sed non per materiam, ergo per formam diversam partialem. 3^{io}. Non videntur posse deberi uni formæ tam diversæ complexiones accidentium in diversis partibus corporis, ergo dicendum illas deberi diversis formis partialibus. 4^{to}. Si hæc complexio diversorum accidentium esset debita animæ, posset anima naturaliter sua organa sibi recuperare, quemadmodum forma aquæ suum frigus sibi debitum, non autem recuperat; si enim alicui effodiatur oculus, anima ibidem nunquam recuperat organa ad exercendum visum. R. Ad 1^{um}. D. A. est eadem omnis, N. est eadem aliqua, C. A. & N. C. Dum enim in corpus introducta est forma cadaveris, necessariò priùs aliquæ dispositiones introductæ sunt, impossibiles cum forma vivente; vel ad minùs aliquæ necessariò requisitæ pro forma vivente cessarunt esse. proportionaliter fit, dum forma viventis succedit formæ Embryonis. Ad 2^{um}. R. In homine, N. A. Cor enim vivum, & cerebrum vivum in homine constituuntur in esse vivi per organa, & animam indivisibilem, adeòq; eandem in utroque, & consequenter different solum per organa: è contrà cor mortuum, & cerebrum mortuum non constituuntur per formam unam indivisibilem; forma enim cadaveris, ut infra videbimus, divisibilis est. Ad

ztium N. A. Anima enim rationalis est Principium diversarum operationum vitalium, adeoque cum ex hoc fine informet corpus, ut diversas has operationes exercent, cur non eidem erit debita varia illa complexio diversorum accidentium in diversis partibus corporis? Aliunde juxta Advers. possunt ei in iisdem partibus corporis deberi diversæ formæ partiales. *Ad 4tum D. M.* posset naturaliter anima recuperare sibi sua organa in aliquibus circumstantijs, v. g. dum deperditio accidentium facta est per intemperiem primarum qualitatum, vel similibus aliarum, ut raritatis, densitatis, &c. C. M. in omnibus, etiam illis videlicet, in quibus cum accidentibus exigitis deperditur etiam materia, in qua accidentia illa subiectabantur, N. M. & similiter distinctâ m. N. C. Sic nec aqua recuperabit suum frigus, si in illam continuo plus ignem. Et dicant Adversarij, cur non recuperet semper formas partiales? *Ad ultimum Nota.* Ex notabiliter diversis operationibus, & accidentibus colligimus quædam differre substantialiter, si illa diversitas notabilis accidat in diversis suppositis; non autem, si accidit in eodem supposito, ut clarum est in homine.

SECTIONO III.

*Quomodo intelligenda particula :
potentiâ vitam habentis?*

PER particulas has intelligendam esse vitam in actu 2do, adeoque ipsam operationem vitalem, controversum non est. Statuere tamen genuinam definitionem, & formalem conceptum operationis vitalis.

seu vitæ in actu 2do, multum est intricatum. Rejiciendis aliorum sententijs, quos videre est apud Arriagam hic Disput. 2dâ. Sect. 1. immorari non licet. quare

Dico. Operationis vitalis, seu vitæ in actu 2do Conceptus formalis est: *Motus, seu operatio ab intrinseco immanens, conveniens suo principio tunc, quando est in statu perfecto, & maxime naturali.* Definitionem hanc bonam esse, probat primaria proprietas definitionis, quia convenit omni, & soli motui, seu operationi vitali, ut in solutione object. patebit. igitur

Objicies *imò.* Gravia, & levia in locis proprijs intermedijs gravitant, & levitant; ergo movent se ab intrinseco per actionem immanentem, dum sunt in loco proprio, & tamen non vivunt; ergo definitio lata non convenit solis operationibus vitalibus. 2dò. Ignis, etiam dum est in statu suo perfecto, emanat suas passiones, vel saltem aggenerat sibi partes per unionem physicam, & tamen non vivit, ergo. *q.* Ad *imùm.* Gravia in locis proprijs intermedijs non sunt in statu *maximè connaturali*; movent enim se ut melius habeant, adeoque integra definitio illorum motui non convenit. Ad 2dum Dico, ignem in statu suo perfecto, & maxime naturali, aggenerare quidem sibi partes per unionem physicam in se productam, non tamen ex eo vivit, quia hic motus ignis est ad talem perfectionem, quæ est debita igni in instanti primæ generationis, seu productionis ignis. Si enim ignis in instanti primæ generationis, seu productionis sui, careat pabulo, perit. Ex hoc tamen non cessat nutritio hominis v. g. vel augmentatio, qualis est in plantis, esse vitalis. Neque enim homini, vel plantis in instanti primæ suæ generationis est debita illa

illa quantitas substantiæ, ad quam per nutritionem, & augmentationem tendunt. Parvitas enim illa, quam habet homo, vel planta, in instanti primæ generationis non tantum non est violenta, sed connaturalis; adeoque pro illo instanti non est eis debita major quantitas, ad quam postea per nutritionem &c. moventur.

Dices tamen, hinc sequi, intellectionem Angeli, debitam illi in instanti primæ generationis, seu creationis suæ, non fore vitalem, quod tamen admitti nequit, cum non sit possibilis substantia intelligens, non vivens. R. N. Sequi. Etsi enim tali Angelo esset debita prima cognitio in instanti suæ generationis, quia tamen hæc, quæ illi daretur, non esset essentialiter prima, siquidem potuit esse alia, Angelus haberet potentiam proximam, hanc ex exigentia sua operandi immanenter, atque adeo per illam adhuc viveret.

Quod si instes, sequi cognitionem DEI non esse vitalem, cum sit DEO essentialiter debita pro omni signo. R. fore vitalem, quia non est debita DEO ex exigentia alicujus principij extrinseci, producentis DEUM, cum tale implicet, sed ex exigentia propria DEI. Unde in creatis ideo operationes perfectionis alicujus, in instanti primæ generationis debitæ genito, non sunt vitales, quia debentur rei genitæ ex exigentia principij extrinseci, nempe generantis, juxta illud: *Qui dat esse, dat consequentia ad esse.* adeoque etiam motus ad illas non est proprie ab intrinseco, cum sit ex exigentia extrinseci principij.

Pro reliquis *Nota imò.* Substantiam creatam, cui sit identificata cognitio sui, vel aliorum objectorum, nega possibilem. Siquidem quemadmodum esse haberet ab alio, ita & intelligere, adeoque ad talem

operationem ab intrinseco se non moveret. 2dò. DEUS ad operationem vitalem movet se ab intrinseco negativè, quatenus videlicet principium intelligendi non accipit ab extrinseco principio. 3tò. Actus supernaturales Fidei, Spei, &c. sunt vitales, quia exiguntur ab operante prout vitales; licèt, prout supernaturales sunt, exigi non possint ab agente naturali. 4tò. Nutritio, prout est compressio, vel dilatatio diversorum organorum, est vitalis, quia sic sumpta est motus immanens. pariformiter discurrendum de locutione. 5tò. Habitus, & species, cùm non operentur immanenter, sed solum transeunter, vitales non sunt.

S E C T I O IV.

De Subiecto operationum vitalium.

Dico primo, Subjectum sustentativum actuum vitalium spiritualium, intellectionum videlicet & volitionum, est sola anima. Prob. Hi actus cùm sint vitales, sunt essentialiter immanentes; ergo quod est adæquatum principium effectivum horum actuum, erit idem & sustentativum; sed sola anima est adæquatum principium effectivum eorum, siquidem eos elicit etiam separata à materia, ergo.

Dico 2dò. Sensationes tam in homine, quàm in brutis sustentantur partialiter etiam ab anima. Prob. Sensationes tam animæ brutorum, quàm animæ rationalis sunt formaliter vita in actu secundo; ergo utraque anima se movet ad illas ab intrinseco immanenter. adeòq; cùm immaneat animabus, tanquam principijs suis effectivis, hæ respectu earum erunt subjectum sustentativum, saltem partiale. Neque valet

let dicere, sensationes immanere animabus solum per puram receptionem. Contrà enim est, quia ex anima tamquam ex potentia educuntur, & simul illi uniuntur, ergo sustentativè.

Dico 3^{id.} Actus vegetativi tum in brutis, tum in plantis, ac etiam in homine sustentativè recipiuntur in sola materia. De brutis, & plantis conclusio est communis; nequit enim actio productiva sustentativè recipi in termino à se producto, ob mutuam prioritatem; per hos autem actus in brutis, & plantis semper producit nova pars animæ; ergo in hac tamquam termino suo sustentari nequeunt. De Actibus vegetativis hominis autem Prob. Per actus vegetativos hominis solum nova unio integralis producit, per quam anima rationalis novis partibus materiæ communicatur. Sed hæc unio probabilius educitur ex sola materia, ut diximus *Part. 2da. Diss. 2da* de Ente modalis; ergo recipietur sustentativè etiam in sola materia; actio autem productiva subjectivè recipitur in illo subjecto, in quo recipitur terminus per illam productus, ergo.

Contra 2^{dam} Conclus. Obj. 1^{mo}. Actus vegetativi sunt æquè vitales, ac actus sensitivi; ergo si hi recipiuntur sustentativè tam in materia quàm in forma, recipientur & illi, vel è contrà. R. D. A. sunt æquè vitales causaliter, quatenus utrique causantur à principio vitali, C. A. sunt æquè vitales formaliter, quatenus per utrosque viveret anima formaliter in actu 2^{do}, N. A. & C. Anima denominatur per sensationes videre, audire, &c. per actus autem vegetativos non denominatur nutriri, vegetari; sed nutrire, vegetare; ergo respectu horum habet se solum activè, efficiendo illos; respectu autem priorum etiam passivè, sustentando illos; adeoque per hos vivit formaliter

ter in actu 2do, per illos verò solùm præsuppositivè, & causaliter, seu efficienter.

Neque inferas, animam purè vegetativam in plantis non vivere in actu 2do. R. enim, eam non vivere per actus suos formaliter in actu 2do, tamquam per vitam in se receptam sustentativè, C. non vivere per illos in actu 2do, tamquam per vitam à se & in subiecto suo productam, N.

Obj. 2do. Sensationes non possunt sustentativè recipi in anima hominis, tamquam in subiecto adæquato; ergo nec tamquam in subiecto partiali, & inadæquato. Consequen. prob. Incapacitas sustentandi adæquatè formam materialem à subiecto spiritali non provenit ex eo, quòd esset ordinis inferioris, vel indigeret aliò principiò adjuvante, aut elevante se, sed ex improportione, quæ est inter rem spiritualem, & materialem; hæc improportio autem manet inter Entia ista, etiam dum spirituale foret subiectum sustentativum tantùm parziale materialis entis, go. R. imò. à multis negari A. quò negatò ruit argumentum. R. 2do. C. A. N. C. Ad hujus prob. N. A. Provenit enim ex eo, quòd si Ens spirituale posset esse adæquatum subiectum sustentativum formæ materialis vitalis, deberet etiam posse esse adæquatum principium ejus productivum independentè ab omni materia. Sed Ens spirituale actuum vitalium materialium se solo independentè à materia nequit esse principium effectivum. Actus enim vitales, ut ostendam Diss. 3tia Partis hujus, non producuntur per actionem à se realiter distinctam; quemadmodum ergo actiones eorundem eductivæ essentialiter petunt pendere à materia, ita, ut nec creari possint à DEO: ita & ipsi. Hæc omnia autem manent illæsa, dum actuum sensitivorum parziale subiectum sustentativum est etiam anima hominis, ergo.

SECTIO V.

De Pluralitate Animarum in eodem Vivente.

IN eodem vivente simul plures non dari animas; præter communem Doctorum Catholicorum sensum, Authoritatèque SS. PP. apud *Ruvium lib. 2. de Anima* copiosè relatorum, etiam Ratio persuadet. Si enim in homine v. g. ideo deberent dari plures animæ, quia in eodem diversas specie experimur operationes, tunc non solum tres, sed copiosæ planè deberent admitti animæ, Alia videlicet, quæ objectis præbeat assensum, alia quæ dissensum; alia quæ amorem, alia quæ odium, &c. Deinde illæ plures animæ vel essent in diversis subjecti partibus, & tunc non unum, sed plura constituerent viventia: vel in eadem, & hoc non, quia naturaliter plures formæ substantiales nequeunt esse in eadem numero materia.

Sola igitur restat difficultas, an non ad minùs successivè detur pluralitas animarum in eodem vivente? Ad quam *æ. Negative contra Conimbr. Maurum hic quest. 10. Sc.* Ratio est. Quia hujus successionis nulla est necessitas. Si enim in Embryone v. g. Carentia primariorum organorum debitorum pro anima rationali hanc necessitatem induceret, etiam infans unius anni careret adhuc anima rationali. Si quidem in illo reperitur carentia primariorum organorum debitorum animæ rationali in ordine ad eliciendum discursum. Item induceret hæc carentia successionem copiosarum planè animarum, quia Embryo
priùs

prius organizatur pro anima vegetativa v. g. ut unum, dein ut duo &c. Confir. *imò*. Nulla est necessitas successivæ expulsionis animarum in corruptione viventis, ergo nec successivæ introductionis in generatione. Confir. *adò*. Adversarij nolunt agnoscere, se in utero matris primò fuisse plantam, dein brutum, ac tandem post aliquod intervallum temporis hominem; & tamen ex successione animarum hæc sequela infertur legitime, ut consideranti patebit; ergo. Confir. *3tiò*. Rituale Romanum in abortu fœminæ, si fœtus aliquos motus vitales ediderit, jubet absolute, & non solùm conditionatè baptizandum fœtum; ergo supponit omnem motum vitalem in fœtu humano provenire ab anima rationali. quod tamen falleret, si daretur successio animarum in generatione viventium.

Dices contrà *imò* ex P. Mauro. Anima rationalis non inducitur in subjectum, nisi hoc prius sit organizatum organizationibus convenientibus animæ rationali. sed dum Embryo primò incipit vivere, & per canaliculos, seu vasa umbilicalia trahere alimentum ex utero Matris, non habet organizationem convenientem animæ rationali. Siquidem tunc adhuc massa illa lactea caret carne, ossibus, venis, nervis, capite, pede, cruribus, sanguine, &c. ergo tunc non vivit per animam rationalem. Confir. *imò*. In corpore truncato capite anima rationalis non habet organa sibi convenientia; ergo nec in illo Embryone primò incipiente vivere. Confir. *adò*. Embryo ille dum primò incipit vivere, est adhuc indifferens ad recipiendam organizationem hominis vel bruti; ergo caret adhuc tunc animâ rationali. R. *Ad unum*. C. M. N. m. Etsi enim canaliculi illi non sint organizatio sufficiens in ordine ad exercendas ab anima rationali operationes intellectivas vel volitivas, sunt

tamen sufficiens in ordine ad exercendas operationes vegetativas, ordinatas ad sensitivas, & racionales, per quas anima rationalis sensum sibi perficit organa ad exercendas perfectiores operationes. Uade etiam juxta Maurum vegetatio illa, quæ fit per illos canaliculos, est altioris ordinis, quàm v. g. vegetatio plantæ. Ad Confir. *1mam* C. A. N. C. In corpore enim truncato capite pro nullis operationibus, nec vegetativis ex natura ordinatis ad sensitivas &c. habetur organizatio sufficiens. Ad *2dam* Confir. N. Embryonem illum, canaliculis illis jam præditum, esse secundum se indifferentem ad organizationem bruti; à natura enim jam est ordinatus ad animam racionalem, & simul jam tunc habet præcipua organa inchoata, quæ anima rationalis per operationes vegetativas, & sensitivas sensum perficere potest, & aptare ad elicendas operationes suo tempore racionales. Quod si anima rationalis per accidens impediatur à perficiendis talibus organis, cogitur sedem suam deserere, & dein factus ille informatur animâ vel sensitivâ, vel vegetativâ. Hinc contingit ab homine generari monstra per accidens.

Dices *2dò*. *Arist. lib. 2. de Gener.* dicit: *Non enim simul fit S animal, S homo, ergo. 3tò.* Jus Canonicum Cap. *Sicuti Docet*, non committi homicidium ab eo, qui occidit factum ante infusionem animæ rationalis; ergo supponit factum vivere ante infusionem animæ rationalis; nisi enim viveret, non occideretur. *4tò.* Natura paulatim procedit ab imperfectioribus ad perfectiora, ergo prius producet animam vegetativam &c. *5.* *Aristot. locutum esse, solùm prius in actu 2do haberi operationes vegetativas, quàm sensitivas, & has prius, quàm racionales: ex hoc autem non infertur successio animarum, sed solùm defectus organorum* perfe-

perfectorum pro operationibus perfectioribus. *Ad 3^{um}*. Ibidem Jus Canonicum ly *Occidere* sumit in significatione ampliori pro eo, ac impedire aliquid ordinatum à natura ad vitam. Unde ait Jus Canonicum, verum homicidam esse solum illum, qui interimit factum jam animatum; qui verò peccaminosè impedit, ne animetur, non debere vocari verum homicidam, sed alterius speciei peccatorem. *Ad 4^{um}*. Axioma illud intelligendum est de ipsis operationibus 2^{dis}, non de virtute earundem operativa.

SECTIONO VI.

Utrum Animæ viventium sint Divisibiles?

Nihil hîc de Anima rationali, de qua proprio loco statuetur sententia. Solæ ergo sub quæstionem cadunt animæ brutorum, & plantarum, & illorum quidem tam perfectorum, quàm imperfectorum, de quibus

Dico *imò*. Animas purè vegetativas, ut sunt plantarum, arborum, &c. esse integraliter divisibiles. Ratio desumitur ab experientia; videmus enim ramum ab arbore avulsam, alterique insitum virere, florescere, crescere &c. sed hi actus vitales non procedunt ab anima arboris, à qua fuit avulsus ramus iste, cum in distans vivificare non possit: non etiam ab anima arboris, cui hic ramus est insertus; aliàs non esset ratio, cur ab hac ramus prius arefactus huic insitus non vivificaretur. ergo dicendum est per animam, quæ avulsa est cum ramo ab arbore priori.

Dico *addò*. Animas Brutorum imperfectorum pariter



riter esse divisibiles. Prob. Serpens in duas partes divisus exercet operationes vitales, & quidem tales, quæ solis spiritibus vitalibus adscribi non possunt; teste enim *D. August. Lib. de quant. Animæ Cap. 31.* sic partes divisæ etiam sensum ediderunt; pars enim talis stylo ferreo tacta, contorsit se ad doloris locum.

Dico 3tio. Etiam brutorum perfectorum animas esse divisibiles integraliter. Ita contra *Thomistas & Maurum hic quest. 27. Rhodes Lib. 2. Disp. 15. quest. 2. sect. 1. Oviedo Controv. 1. de Anima punct. 6. Prob. 1mo*, Quia non est necessitas dicendi, has animas esse indivisibiles, cum æquè sint formæ materiales, ac animæ brutorum imperfectorum. *Confir.* Si forma materialis, qualis est anima brutorum perfectorum, educta ex materia integraliter divisibili, esset indivisibilis, illa, in quacunque parte subjecti existeret, in eadem parte subjecti causaretur ab omnibus partibus materiæ in genere causæ materialis; hoc naturaliter est impossibile, go. Major est certa, effectus enim indivisibilis ubicunque existit, debet causari à causa sua adæquata, & unice sufficienti ad causandum illum; m. verò prob. Impossibile est, ut à materia pedis anima Leonis v. g. causetur existens in capite, nisi materia pedis causalitatem suam exerceat in animam existentem in capite Leonis; sed illam ibidem existentem non exercet; anima enim Leonis ut in capite existens habet unionem solummodo cum materia capitis, & non cum materia pedis; unio autem causalitatem materiæ respectu formæ, actionem videlicet eductivam, naturaliter necessariò consequitur; ergo cum ibi non sit unio, nec erit causalitas materiæ pedis. *Confir. add.* Animæ brutorum perfectorum, si forent indivisibiles, existerent totæ in tota

materia, & totæ in qualibet parte materiæ, adeoque definitivè, quod naturaliter repugnat enti materiali.

Dices contrà *imò*. Si anima canis existens in cerebro esset divisibilis integraliter, dum canis elicit cognitionem materialem, & appetit panem, vel omnes illæ partes integrales cognoscerent, & appeterent hunc panem, vel tantùm aliqua ex illis? Si tantùm una appetit, ergo anima appetitiva saltem erit indivisibilis in brutis. Si omnes, ergo cùm partes illæ animæ sint in diversis partibus cerebri, erunt plura cognoscentia; plura autem cognoscentia nequeunt constituere unum cognoscens, maximè dum inter se non sunt penetrata, prout hic accideret. Deinde vel cognoscerent illum panem omnes illæ partes per unam cognitionem, vel per diversas? hoc 2dum non, aliàs non erit unum cognoscens. Primum etiam non, aliàs hæc cognitio erit tota in omnibus, & tota in qualibet parte animæ. *¶* In casu allato omnes partes cognoscere, & appeterere panem. Ad Prob. D. Assump. erunt plura cognoscentia integralia, & ordinata ad constituendum *supposititaliter* unum cognoscens adæquatum, C. plura totalia, & non sic ordinata, N. & sub hac distincti. cætera C. & N. Eandem applica & cognitionibus, quæ hoc modo plures possunt constituere unum cognoscens.

Dices 2dò. Animæ brutorum perfectorum non sic informant suum subjectum, sicut imperfectorum; quo enim tempore abscinditur pars subjecti bruti perfectioris, illico exanimatur, ut si abscindas v. g. pedem equo, quod non contingit in brutis imperfectis; ergo et si horum animæ sint divisibiles, non tamen erunt etiam illorum. Imò à paritate rationis, quam habent cum anima hominis, probantur esse indivisibiles. Sicut enim pes abscissus Petro, non vivificatur ab anima ejusdem, ita nec pes abscissus Bucepha-

lo ab anima Bucephali, & N. A. Et Dico, quòd prorsus eodem modo pars bruti imperfectioris avulsa, & non retinens unionem cum partibus principalioribus, in quibus est sedes vitæ, illico exanimentur, ac pars avulsa à bruto perfectò. Sedes vitæ verò in Insectis communiter asseritur esse spina dorsi. Unde si serpentem per longum divides, nulla pars ejus vivet. Neque putes, responsonem non posse applicari pedi aranei, qui etiam à principalioribus partibus avulsus, videlicet à spina dorsi, vivit tamen. & enim, pedem avulsum aranei non vivere, quia punctus dolorem non sentit. Unde ajo motus, quos edit, adscribendos esse spiritibus vitalibus, qui evolare cupientes ex tali pede, quærendo locum abitûs movent pedem. Ad ultimum Dico, inter informationem animæ brutalis, & animæ rationalis non esse paritatem rationis omnimodam. Disconveniunt enim in hoc, quòd anima rationalis sit tota in toto subjecto, & tota in qualibet parte illius subjecti. Item quòd etiam separata à subjecto exercere possit operationes sibi proprias, videlicet intellectiones, & volitiones; Anima autem bruti hæc non habet; ergo nec probatur esse indivisibilis ex eo, quòd talis sit anima rationalis.

Pro reliquis *Nota* imò. Quòd omnes partes bruti moveantur & contrahantur, dum una pungitur, non habetur ex eo, quòd anima bruti sit indivisibilis, sed ex eo, quòd in animalibus omnes partes dicant connexionem quandam, & consensum cum partibus principalioribus. Hinc fit, quòd pars quæcunque læsa vel puncta, statim transmittat speciem sui ad phantasiam, seu sensum communem, hic à specie tali excitatus, & dolorem apprehendens, excitat appetitum. Hic volens dolorem talem depellere, causat motum

in partibus cæteris, ut juvare properent partem male affectam, ne illâ sublatâ, vel gravius læsâ, immineret malum partibus principalioribus, & dissolutio animalis. 2dò. Anima bruti intense operans in uno membro, ideo in alijs vel nihil, vel non tam intense operari potest, quia spiritus vitales ad operandum necessarij confluunt ad illam partem, in qua est operatio intensior, ex quorum defectu in alio membro operationes vel nullæ, vel exiguæ fieri possunt, pro quantitate spirituum vitalium in eodem remanentium. 3tò. *Arist. lib. de Juvent. & Senect.* dixit animam brutorum perfectorum esse unam unitate connexionis, seu coordinationis partium, in ordine ad constituendum unum suppositum. Unde equum nunquam divides in duos equos, prout serpentem in duo Entia serpentina. 4tò. Ex eo, quòd brutorum animæ sint divisibiles, bene sequitur bruta fieri fortiora, quamdiu crescunt ad debitam proportionem, & mensuram, quam dum excedunt, debilia redduntur, quia nimia ab invicem organorum distantia impedit horum communicationem secum invicem.

SECTIO VII.

Partes, in quas anima Brutorum sunt divisibiles, an sint homogenea, vel heterogenea?

Dico cum communi contra *Urtaalum*, probabilius esse homogeneas. Ratio est, quòd non sit ulla necessitas Heterogænarum partium, quòd prob. diversitas enim operationum in diversis partibus animalium fieri solita, salvari potest tota, per diversas or-
ga-

Sanorum dispositiones, diversumque temperamentum in illis partibus, quemadmodum salvatur in homine. Unde sequitur, quamlibet partem animæ brutalis esse indifferentem, ut ponatur in capite, vel pede, &c. & quamlibet esse secundum se elicitivam cujuscunque actionis, talis animalis propriæ. Neque dicas contra 2^{am}. Afferendo quamlibet partem animæ brutalis esse secundum se elicitivam cujuscunque actionis, est multiplicare in illis virtutem positivam sine necessitate, eum talis virtus in illa parte animæ posita nunquam redigi posset in actum. 2^{ad}. Pars animæ Leoninæ, quæ est in oculo, habet intrinsecum essentielle prædicatum aliquod, quod illa pars animæ, quæ est in pede, non habet; ergo sunt heterogeneæ. A. prob. Quia in illa parte animæ, quæ est in oculo, est exigentia determinatorum organorum pro oculo, & non est exigentia organorum pro pede; dispositiones enim illæ, quæ sunt in oculo, exiguntur determinatè ab oculo; sed non ab oculi materia, utpote indifferente, ut sit vel in oculo, vel pede; ergo ab anima. 3^{id}. Stante nostrâ sententiâ sequitur, equum magnum in mole etiam abscisso pede fore tam integrum, quàm integer sit equus parvus etiam pede non abscisso, siquidem in illo adhuc essent tot, & fortè etiam plures partes animæ, quàm in minori, ergo &c. Ad 1^{um}, N. A. solùm enim per accidens talis virtus non posset redigi in actum 2^{dum}, ob defectum videlicet debitorum organorum, & dispositionum ad similes operationes; non autem per se, & ex natura rei. Sicut nec anima in Mare omnes illas operationes exercet, quas in fæmella, ex quo tamen non sequitur, eas esse specie distinctas, quia videlicet solùm per accidens hoc accidit. Ad 2^{dum} N. A. ad hujus probat. D. Assump. In illa parte animæ, quæ est in

oculo, est exigentia determinatorum organorum pro oculo, sumptâ illâ parte se solâ divisim ab alijs, N. sumptâ illâ parte conjunctim cum alijs partibus animæ, subd. est exigentia determinatorum organorum indeterminatè, & indifferenter vel pro se, vel pro alia aliqua parte animæ Leoninæ, C. Assump. pro se determinatè, N. Assum. & sub hac distinct. reliqua. Taliter enim etiam in ea parte animæ, quæ est in pede, est organorum illorum exigentia. *Ad 3tium* Dico, Equum illum magnum abscisso pede fore æquè integrum, ac parvum, integritate physicâ quoad partes essentielles compositi physici consideratum, non autem integritate physicâ accidentali, consideratum in ordine ad exercendas ritè, & debitè operationes progressivas Equi.

DISPUTATIO II.

De anima vegetativa, & sensitiva.

SECTIO I.

De Nutritione, & Augmentatione.

Nutritio definitur: Quòd sit actus vitalis, quò per conversionem introsumpti alimenti in substantiam aliti, partes deperditæ reparantur. Augmentatio verò, quòd sit motus animæ à minori substantia integrali ad majorem substantiam integram. Utrámque esse motum successivum, communiter docetur. In dubium tamen nonnulli revocant, an vivens aliquod per nutritionem, & augmentationem possit crescere in immensum? vel verò habeant certum ali-

aliquem terminum magnitudinis, ultra quem augeri non possint?

Dico *imò*. Non viventia terminum intrinsecum magnitudinis, vel parvitatatis ex natura sua non habent: ideòque, quantum est ex parte naturæ illorum, possent augeri, & minui in infinitum syncategorematicè; per accidens tamen habere possunt tam magnitudinis, quàm parvitatatis terminum. Ratio primæ partis est ex *Arist. lib. 2. de Anima t. 41.* asserente: *Ignis augmentum in infinitum ambit.* 2dò. Augmentatio non viventium non requirit communicationem alimenti per actus nutritivos, siquidem plus non petit, quàm ut pars de novo producta uniatu continuativè alteri, vel sola unio producatu; sic autem si crescat augmentum in infinitum, nullum sequitur inconveniens, ergo. De Terminò parvitatatis etiam ratio est: Quia ignis in quocùnque indivisibili minori & minori potest habere suas operationes, & manere ignis, sicut & aqua pari modo.

Secundæ Partis Ratio est: Quia si ignis vel aqua ita augerentur, ut non esset ampliùs locus alius residuus, quem occupare possent, vel non esset materia quam ignis ignefacere, & absumere posset, non posset naturaliter ampliùs crescere; hoc autem est per accidens habere terminum magnitudinis: pariter si ignis sit in minima parte materiæ, ab agentibus contrarijs statim extinguitur, quod rursus est habere per accidens terminum parvitatatis, ergo.

Dico 2dò. Viventia ex natura rei habent certum terminum magnitudinis, & parvitatatis. Est *Arist. 2. Polit. cap. 4.* Item *lib. 4. de gener. animalium.* Ratio primi est. Quia in vivente magnitudinis, & molis excessivæ non posset exerceri nutritio, summè necessaria ad continuandam vitam, ut patebit con-

sideranti, si quis concipiat hominem, cujus caput attingat solem, &c. Ratio 2di est: Quia viventia nutritionem, summè necessariam ad continuandam vitam, exercent per introsuptionem alimenti, adeoque organa semper debent esse majoris molis, quàm alimentum, quod introsumitur; ergo hæc organa in quacunque parva mole constitui non possunt, adeoque nec vivens. Deinde organa viventis nequeunt esse in eadem parte materiæ, sed in diversis organisabilibus debite, ergo.

Contra 2dam. Concl. Dices imò. Crescente mole substantiæ, crescerent semper cum illa spiritus vitales, qui potentias redderent celeriores; ergo cujuscunque molis vivens exercere posset facili modo nutritionem 2to. Quâcunque parvâ materiâ datâ, quam vocamus *minimum quod sic*, adhuc forma illius viventis potest poni in minori, nam dum forma inducitur in hoc *minimum quod sic*, utique inducitur successive; ergo prius in illius v. g. medietatem, quàm totam molem; rursus prius in medietatis illius medietatem, & sic discurrendo ostenditur, viventia nullum habere certum terminum parvitatæ ex natura rei. 3to. Dum vivens attingit suum terminum magnitudinis, nutritur adhuc; ergo adhuc potest crescere. R. Ad 1mum, N. A. Experientia contrarium nos docet, dum videmus animalia, quò in mole majora sunt, eò pigriora. Ad 2dum, N. A. ad probat. N. C. Si enim medietas illa tam exigua est, ut non possit constituere *minimum quod sic*, in eam non inducetur prius forma, quàm aliâ constitutivam *minimi quod sic*. Ad 3tium, D. A. nutritur adhuc nutritione reparante partes deperditas, C. A. nutritione convertente substantiam alimenti in alicum, augmentando, seu promovendo subjectum à substantia minori integrali ad majorem, N. A. & C.

S E C T I O II.

De potentijs anima sensitiva, & modo percipiendi objecta sua.

Virtutes, seu potentiaë, per quas anima sensitiva operationes suas exercere solet, sunt sensus: interni, & externi. Externi sunt 5. *Visus*, Cujus objectum proprium est *color*, & *lux*. *Gustus*, cujus objectum proprium est *sapor*, *Tactus*, cujus objectum proprium est *durities*, & *mollities*. *Auditus*, cujus objectum proprium est *sonus*. *Odoratus*, cujus objectum proprium est *Odor*. Propriã hæc objecta singula singulorum sensuum vocantur ex eo, quod alter alterius percipere non possit. An verò impotentia hæc sit solum naturalis, an absoluta? sunt, qui dubitent. Ego judico esse absolutam. Ratio est. Quia nec divinitus potest elevari ulla potentia vitalis ad percipiendum objectum vitaliter, quod est extra adæquatam sphæram talis potentiaë; aliàs non esset ratio solida, cur bruta nequirent elevari ad cognitionem & amorem honesti, & inhonesti, adeoque cur non redderentur capacia meriti vel demeriti, & consequenter beatitudinis supernaturalis. Sed quidquid non est coloratum, est extra sphæram adæquatam visus, & sic de alijs; ergo. prob. m. Illud solum est intra sphæram adæquatam alicujus potentiaë, quod in se continet rationem formalem motivam, & specificativam, seu diversificativam talis potentiaë ab alijs potentijs; sed nec sonus, nec odor &c. continet rationem formalem motivam specificativam, & diversificativam po-

tentiæ visivæ ab alijs potentijs. Siquidem talis ratio est lux, & color, quod nec in sono, nec in odore reperitur.

Altera solet hîc agitari Quæstio: cùm objectum visûs dixerimus esse colorem, & lucem, an color sit quid distinctum à lumine? R: Colores reales, & permanentes sunt qualitas distincta à lumine. Prob. Nonnulla corpora ita sunt tenacia coloris sui, ut quancunque induant figuram, & quomodocunque obvertantur soli, adeoque etsi diversam lucis incidentiam fortiantur, semper tamen eundem colorem servant: sic duo marmora, unum album, alterum nigrum, seu in pyramidem figurentur, seu quadrentur, &c. semper eundem servant colorem, ergo. Idem est de pilis hominum, & animalium, qui in eâdem incidentiâ ejusdem solis aliqui sunt nigri, aliqui cani. Deinde in corporibus opacis sunt colores, hi autem oriri nequeunt ex refractione lucis, siquidem ad refractionem requiritur corpus diaphanum, ergo.

Neque dicas, aliquos colores non esse distinctos à luce, certo modo incidente in corpora; ergo nulli sunt distincti. R. enim, C. A. N. C. Ratio est, quòd aliqui non maneant semper ijdem, sed mutantur ad diversam incidentiam, & situm corporis. Alij autem manent semper ijdem. Hoc denique hîc observandum est, Quòd coloris non sit de natura, reddere medium perspicuum; adeoque etsi in tenebris non videantur, non infertur, eosdem ibi non esse. his ita positis, ad præfixam in titulo quæstionem

Dico 1mò. Visus objecta sua percipit dependenter à specie impressa. Prob. 1mò. Juxta *Philos. lib. 2. de An. t. 121.* Potentia sensitiva percipiens objectum suum, semper patitur ab eodem; sed in multis casibus potentia visiva sinè specie impressa pati non posset, go m. prob, sæpe objectum, quod per potenti-

tentiam visivam percipitur, est nimum distans à potentia visiva; ergo cum naturaliter non detur actio in distans, à tali objecto potentia visiva non patietur quidquam, nisi objectum illud producat aliquid in medio, vel per medium diffundat qualitatem sui manifestativam, per quam objectum jungatur ipsi potentiae; hæc autem est species impressa, ergo.

Prob. 2da. Potentia sensitiva sine objecto, vel specie impressa objecti, se solâ non est potens elicere perceptionem objecti; ergo debet per alterutrum ex his determinari, & compleri; sed frequenter per objectum, dum videlicet hoc distans est, compleri non potest; ergo per ejusdem speciem impressam. A. primum prob. Perceptio objecti, seu species expressa, duplicem habet perfectionem: primam, quod sit *actus vitalis*, 2dam, quod hujus objecti, quod percipit, sit *Imago*; sed hanc 2dam formalitatem, seu perfectionem, sola potentia sensitiva non continet; ergo potentia sensitiva se solâ non est potens elicere perceptionem objecti, cum causa adæquata omnem perfectionem effectus sui debet in se præcontinere. m. pr. Imago objecti est objecti similitudo, potentia autem sensitiva se solâ non est similitudo objecti; aliâs non esset ratio, cur potentia v. g. Visiva etiam interposito corpore opaco inter potentiam, & objectum, non eliceret hujus perceptionem. ergo.

Prob. 3tia ab Experiencijs. Sic objectum etiam retro nos positum videmus in speculo; hæc autem visio non fit aliter, quàm per species objecti à speculo reflexas, & oculo impressas. Idem est de objectis, quæ conspiciuntur per intromissionem specierum (hodie jam artem vulgarem) Idem de baculo aquæ immerso, qui nobis videtur fractus.

Dico 2da. Etiam Potentia auditiva percipit objecta

jecta sua dependenter à specie impressa. Ratio est. Quia sua dependenter à specie impressa. Ratio est. sed sæpius ad magnam distantiam auditur sonus; quænequit in tali casu soni hujus fieri perceptio, ad ergo ad illam concurreret cum potentia auditiva ipsa species impressa soni, m. prob. Si in tali casu ipse sonus concurreret cum potentia auditiva ad perceptionem sui, vel concurreret eatenus, quatenus ipse manens in eodem loco, in quo productus est primò, produceret alterum sonum in aère sibi vicino, hic adus 3tium &c. Vel quatenus ipsemet sonus primò productus moveretur localiter, & procederet usque ad potentiam auditivam? neutrum dici potest, ergo prob. m. quæ quoad adam partem videtur certa, quis enim sibi persvadeat, quòd sonus ille, qui recipitur in illo modico aère, qui est in ore Concionatoris, dum hic ad Concionem loquitur, statim in momento ita rarefiat, ut impleat totum Templum, & ad singulorum Auditorum aures deferatur, quod tamen fieri deberet; sonus enim cum sit accidens, subiectum naturaliter mutare non potest, adeoque manens in eodem modico aère, in quo primo productus fuit, deberet sic rarefieri, & toties ipse sonus replicari per tot Auditorum aures. Prob. igitur minor illa quoad primam partem: Sonus nequit produci, nisi in corpore sonoro: sic sonus campanæ nequit fieri nisi in campana, sonus tubæ non nisi in tuba, fidium in fidibus &c. ergo productus sonus in campana, vel fidibus, alterum sibi similem in aère producere non potest. Deinde si perceptio soni fieret, quatenus primò productus sonus produceret adum &c. nunquam naturaliter eundem numero sonum audirent plures homines, aliàs ille deberet replicari, quod est contra communem sensum, cum non solum sentiamus, nos eun-

eundem cum alijs audire sonum, sed etiam probabiliter colligimus distantiam, & locum producti soni.

Dico 3^{to}. Probabilius est, quod reliquæ tres potentia sensitivæ percipiant objecta sua independenter à specie impressa. Prob. Hi tres sensus naturaliter non percipiunt objectum suum, nisi immediatè præsens realiter in se ipso, ut patebit ex object. solut. ergo cum species impressa solum sit vicaria objecti, hic quandoquidem objectum immediatè præsens est, non erit necessitas illius.

S E C T I O III.

Solvuntur Objectiones.

Dices 1^{mo}. Si aliqua potentia sensitiva dependenter à specie impressa perciperet objectum suum, deberet etiam ipsam speciem percipere semper, cum sit imago objecti. & Hoc ipsimet Adversarij docent esse falsum, dum docent, posse cognosci objectum absque eo, quin cognoscatur ipsa cognitio, quæ est species expressa, adeoque formalis imago objecti. Unde illa solum objecti imago debet percipi, dum percipitur objectum, quæ est signum instrumentale objecti non verò illa, quæ est signum effectivum signi formalis, qualis est species impressa effectiva signi formalis, speciei videlicet expressæ.

Dices 2^{do}. Species impressæ non sunt ejusdem rationis cum objecto, ergo non possunt esse ejusdem imago; aliàs etiam nigredinem dicemus esse imaginem albedinis. & D. A. Non sunt ejusdem rationis in essendo, C. A. in repræsentando N. A. & C.

Dices: non est assignabilis causa specierum impressarum.

rum. R. N. Assump. Dico enim, Causam productivam specierum visibilium esse ipsum objectum visibile, quandoquidem ablato objecto visibili, auferuntur & species visibiles. Auditivarum pariter ajo esse ipsum sonum, ita tamen, ut etiam cessante sono possit una species producere alteram semper remissiore, & remissiore: qualiter fieri judico, dum fit multiplex reflexio in Echo; antequam enim omnes reflexiones fiant, sonus magna ex parte perijt; adeoque cum adhuc percipiamus sonum illum post multiplicatas reflexiones, dicere debemus, quod species à sono productæ, impactæ in corpore concavo, ibidem intenduntur, & novas species vicarias sui, & soni producant. Causam corruptivam specierum impressarum judico esse variam: *1am* quidem, desinentiam causæ primæ earundem productivæ. *2dam* Alterationem notabilem, vel corruptionem organi, in quo receptæ erant. *3tiam* Si potentia sensitiva cesset agere.

Dices *3tio*. Objectum in certa distantia locatum, absquæ specie impressa est præsens potentia sensitivæ, ergo harum non est necessitas. R. D. A. est præsens præsentia requisitâ ad operandum, N. A. præsentia aliquâ, non sufficiente ad operandum, C. A. & N. C. Non enim quævis præsentia objecti reddit potentiam sensitivam aptam ad operandam; aliàs palpebræ oculo imediate præsentem, ab hoc videntur. Adeoque ad præsentiam objecti requisitam ad operandum erunt necessariæ species impressæ.

Dices *4to*. Saltem respectu potentia auditivæ posse objectum fieri præsens præsentia requisitâ ad audiendum, & quidem absque specie impressa. R. In aliquo casu raro, quando videlicet imediate sonus produceretur in timpano auris, C. Universaliter, dum etiam distans sonus percipitur, N. Neque dicas *imò*.

Si

Si in talibus circumstantijs perceptio soni fieret dependenter à speciebus impressis, sonus ad aures propagaretur instantaneè: sicut color, qui ideo instantaneè diffunditur, quia per species propagatur. 2dò. Si una species soni esset productiva alterius, tunc in quacunque distantia objectum esset positum, posset percipi à potentia auditiva, siquidem semper una alteram producere posset. 3tò. Idem sonus ab eodem homine bis audiretur in eodem loco. Sit namque Petrus distans à corpore sonoro centum passibus, Joannes verò sit in passu quinquagesimo: sine dubio Joannes sonum illum priùs audiet, quàm Petrus; sed quando sonum hunc audiet Petrus, iterum illum audiet Joannes, ergo bis. R. *Ad imum.* N. A. ad ejus prob. D. A. Ideo color instantaneè diffunditur, quia propagatur per species tales, quæ ad sui propagationem non indigent motu locali, & tremore corporis, C. A. Secus, N. A. Species autem soni sunt tales, quæ ad propagationem sui indigent motu locali, & tremore, seu crispatione aëris, per quem feruntur. cujus ratio est, quòd species imitentur naturam sui objecti. Sicut ergo sonus realis dependet ab aliquo impetu, motu, collisioneque corporum, ita proportionaliter ejusdem species. Unde contingit, si ventus v. g. ab Oriente sit tam vehemens, ut omnino impediat crispationem, & tremorem illum aëris versùs Orientem, non audiri sonum, quia in tali casu versùs Orientem specierum propagatio impeditur. *Ad 2dum* N. Assump. species enim una semper remissiozem producit, adeoque devenietur sensim ad aliquam, quæ adeo remissa sit, ut se solâ aliam producere non possit: quemadmodum aliquod objectum minimæ molis insensibile, v. g. Punctum indivisibile, producit quidem speciem sui, sed tam exiguan,

quam, ut hæc se solâ sufficiens non sit cum oculo causare visionem objecti sui; sicut ergo crispatio aeris semper fit remissior, & tandem adeo debilis, ut in aëre vicino ob resistantiam majorem nullum possit producere motum: ita nec species soni ultrò propagari. *Ad 3tium R.* Dum sonus in hoc casu auditur à Petro in passu centesimo, jam à Joanne non audiri eundem in passu quinquagesimo, quia jam tunc species in loco Joannis non existit, vel si adhuc audit Joannes, non audiet bis, sed continuo aliquo tempore, donec videlicet durat species soni in loco passus quinquagesimi producta.

Pro solutione eorum, quæ contra 3tiam Conclusionem objici possunt, *Nota imò.* Dum Canis venaticus percipit odorem absentis Leporis, perceptio hæc non fit per species impressas, sed quia in herba, vel terra percipit aliqua corpuscula odorifera à lepore producta, quibus perceptis curritat hinc inde naribus terræ applicatis, & ubi intensiorem odorem similitum corpusculorum percipit, ibidem solertiùs disquirat leporem. Unde sequitur, quòd ex prima perceptione talium corpusculorum non fuerit certificatus, ex quam parte odor ille veniat. Cur autem dicam, eum odorem leporis percipere ex perceptione corpusculorum potiùs, quam per species, Ratio est. Quia species impressæ sublatò objectò suò à quo producuntur, vel immediatè, vel saltem non diu post pereunt. Canis verò etiam post longius tempus odorem hunc deprehendit, prout & homo deprehendit in cubiculo odorem post notabile etiam tempus ablato corpore olente. *add.* Vultures, cum à natura habeant perfectissimam potentiam odorativam, possunt quidem percipere, ex qua parte veniat odor: cadaveris, sed non per species, verùm per perceptionem corpusculorum

ex cadavere emissorum, & per aëra sparsorum. 3^{to}.
Lapis super vestem positus non sentitur, sed impetus
productus à lapide, etiam mediante veste. 4^{to}. Re-
spectu sensuum trium, *Gustus, Tactus, & Odoratus*,
Objectum immediatè præsens physicè, sufficiens est con-
currere ad sui perceptionem, sicut insufficientis juxta Ad-
versarios est sic positum ad producendum, & effici-
endum esse intentionaliter sui per speciem impressam.

Quæres pro Coronide 1^{mo}. An etiam sensus in-
terni percipiant objecta sua dependenter à specie im-
pressa? R. Affirmativè. Quia non minùs sunt indif-
ferentes ad percipiendum hoc, vel illud Objectum,
quàm sensus externi; ergo sicut hi determinantur per
species impressas, ita determinabuntur & illi. Sed
non per species impressas sensuum externorum, quia
frequenter in sensu interno datur cognitio alicujus
objecti, cujus species impressa in sensu externo non
existit, ut fit in somno; ergo per proprias, causa-
tas ab ipsis sensationibus sensuum externorum.

Nequè ex hoc inferre licebit, sensum internum
fore semper in actuali exercitio. Etsi enim sensus
internus sit potentia necessaria, & per speciem suam
compleatur ad perceptionem objecti; quia tamen ca-
ret quandoquè excitatione, sinè qua species ipsa in
sensu interno habet se quasi mortuò modò, sensus
internus quandoquè ab actuali perceptione objecti sui
cessabit.

Quæres 2^{do}. An saltem divinitus elevari possint
sensus externi ad percipiendum vitaliter objectum,
quod physicè existens non est? R. Negativè. Prob.
Omnis perceptio vitalis procedens à sensu externo,
dicit relationem transcendentalem ad objectum suum;
ergo cessante objecto physicè existere, consequenter
cessabit & perceptio vitalis ejusdem. Sicut quia co-

gnitio dicit nexum transcendentalem ad objectum repræsentatum, cessante objecto in ratione repræsentati, cessat necessariò cognitio. Primum antecedit: est etiam verum, quia est actus ad objectum. ergo.

Nequè dicas ex *Dequiros*: Visionem ab objecto immediatè non pendere, sed solum à specie impressa, quam, utpote qualitatem absolutam, & conservare, & producere DEUS potest independentè ab objecto. adeoque etiam visionem absquè objecto existente physice. R. Visionem non pendere quidem immediatè ab objecto, tamquam principio sui Effectivo, pendere tamen ab objecto tamquam termino attacto, & percepto vitaliter. consequenter adhuc pereunte illo tamquam termino relationis transcendentalis, perituram & visionem.

Dices cum *Buridano*, etiam naturaliter fieri posse, ut percipiat sensus externus objectum suum physice non existens: ut fit, dum aliquis fixis oculis intuetur Solem, vel aliud corpus luminosum, præcipuè variegatum, etiam clausis oculis illud postea per aliquod tempus visivè percipit. ergo. 2dò. Videmus sæpè Solem super Horisontem, etsi Sol super Horisontem non sit; ergo etiam videri potest, dum non est. R. *Ad 1mum*. Objectum illud lucidum priùs conspectum, postea clausis oculis non percipi amplius à sensu externo, sed à sola phantasia per actum reminiscentiæ. *Ad 2dum* Dico: dum Sol super Horisontem non est, eum noster oculus nunquam videt super Horisontem, sed ex visis speciebus refractis, phantasia determinatur ad repræsentandum solem ibi, ubi non est. Sic accidit myopibus, dum objectum distans, v. g. Truncum, imaginantur se videre hominem.

DISPUTATIO III.

De Anima Rationali.

SECTIO I.

Utrum Anima Rationalis sit Immaterialis?

Animam Rationalem esse verè Actum primum informantem, & non solum assistentem corporis humani, Disp. primâ ostensum est. Jam definiendum: an illa in Entitate sua sit immaterialis? Ad quam quæstionem faciliùs decidendam, præmitto conceptum formalem immaterialitatis, &

Dico: Ens immateriale est illud, quod ab agentibus naturalibus separari potest tam à subjecto quanto, quàm sensibili, & sic separatum naturaliter existere.

Ratio: Quia hic conceptus convenit omnibus Entibus immaterialibus, & illis solis. Defactò enim ab

omnibus admittuntur hæc Entia esse Immaterialia: **DEUS**, *Angeli*, *Gratia habitualis*, *Character*, *Virtutes intellectuales*, *Species intelligibiles*, *Actus Intellectus*,

& *voluntatis*. &c. His autem omnibus convenit assignata definitio, ergo. Quòd etiam solis illis conveniat, patebit ex solut. object. quare

Obji. imò. Actus, quo anima Christi se affirmat inseparabilem à subjecto quanto, vel sensibili, est spiritalis, & tamen hic nequit separari à subjecto quanto, aliàs etiam illius subjectum deberet posse separari, nempe anima Christi; adeoque evaderet falsus, quod actui Christi repugnat. ad. Actus volitionis

& intellectio- nis connectuntur necessariò cum phantasmatis sensibilibus, à quibus producuntur, & tamen sunt spirituales. ergo. 3^{to}. Si gratia spiritualis educeretur ex lapide, hæceductio esset spiritualis, cum terminus per illam productus foret spiritualis, & tameneductio illanon esset separabilis à subjecto quanto, nempe lapide, go. 4^{to}. Potest unio educi ex sola anima rationali, adeóq; sustentativè recipi in sola anima, terminativè verò in corpore; hæc unio esset inseparabilis à corpore, utpote suo modificato partiali, & tamen esset spiritualis, ergo. 5^{to}. Potest DEUS creare accidens aliquod, v. g. Calorem. actio creativa hujus esset materialis, & tamen esset separabilis à subjecto quanto, cum creationis à materia prima dependere non sit. ergo. R. *Ad 1^{um}*. D. 2^{am} partem: Et tamen hic nequit separari à subjecto quanto, tamquam objecto à se repræsentato, adeóque termino, ad quem actus ille dicit relationem transcendentalem, tamquam actus ad objectum, C. tamquam ab aliquo influente in se causaliter, vel subjectante, adeóque secum connecto physicè, & non solum repræsentativè, N. A. & C. *Ad 2^{um}* N. A. Actus enim volitionis, & intellectio- nis, etiam in statu animæ unitæ corpori, non producuntur à phantasmatis, sed à speciebus intelligibilibus, ut videbimus inferiùs; quæ species etsi partialiter producantur à phantasmatis, possunt tamen existere, & separari naturaliter à subjecto quanto, vel sensibili; existunt enim juxta S. Thom. etiam in anima à corpore separata. Vide 1. part. *quest.* 89. *Art.* 6. *Ad 3^{ium}*. Si possibilis foret taliseductio, N. futuram spiritua- lem; sicut nec actio productiva debet esse substantia. Nec obstat, per actionem naturalem non posse poni terminum supernaturalem, hujus enim ratio est, quòd quoties actio productiva

non est super vires naturæ, toties nec effectus, quem secum essentialiter trahit, erit super vires naturæ; qui enim habet virtutem ponendi antecedens, causativum consequentis, habet etiam ponendi consequens, essentialiter connexum cum tali antecedente; adeoque hoc ipso terminus ille foret, & non foret supernaturalis. Hæc non sequuntur ex actione materiali, quæ pro termino suo haberet aliquid spirituale, modo aliunde talis actio non implicet. *Ad 4tum* Dico, unionem talem, si modalis est, fore materialem. Quod idem sentiendum est de ubicatione definitiva Angeli, duratione, &c. Vel si cum Hurtado voles illam esse spiritualement, dicam eam cum corpore connecti, non tamquam modificato, sed termino connexionis essentialis, quod spiritualitati non officit: sicut nec officit similis connexio substantiæ cum accidente, puta duratione aliqua, vel ubicatione. *Ad 5tum* dico, actionem illam non fore naturaliter separabilem à sensibili, nempe calore, qui quia sine subjecto quanto connaturaliter existere non potest, consequenter & illa non valebit. his positis

Infero, Animam Rationalem esse immaterialem, seu spiritualement. Quia eidem convenit definitio Entis immaterialis. Ens autem immateriale per excessum tale, seu superans in perfectione Ens materiale, quod videlicet est intellectivum, quale est anima rationalis, implicat non esse spirituale, ut bene *Dequiros Diss. 79. de Anima sect. 2. ergo.*

Conf. *Ad Rom. 8. habetur: Ipse spiritus testimonium dat spiritui nostro, quod simus filij DEI.* Item *Eccl. cap. ult. Revertatur pulvis in terram suam, & spiritus redeat ad DEUM, qui dedit eum.* Conf. *add.*

Quia anima rationalis est Principium adæquatum ope-

rationum spiritualium, nempe volitionis, & intellectionis. ergo. Stante jam hâc,

Quæres: an legitimè inferatur animam rationalem esse indivisibilem ideo, quia est spiritualis? *R.* Ex præcisa ratione spiritualitatis non inferri, quia certum est gratiam habitualement esse Ens spirituale, & tamen hæc tam intensivè, quàm extensivè divisibilis est. Indivisibilitas igitur animæ rationalis deducitur ex his: *1^o*. Quia est rationalis. *2^{do}*. Quia si foret integraliter divisibilis, posset una pars animæ liberè elicere odium DEI, altera interim amare DEUM; adeoque una pars esse in gratia, altera in peccato, & consequenter idem homo amicus, & inimicus DEI. *3^{to}*. Quia pars animæ rationalis post abscissionem Brachij, vel periret, vel non? *1^{um}* non, aliàs non esset anima rationalis immortalis. *2^{um}* non etiam, quia vel maneret separata, & hoc non, quia idem homo posset partialiter esse beatus, & damnatus, si videlicet Petro in statu peccati abscinderetur pes, & in statu gratiæ postea moreretur. Vel retraheret se ad residuum corpus, & hoc etiam non, quia duæ formæ substantiales essent naturaliter in eadem numero materia.

SECTIONO II.

De Immortalitate Animæ Rationalis.

Concilium Lateranense sub Leone X. celebratum Sess. 8. sic habet: *Cum diebus nostris ausi sint nonnulli dicere de natura animæ rationalis, quòd mortalis sit, & aliqui temerè philosophantes, ràùm saltem Philosophiam verum esse assererent; sacro approbante Concilio*

lio damnamus, & reprobamus omnes, asserentes animam intellectivam mortalem esse, cum illa non solum verè per se, & essentialiter corporis forma existat, verum immortalis. Unde colligitur, animam rationalem non solummodo ex gratuito DEI beneficio esse immortalem, sed verè ex natura sua, quemadmodum ex natura sua est forma corporis. Quare apud nullum Philosophum Catholicum immortalitas animæ in dubium vocari amplius potest, sed disquiritur solum, quomodo immortalitas ejus intellectui non rebellet, sed veritati verè assentiri volenti demonstrari possit. Mihi ne hic quidem prolixo esse licet; quare præmissâ autoritate S. Chrysostomi cap. 4. de Provid. DEI sic loquentis: Perinde esse animæ immortalitatem negare, ac si quis contendat in meridie diem non esse. Item: S. August. de Immort. Animæ cap. 4. dicentis: Manifestum est, immortalem esse animum humanum. & Epist. ad Volusianum 3tia: Quis nunc est extremus Idiota, vel quæ muliercula, quæ immortalitatem non credat?

Demonstratur idipsum 1mò. Anima rationalis est principium operationum bonarum & malarum, adeoque meritoriarum & demeritoriarum; ergo ex natura sua est immortalis. Prob. C. Actiones bonæ & malæ ex natura sua sunt connexæ cum æternitate præmij vel pænæ; ergo etiam principium illarum, utpote cui debetur potestas ex natura rei operari operationem connexam naturaliter cum æternitate.

Demonstratur 2dò Argumento S. Clementis Alexandrini, qui lib. 3. Recognitionum asserit, se illud accepisse ex ore S. Petri: Si DEUS justus est, anima rationalis est immortalis. Sed evidens est intellectui bene disposito, DEUM esse justum, aliàs non esset omnis perfectio; ergo etiam intellectui bene disposito,

& veritati assentiri volenti, animam rationalem esse immortalem. M. prob. Si DEUS est justus, non debet Viros probos, & justos permittere esse inferiores improbis, & sceleratis; permetteret autem, si anima non esset immortalis; quia plerumque totâ suâ vitâ homines improbi, & scelerati abundant, & in delicijs natant; homines verò justî & probi, inopiâ, morbis, & ærumnis totâ vitâ conficiuntur; ergo si post mortem nec justî pro meritis suis præmiâ, nec scelerati reciperent pœnas, homines justî & probi essent inferiores improbis & sceleratis.

Neque Dicas *imò*. Virtutem justorum sibi ipsi esse sufficiens præmium, ob consolationem & satisfactionem, quam affert conscientia. Amaritudinem vicissim sufficientem pœnam peccati, quam peccatum relinquit post se in conscientia peccatoris. Contrâ namque est: Amaritudo illa in conscientia peccatoris non crescit ad multitudinem scelerum; experientia enim compertum est, quò quis magis crescit in peccatis, eò magis langvescere in illo remorsum conscientia; crescente autem culpâ, supplicium minui non debet, si DEUS justus est. ergo. Deinde illa conscientia amaritudo est semper ob pœnas, quas impij timent in vita altera, sicut & Consolatio justorum fundatur in spe bonorum æternorum.

Neque Dicas *adò*. DEUS tamquam supremus Dominus potest Jure suo exigere à nobis quævis difficilia opera, & neutra præmiare tenetur; ergo ex eo, quòd justus sit, non infertur legitime animæ immortalitas. Contrâ est. Etsi verum sit, DEUM ut supremum Dominum posse titulo supremi Domini exigere à creaturis quælibet difficillima etiam opera; necessarium tamen est, ut DEUS possit præmiare omnes actiones virtuosas; ergo ut hominem justum

toto vitæ decursu afflictum præmiet, anima debet ex natura sua esse immortalis.

Neque Dicas 3^{to}. In ultimo instanti vitæ posse à DEO tam intensum præmium tribui iusto, quam intensum meritis est toto vitæ decursu. Contrà enim est iterum : DEUS debet posse præmiare etiam talem, quem in ultimo vitæ instanti non præmiasset; ergo ne hæc potentia deficiat in DEO, anima debet esse immortalis.

Neque Dicas 4^{to}. Ex hætenus dictis ad summum inferri, quòd post separationem animæ à corpore, anima mansura sit per mille v. g. annos, in quibus recipiat præmium, vel pænam, non verò in æternum. Contrà est : Si anima separata à corpore ex natura sua exigit durationem sui per aliquot annos, hoc ipso exigit durationem æternam; ergo adhuc erit ex natura sua immortalis. Prob. A. Anima separata à corpore nullum habet contrarium, non est entitas fluens, causa illius conservativa non deficit; ergo cùm quodlibet potiùs petat sui esse, quam non esse, anima, utpote substantia adeo nobilis, nullum habens contrarium, nec ullum defectum ad durandum, ex natura sua petet esse semper, adeoque immortaliter. Contrà est 2^{do}. Felicitas temporalis, utpote bonum caducum, prudenter contemni potest; nullus autem finis à natura inditus creaturæ, ab hac prudenter contemni potest; ergo finis à natura inditus animæ rationali non potest esse felicitas temporalis, atque adeo anima rationalis habens appetitum ad consequendum finem suum, & in eo feliciter quiescendum, habebit ex natura sua appetitum ad felicitatem non temporalem, v. g. mille annorum, sed æternam. Qui plures desiderat demonstrationes, videat *Lessium lib. de Immort.*


Pro solvendis Object. Nota imò. Textum Scripturæ Sap. 2do: *Ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus tamquam non fuerimus*, sic explicandum esse: Quòd ibidem inducatur persona aliquorum impiorum hominum, qui juxta inanitatem, & inconstantiam suorum gaudiorum ex rebus caducis habitorum, loquuntur de se ipsis. Id quod constat ex contextu ejusdem Capituli; habetur enim sic: *Dixerunt impij, cogitantes apud se non rectè.* 2do. Textus Eccles. 3. *Unus interitus est hominum, & jumentorum*, intelligendus est in ratione totius; non autem formæ. Ipsemet enim Eccl. cap. 12. subdit: *Ibit homo in domum eternitatis suæ.* 3to. Textus ille: *Mortui nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem Eccl. 9.* sic explicandus: Mortuos nihil nôsse amplius per organa corporea, dependenter à quibus eliciebant perceptiones objectorum in vita sua. Similiter in statu separationis animam nihil amplius mereri, vel demereri, quia jam tunc non est amplius in via, sed termino. 4to. In Synodo Generali sexta SS. PP. Epistolam Sophronij dicentis, Angelos, & animas racionales non esse immortales per naturam, sed per gratiam; approbârunt hoc sensu: Quòd non habeant immortalitatem per naturam essentialiter, in quo sensu etiam Apostolus locutus est: *Solus DEUS habet immortalitatem.* Non autem quòd ex natura sua non exigant immortalitatem, licet per absolutam DEI potentiam annihilari possint, quemadmodum licet ignis absolutè spoliari possit calore, non sequitur, eum ex natura sua non esse calidum.

Neque Dicas: hoc ipso, quòd DEUS, ut supremus Dominus, absolutè annihilare posset animam racionalem, hæc ex natura sua foret defectibilis, & corruptibilis; quia sicut res, ut sit producibilis, debet

bet juxta nostra Principia *Disp.* 2. *Part.* *Ime.* tradita, in se intrinsecè esse non repugnans, ita ut sit annihilabilis, debet intrinsecè esse talis. & D. Assump. Hæc ex natura sua esset defectibilis respectivè ad absolutam DEI potentiam, C. respiciendo ordinariam potentiam DEI, agentis ut Authoris naturæ, N. sic enim etiam ignis est ab intrinsecò frigefactivus, quatenus potest DEUS absolutè facere, ut is producat frigus; quis tamen propterea negabit ignem ex natura sua esse calefactivum. *stò.* Status animæ rationalis tam separatæ à corpore, quàm unitæ corpori, est connaturalis, & non violentus, si animam rationalem pro diverso tempore consideraveris; si enim eam sumas pro tempore primæ suæ existentiæ, cum connaturaliter nunquam producat, nisi priùs materia sit organizata certis dispositionibus, ad exercendas videlicet saltem aliquas operationes imperfectas, per quas semper perficiat magis & magis organa sua, ad perfectiores eliciendas; pro hoc tempore animæ rationali status conjunctionis cum corpore est connaturalis. Quia tamen anima rationalis pervenire vult ad terminum suum, & non exigit semper manere in via, terminum verò assequi non possit, nisi in statu separationis; animæ rationali acceptæ pro tempore, quo terminum suum possidet, status separationis est connaturalis, & tunc jam non exigit amplius unionem ad corpus. Unde in agone resistentia illa, & fuga separationis à corpore, non oritur ab anima, sed à toto composito, cui per separationem grave impendet malum, nempe interitus in esse compositi.

Dices tamen, à Nobis ex eo, quòd DEUS justus sit, non demonstrari legitimè immortalitatem animæ rationalis. *imò.* Quia DEUS non minùs est providus respectu cæterarum creaturarum, quàm respectu

spectu hominis, & tamen inter animalia bruta frequenter alia ducunt vitam magis prosperam in suam gratiam efficacem, per hoc non fit injustus; ergo seu præmii virtutem seu non, injustus non erit, quia neutrum obligatur facere ex justitia. adeoque absque injuria potest etiam Sanctos addicere pænis inferni. 3^{ti}. Nullus homo est probus, quem DEUS in vita plurimis bonis non cumulavit, & quamvis nullo alio bono cumulasset, sola securitas bonæ conscientiae, quam adipiscuntur justii, est gloria nostra, & jure convivium juxta Apostolum. *R.* Ad 1^{um}, Providentiam illam, quam DEUS habet erga animalia bruta, non esse Patris ad filium, sed supremi Domini ad creaturas servas, quæ cum felicitatis capaces non sint, nulla injuria irrogatur ulli. *Ad 2^{um} R.* Sicut est de perfectione DEI, posse dare gratiam efficacem, ita de ejusdem perfectione erit, posse præmiare virtutem, ut dixi superius. Præmiare autem etiam modò etsi non obligaretur ex justitia stricta, obligatur tamen ex justitia lata, titulo fidelitatis videlicet. *Ad 3^{ium} R.* de perfectione DEI esse, ut non solum in hac vita caduco bono præmii hominem justum, sed ut possit etiam in altera æterno, ad quod tanquam finem suum adipiscendum tendit anima rationalis ex natura sua, ut dixi. ergo.



S E C T I O III.

An omnes animæ rationales sint ejusdem perfectionis.

Dico contra Scholam Parisiensem cum S. Thom. p. 3. quæst. 2. art. 5. Omnes animæ rationales quoad entitatem suam sunt ejusdem perfectionis. Prob. 1^{mo}. Christus cum alijs hominibus dicitur univoce homo, juxta illud Apost. Philip. 2. *In similitudinem hominum factus.* hoc autem dici non posset, si animæ rationales non essent ejusdem perfectionis entitativæ, quia diversa perfectio entitativa fundat distinctionem specificam. ergo. Prob. 2^{do}. Inæqualitas operationum, quam experimur in diversis hominibus, nequit arguere animarum rationalium diversitatem entitativam. ergo fundamentum Scholæ Parisiensis nullum est. A. prob. Aliàs in eodem homine sobrio, & musto pleno, etiam argueret diversas animas. Unde etfi operationes hominis Docti, v. g. Salomonis, & stupidi alicujus non minùs differre videantur, quàm operationes equi & asini; quia tamen illa tota diversitas refundi potest in diversam dispositionem organorum, non debet refundi in exigentiam intrinsecam, & positivam animarum; nisi fortè velles eundem Salomonem puerum equitantem in arundine longa, & sedentem in folio, sapienterque dijudicantem, diversas specie habuisse animas.

Dices tamen: Durum est asserere, Animam Christi non esse perfectiorem entitativè animâ Judæ. Aliàs verum esset, quòd anima Judæ secundùm se accepta fuerit indifferens, ut infunderetur in illud corpus,

pus, in quod infusa fuit anima Christi, & vicissim, atque adeo anima, quæ constituit Christum Dominum, constituere poterat Judam. *z. N. A. ad ejus prob. C. seqv. N. ly atque adeo Sc.* Denominatio enim *Judæ* à sola forma non habetur, cum hæc non sit tota quidditas compositi. Unde Anima Christi unita corpori *Judæ*, cum hoc non constituisset *Judam*, sed alium hominem à *Juda* numero distinctum. Nec anima *Judæ* unita Corpori Christi constituisset Christum. Constitutio enim Christi non habetur præcisè per hoc numero corpus, & per hanc numero animam, sed requiritur insuper, ut Verbum divinum unitur eidem composito. adeoque si prædicto composito Verbum divinum unitum non fuisset, nunquam illud Corpus fuisset Corpus Christi. Si verò fuisset illi unitum Verbum divinum, non fuisset illud compositum idem numero Christus, qui nunc est, sed alius adum naturam personatam.

S E C T I O IV.

Utrum Potentiæ Animæ rationalis distinguantur ab Anima?

Dico contra Thomistas, Suarium, Maurum, &c. Potentiæ animæ rationalis, ut intellectus, memoria, voluntas, non distinguuntur realiter ab anima. Prob. *imò. auth. S. August. Serm. de Imagin.* sic loquentis: *Anima est intellectus, anima est memoria, & anima est voluntas.* Item *S. Bern. Serm. 10 in Cant.* In anima tria intueor: Rationem, memoriam, & voluntatem, & hæc tria sunt eadem anima. *S. Iud. L. II. Ethym: Anima dum vivificat corpus, anima dicitur*

tur; dum vult, voluntas; dum intelligit mens; dum recollit, memoria. Sed si potentiaë hæ realiter distinguerentur ab anima, hæc proprie nec vellet, nec intelligeret; nequit enim anima denominari intelligens, per actionem alicujus à se realiter distincti, quemadmodum nequit dici Petrus sapiens, per actus sapientes elictos à Paulo. Prob. 2dò. Nulla est necessitas distinguendi realiter potentias animæ ab anima, ergo. A. patebit ex objectionum solut. Conf. Materia prima non recipit formas substantiales per potentiam sibi realiter superadditam; ergo nec anima rationalis producet actus vitales per potentias à se realiter distinctas, & sibi realiter superadditas.

Dices contra 1mò. Intellectus, & voluntas versantur circa objecta sua sub ratione formali diversa, & etiam modum tendendi habent diversum, siquidem intellectus fertur sub ratione veri, trahendo objectum intra se; voluntas vero sub ratione boni, seipsam ferendo in objectum extra se. ergo. R. D. A. Intellectus & voluntas sumpta in statu reali, N. A. sumpta in statu formali & præcisivo, C. A. & N. C. Sumptus enim intellectus independenter à formali statu, & præcisivo, æquè fertur in objectum sub ratione boni &c. ac voluntas.

Dices 2dò. Anima rationalis est indifferens ad varios actus specie diversos, ergo debet ad illos determinari per aliquid superadditum. 3tiò. gravia feruntur deorsum per qualitatem sibi superadditam, ergo etiam anima operabitur per potentias sibi superadditas. R. Ad 2dum. Animam formaliter in actu secundo determinari ad hunc præ illo actum per ipsam actionem productivam talis actus, causaliter verò in actu primo per species intelligibiles, vel impressas pro qualitate actuum, quos exercet. Ad 3tium. C. A. N. C.

N. C. Dispar. ratio est. Quia motus gravium deorsum vitalis non est, adeoque fieri potest ab aliquo extrinseco; operationes autem animæ propriæ sunt vitales, consequenter nequeunt oriri à principio extrinseco.

Pro reliquis Nota 1^{mo}. Ex eo, quod potentia animæ non distinguatur ab anima realiter, bene sequitur, nec distingui illas inter se realiter; ex isto tamen non sequitur, quod oculus audiret adum omnia constitutiva sua, sed præcisè adum animam oculum informantem. 2^{do}. In homine potentia visiva, auditiva &c. adum quod dicunt de formali, materiales non sunt, adeoque possunt adum id, quod dicunt de formali, identificari animæ rationali, quæ est spiritualis. 3^{to}. Potentiæ visiva, auditiva &c. adum quod dicunt de formali, non contrariantur secum ipsis, sed solum eorum effectus, & organa quædam materialia. quo sensu etiam textus SS. PP. qui pro adversa sententia adferuntur, explicandi sunt.

S E C T I O V.

Resolvuntur quæsitæ quædam circa intellectum.

Q Uær. Imò. An intellectus percipiat objecta absque speciebus intelligibilibus? R. Negativè. Ratio est. Quia intellectus creatus se solo non est potentia completa ad eliciendam intellectionem cujuscunque objecti intelligibilis; siquidem frequenter ne à voluntate quidem efficaciter determinari potest ad eliciendam cognitionem rememorativam alicujus objecti. Ex hoc autem probatur, quod nec cognitionem directam se solo possit; quia non est ratio sufficiens

ficiens, cur ad eliciendam cognitionem rememorativam sit potentia incompleta, ad eliciendam verò directam sit completa. Deinde si intellectus creatus se solo effet potentia completa ad eliciendam cognitionem directam cujuscunque objecti, posset, cognoscere, imò cum sit potentia necessaria, actù cognosceret res tam futuras, quàm præteritas, item secreta omnia cordium, quod tamen cum sit singularis nota Deitatis, nulli creaturæ competit.

Porro species intelligibiles, complentes intellectum per modum principij in ordine ad eliciendam cognitionem spirituales, seu intellectionem, non sunt species aliquæ phantasticæ, vulgò Phantasmata. Ratio est: Quia ens spirituale nequit ita connecti cum materiali tamquam sui principio, ut in nullo statu conaturali possit esse sine illo; si autem species phantasticæ complerent intellectum per modum principij in ordine ad eliciendam intellectionem, hæc sic connecteretur cum illis; siquidem de essentia actûs vitalis est, immanere, & recipi in principio suo effectivo. Deinde intellectus in statu separationis à corpore, nulla habet phantasmata, & tamen tunc plurima cognoscit objecta. Rursus Entia spiritualia à materiali præsentari non possunt, & tamen ea intellectus intelligit, adeoque sine phantasmate ut comprincipio.

Quare per species intelligibiles intelliguntur qualitates quædam intentionales absolutæ, applicantes objectum intellectui, ut potens intelligi intelligatur actù à potente intelligere. Ex quo cum *Dequiros* collige, sic fieri intellectionem ab intellectu creato: Objectum mittit speciem suam in sensum aliquem externum, v. g. Visum. Hic sensus cum tali specie, objecti illius sensationem elicit, v. g. Visionem. Hæc sensatio rursus objecti à se percepti mittit speciem in sensum com-

munem, & phantasiam: hæc per speciem istam completa, & suo modo ad agendum determinata elicit actum phantasticum, seu phantasma. Hoc phantasma cum sit materiale, intellectum nequit adjuvare in ordine ad producendam intellectionem objecti, sed cum intellectu producit speciem subtiliorem, speciem videlicet intelligibilem, quæ spiritualis est. Per hanc tandem intellectus completur ad eliciendam intellectionem objecti. Ita citatus *Dequiros hic Diss. 86. sect. 2. numero 9.*

Cur autem dixerim, intellectionem à phantasmate elici non posse, admittam verò speciem intelligibilem producibilem à phantasmate partialiter, etsi hæc etiam sit spiritualis, ratio est: Quòd species intelligibilis non sit entitas vitalis vel modalis, sed absoluta non vitalis, adeoque non immanens essentialiter principio suo effectivo, & per consequens nec essentialiter connexa cum aliquo materiali tamquam sui principio. Intellectio verò est entitas vitalis, adeoque ex conceptu actuum vitalium essentialiter immanens suo principio effectivo, & cum hoc essentialiter connexa tamquam sui principio, adeoque hoc materiale esse non potest, cum repugnet sic enti spirituali connecti cum materiali.

Dices contra *imò.* Voluntas ad eliciendam prosecutionem, vel fugam objecti, non determinatur per aliquod comprincipium effectivè influens, etsi sit indifferens; ergo nec intellectus. *R. C. A. N. C. Diss. par. est,* quòd voluntas sit indifferens indifferentiâ ortâ ex abundantia virtutis. Intellectus verò indifferens indifferentiâ ortâ ex defectu virtutis.

Dices *addò.* Species intelligibiles etiam pereunte objecto manerent in intellectu; ergo intellectus respectu objecti semel percepti esset semper potentia

completa in ordine ad eliciendam illius intellectionem; ergo cum sit potentia necessaria, erit semper in actuali exercitio respectu talis objecti. & C. A. & primam Conf. N. secundam Quia etiamsi intellectus respectu talis objecti esset potentia completa, non tamen esset proximè expedita, nisi simul etiam adsit, quod illum excitet ad producendam intellectionem talis objecti. Quod excitamentum in statu conjunctionis animæ cum corpore est phantasma aptum, ut loquitur *Arist. lib. 3. de Anima*. Quale phantasma aptum in dormientibus, mente captis, aliisque, vel ob excessivam copiam vaporum, vel ob læsionem cerebri, aut organa minùs disposita deest, adeoque & intellectus proximè expeditus non est. In statu verò separationis animæ à corpore excitamentum illud fit vel à DEO, vel à præsentia objecti similis, cujus species excitata excitat etiam alias sibi similes &c.

Dices 3^{to}. Intellectus ad producendam intellectionem sui non indiget specie intelligibili, ergo nec ad producendam intellectionem aliorum objectorum; neque enim est ratio, cur sit potentia completa se solo ad intelligendum unum objectum, & non alia ejusdem ordinis. 4^{to}. Species intelligibiles etsi sint realiter distinctæ à suo objecto, habent sibi identificatum esse intentionale sui objecti; ergo etiam illud identificatum sibi habere potest intellectus. 5^{to}. DEUS etsi solum eminenter contineat esse creaturarum, potest tamen absque specie intelligibili creatura concurrere ad eliciendam intellectionem alterius creaturæ; ergo etiam intellectus se solo potest illas creaturas intelligere, quarum esse vel virtualiter, vel eminenter continet. Terna hæc objecta tangunt singularem difficultatem de speciebus intelligibilibus: An videlicet hæc ita necessariae sint, ut metaphysicè re-

pugnet aliquid ab intellectu creato intelligi absque specie intelligibili. Circa quam Quæst. quidquid post *Cataneum* hinc *Diss. 13. quæst. 2. numero 11* dicat *Wietrowski Part. 4. Concl. 7.* Judico negativam tenendam. Tum propter illa, quæ communiter sentire videntur cum *S. Thom. qu. 56. Art. 1. Theologi.* Quod Angelus ad cognoscendum se, & objecta sibi intrinsecè unita, non indigeat specie intelligibili. Item. ut videre est apud *Rip. de Ente supern. Diss. 34. sect. 3.* Absolutè fieri posse, ut Beati videant DEUM absque lumine gloriæ, per assistentem specialiter extrinsecè omnipotentiam DEI. Lumen autem gloriæ juxta communem apud *Isquierdo quæst. 8. S. 9. de DEO*, est distinctum à specie intelligibili. ergo. Tum etiam quia ad cognoscendam ipsam speciem intelligibilem non requirit intellectus aliam speciem intelligibilem, ne procedatur in infinitum, ergo absolutè fieri potest intellectio alicujus objecti, absque specie intelligibili. hoc præmissis.

Resp. *Ad 3tium.* Si sermo sit de intellectu separato à corpore, C. A. D. C. ergo etiam ad cognitionem aliorum objectorum sibi intrinsecè unitorum, vel præsentium, C. C. non sic præsentium nec unitorum, N. Conseqv. Disparitas est. Quod intellectus non solum sit suum esse Physicum, sed est etiam suum esse intentionale; siquidem quæcunque res, est imago se ipsam repræsentans objectivè, adeoque intellectus ad cognoscendum se, vel objecta sibi intrinsecè unita, non indigebit superaddito ullo, cum sic acceptus præcontineat totam perfectionem intellectiōnis producendæ. Objectorum autem sibi non unitorum, esse intentionale independentè à specie intelligibili intellectus creatus non præcontinet. ergo. Dixi de intellectu separato à corpore. Si enim sermo sit de intellectu conjuncto corpori, cum in sta-

tu conjunctionis hujus juxta probabilem sententiam objecta supernaturalia, & spiritualia solum cognoscat per cognitionem abstractivam, non verò intuitivam, Probabile est, quòd ad intelligendum se necesse habeat specie intelligibili. aliàs cognosceret se intuitive. *Ad 4tum.* C. A. N. C. Si enim intellectus creatus cujuscunque objecti esse intentionale haberet sibi identificatum, haberet notam singularem Deitatis, adeoque esset DEUS. *Ad 5tum* Dico, DEUM in cognitione sua continere formaliter esse intentionale omnium creaturarum, licet in Omnipotentia sua contineat solummodò esse illarum eminenter.

Quær. 2dò. An intellectio producat per actionem à se realiter distinctam? R. Actio productiva intellectionis non est distincta realiter ab ipsa qualitate repræsentativa objecti. Ratio est. Quia tunc solum actio termini est distincta ab ipso termino, quando hic est indifferens, ut ab hac vel illa causa producat, & existere potest physicè, quin sit productus ab hac causa; sed intellectio non est indifferens, ut producat ab hac vel illa causa, nec existere potest, quin hoc ipso verum sit, eam esse productam ab hac causa determinata, *g. m. prob.* Quia omnis intellectio est actus vitalis, adeoque; omnis est essentialiter suo principio effectivo immanens, & repugnat aliquod subjectum vivere per intellectionem à se non productam; ergo sicut non potest existere physicè, nisi in principio suo effectivo, ita nec potest simpliciter existere, nisi producta à principio suo.

An autem de conceptu formali adæquato cognitionis sit sola qualitas repræsentativa objecti, an etiam actio ejusdem productiva formaliter ab illa distincta, Authores variant. Judico probabiliorem esse, asserentem utramque. Quia cognitio est vitalis

lis perceptio, seu apprehensio objecti, per quam objectum fit præsens formaliter ipsi potentiae cognoscitivæ. Sed nec sola qualitas habet hoc totum; perceptio enim vitalis est actio, sola autem qualitas non est actio. Rursus sola actio absque qualitate repræsentativa, non est perceptio vitalis, per quam objectum fiat præsens potentiae cognoscitivæ; actio enim sumpta præcisivè à qualitate, solum dicit se esse actualem determinationem intellectus ad producendam qualitatem repræsentativam objecti, ergo.

Neque dicas ex his sequi, in DEO non dari vitam, siquidem in DEO nullus potest intelligi motus physicus; ergo nec actio productiva talis qualitatis. ¶. enim solum sequi, in DEO non dari vitam accidentalem, quæ fit semper per motum physicum positivè. Non autem sequitur, non dari vitam substantialem, & per identitatem, ad quam sufficit motus physicus negativè, ut diximus hîc *Disp. 1. sect. 3.*

Dices contra *Concl. 1. inam*: Actus vitales non sunt entitates modales; ergo falsum est, illos esse essentialiter affixos suo principio effectivo, adeoque Qualitas repræsentativa potest existere, quin producta sit ab hoc determinato principio. ¶. imò. Hoc argumentum probaret etiam Angelum, vel animam rationalem posse existere, quin producerentur à DEO solo, cum non sint entitates modales. 2dò. C. A. N. C. Non enim sola essentialis affixio suo principio facit entitatem aliquam esse modum. Sed si simul talis entitas nullum alium effectum præstet, quàm quòd ad hanc denominationem determinet suum principium effectivum. Actus autem vitales præter hunc effectum præstant etiam alios; denominant enim principia sua non solum producentia intellectionem, vel volitionem, sed & intelligentia actù, vel volentia. Item pre-

producunt etiam sui speciem in eodem principio effectivo. ergo non sunt Entitates modales. Ex hac Doctrina sequitur quidem legitime, intellectionem à DEO creari non posse. Sed hæc sequela nihil continet absurdi; quemadmodum nihil est absurdi, quòd actionem eductivam creare non possit. Imò si hoc posset, sequeretur potius absurdum, quia agere posset modo chymærico. 2dò. Sequitur intellectionem illam, quæ indivisibiliter ab intellectu, & habitu producitur, non posse quidem produci à solo intellectu; per hoc tamen habitus adhuc intellectui non simpliciter posse, sed facile posse daret in ordine ad illam intellectionem producendam, quia intellectus sine habitu posset simpliciter producere aliam priori similem quoad repræsentationem objecti, etsi cum majori conatu. Sequitur 3tò. Omnem intellectionem esse essentialiter sui unionem cum subjecto. quia cum sit actus vitalis, indifferens non est, ut existat in principio suo effectivo, vel non. Sequitur 4tò. Intellectionem productam à Petro, nec divinitus poni posse in lapide, quia de essentia illius est, denominare, & reddere actum principium suum effectivum, adeoque receptivum, intelligens, & cognoscens.

Quæres 3tò. Cur intellectio vocetur *Verbum mentis*? R. Quia omnis intellectio est imago formalis expressè repræsentans objectum suum, illudque intellectui notificans; quemadmodum igitur vox aliqua instituta ad significandam rem, v. g. vox *Lapis*, dicitur verbum oris ex eo, quòd notificet Auditori rem illam, ad quam significandam est instituta: ita intellectio dicitur *verbum mentis*, quia notificat intellectui objectum illud, cujus est formalis, & expressa imago.

S E C T I O VI.

De Potentia volitiva, seu de voluntate.

Potentia volitivæ modus tendendi in objectum suum est duplex: Prosecutivus, & averfivus. Primo modo tendit voluntas in objectum sibi ab intellectu repræsentatum ut bonum, tamquam affectiva uno sui cum tali objecto, secundo modo in objectum sibi ab intellectu repræsentatum ut malum, tamquam affectiva fuga ab objecto. Celebris Quæstio est: An possibilis sit aliquis actus voluntatis, qui sit actus puræ fugæ, seu talis, qui oriatur præcisè ex ratione mali secundum se cogniti, & non simul ex ratione boni oppositi.

Dico cum *Lug. Disp. 1. de Pœnit: sect. 2. contra Esparzam quæst. 82. de Sacram. Pœnit:* Possibilem esse actum puræ fugæ. Prob. Possibilis est actus voluntatis, qui sit formaliter amor alicujus boni, absquè eo, quòd simul sit formale odium mali oppositi; ergo etiam, qui sit formaliter odium mali cogniti ut talis, v. g. Tenebrarum repræsentatarum ut objecti mali, absquè eo, quòd formaliter sit amor boni oppositi, v. g. Lucis. Non minùs enim voluntas moveri potest à malo sibi proposito ad odium, quàm ab objecto sibi bono proposito ad amorem. Certum enim est, quòd dum voluntas averfatur Tenebras, non averfatur illas præcisè ideo, quia lux opposita tenebris proponitur voluntati bona. sed ideo, quia tenebræ impediunt lucem, quòd impedire lucem proponitur voluntati ut malum. Si enim tenebræ non impedirent lu-

lucem, adeoque non proponerentur voluntati ut malum, eandem voluntas odio non haberet, ergo.

Dices *imò*. Voluntas est potentia spiritualis, objecti sui appetitiva; ergo illius actus erit appetitivus objecti, seu persecutivus, adeoque non habet actum puræ fugæ. R. D. A. est objecti sui appetitiva simpliciter per omnes actus, N. per actus suos principia- liores, C. A. & sub eadem Distinct. C. primam, & N. simpliciter 2dam consequ. Quare dico, definitionem voluntatis propriam esse hanc: *Potentia spiritualis, objecti sui perceptiva affectivè*, quod *affectivè* contrahibile est ad actum persecutivum, & averfativum.

Dices *add.* Intellectus assentiendo uni contradictorio, necessariò formaliter dissentitur alteri; ergo voluntas fugiendo objectum, sibi ut malum propositum, necessariò formaliter amabit objectum eidem oppositum, sibi ut bonum repræsentatum. R. D. A. Si aliud contradictorium intellectui proponatur, & intellectus penetret illud esse contradictorium priori, C. A. Secus N. A. & N. simpliciter C. Etiam si enim voluntati objectum oppositum proponatur ut bonum, quia tamen non proponitur illi tamquam purum bonum, voluntatem, utpote potentiam liberam, ad amorem sui formalem non necessitabit, sed solum ad virtualem.

Pro Reliquis Nota *imò*. Malum movendo voluntatem ad actum puræ fugæ, moveret ad destructionem sui causalem, solum per accidens, non verò per se. Quatenus motio hæc, in actu secundo ab ipso malo exigita, non est per se, sed solum per accidens, in quantum videlicet circumstantiæ, in quibus movet, ab ipso objecto malo non exiguntur per se, suntque illi prorsus extrinsecæ; videlicet cognitio, & repræsentatio talis potentiæ, cujus natura est,

malum propositum ut tale amare non posse. Quod autem aliquid ob circumstantias per accidens sibi advenientes movere possit ad destructionem sui causalem, patet: sic vitrum per gravitatem, à qua fertur deorsum, concurrat ad destructionem sui causalem in circumstantiis, in quibus in corpus solidum impingit: sicut & ignis absumendo suum pabulum. Dixi: *ad destructionem sui causalem*; ad formalem enim nec per accidens movet quidquam, aliàs moveret voluntatem ad ponendum aliquid tale, quod est formaliter exclusivum mali, adeoque ad ponendum vel amplectendum bonum, & per consequens ad actum amoris. *2do*. Transmitti posset, objectum intellectus non esse nisi verum objective. Non tamen ex eo sequeretur, etiam voluntatis esse solum bonum objective. Quia dici posset, quod falsitas objectiva non detur, cum hæc sit apprehensio alicujus prædicati inesse subjecto, quod non inest, vel è contrà. Malitia autem objectiva datur. Satiùs tamen judico, admittendum esse pro objecto intellectus etiam falsum. Cur enim nequeat intellectus per actum negativum dissentiri objecto præcisè propter falsitatem illius clarè apprehensam, v. g. huic: *Duo & tria, simul sumpta, non faciunt quinque.* *3to*. Recessus physicus nequit dari ab uno loco, quia formaliter detur accessus ad alium, ideo, quod recessus iste habeatur per productionem ubicationis, quæ necessariò fundat minorem distantiam, & viciniorem, quam fundaverit prior, per quam affixus fuit loco illi, à quo recedo. E contrà recessus moralis non fit per similem productionem actus, per quem voluntas conjungatur alteri objecto formaliter, priùs affectivè conjuncta objecto, à quo recedit. ergo.

SECTIO

S E C T I O VII.

De Actionibus Liberis Potentiæ voluntivæ.

Quænam constituent, quæ lædant libertatem causarum in actu primo consideratam, Theologicis cogitationibus materia destinata est. Hanc nos breviter, & perpaucis sic perstringimus. Definitur voluntarium liberum esse : *Quod procedit ab intrinseco principio, ex cognitione finis, cum indifferentia ad opposita.* Porro libertas duplex est : nempe immunitas à coactione, & immunitas à necessitate. Illa est potestas faciendi aliquid suâ sponte, sinè violentia, secundum inclinationem, nullâ vi ab extrinseco illatâ. Taliter dici possunt etiam bruta operari liberè, dum citra violentiam extrinsecus illatam operantur. Altera Libertas à necessitate, seu Libertas Indifferentiæ est : Quæ excludit necessitatem determinatè operandi, vel determinatè non operandi. Non quidem eam, quam vocamus consequentem, quæ videlicet oritur duntaxat ex suppositione operanti libera ; sed antecedentem, quæ datur seu infunditur voluntati, ante omne exercitium voluntatis antecedenter prævisum futurum liberè. Unde definitur : *Potentia, quæ positis omnibus ad agendum requisitis, potest agere, vel non agere.* Cum autem necessitas antecedens, quam libertas excludit, sit triplex, videlicet moralis, physica, & metaphysica. Similiter & libertas à necessitate triplex est, putâ Libertas, seu immunitas à necessitate moraliter necessitante, libertas à necessitate physicè necessitante, & libertas à necessitate metaphysicè necessitante.

Hæc

Hæc Libertas Indifferentiæ rursus alia est Libertas contrarietatis, seu quoad speciem, & alia contradictionis, seu quoad exercitium. Hæc est Libertas ponendi actum, cum potestate eundem non ponendi, non tamen cum potestate ponendi eidem contrarium; sed duntaxat ponendi sub eadem specie hujus vel alterius Intensionis actum, vel omittendi. Illa verò est potestas ponendi, vel non ponendi actum, hujusque contrarium. Tertia tandem Libertas contrarietatis, & contradictionis, utrumque complectitur. his positis

Dico: ad potentiam liberam in actu 1^{mo} proximo, requiri constitutivè & intrinsecè 1^{mo}. Potentiam activam in operante, eandemque indifferentem ad agere, & non agere. 2^{dò}. Concursum DEI indifferentem, paratum ad concurrentum cum creatura. 3^{tiò}. Cognitionem objecti indifferentem. Cùm enim voluntas sit de se potentia cæca, hoc est non cognoscens, prærequirit lumen aliquod, à quo in suis actionibus dirigatur; quod lumen est ipsa cognitio proponens, quidnam amplectendum, quid omittendum. 4^{to}. Requiritur ipsa possibilitas actûs secundi, non tamen hujus futuritio, aut existentia, cum hæc tollant indifferentiam. 5^{to}. Requiritur carentia omnis formæ, impressæ voluntati ab extrinseco, naturâ suâ ad actum 2^{dum} in specie & in individuo metaphysicè, & essentialiter determinantis voluntatem. Si videlicet talis forma existeret independentem ab omni suppositione libera subjecti habentis talem formam, adeoque constitutivè requiri etiam carentiam prædeterminationis physicæ. Cùm enim prædeterminatio physica metaphysicè infallibiliter inferat actum, & non datur dependentem ab ulla suppositione libera voluntatis creatæ, necessitas, quam adfert voluntati de ponendo actu,

actū, est simpliciter antecedens. adeoque tollens indifferentiam potentiæ activæ, & consequenter libertatem actūs. Ex quibus patet, quod omnia principia libertatis sint talia, quæ componi possint cum actū, vel non actū.

Illud notandum hic, quod quandoque Principium effectivum actūs, possit respectu hujus exercere etiam genus causæ formalis, in ordine ad denominationem physicè adæquatè non productam à tali principio effectivo, ut fit inter ignem *A.* producentem ignem *B.* ubi ignis *A.* etsi sit principium effectivum ignis *B.* nihilominus respectu hujus agit genus causæ formalis in ordine ad denominationem similis, quæ videlicet non est adæquatè physicè producta ab igne *A.* Ex veritate hac supponimus libertatem actūs 2di non esse adæquatè intrinsecam soli actui, nec actum 2dum liberum se solo esse adæquatè determinativum voluntatis ad denominationem *liberè agentis.* sed hanc denominationem partialiter haberi etiam ab ipsa voluntate, seu potentia libera, tamquam partiali constitutivo formali. quò positò

Quæres imò. An possibile sit voluntarium liberum sine omni actū positivo? quod idem est, ac quæ-
rere, an possibilis sit pura omissio libera? *R.* Affirmativè. Ita *Suarez Diss. 19. met. sect. 4. Prob.* Si pura omissio libera non esset possibilis, esset ex eo, quod in illa nec conceptus liberi, nec voluntarij salvari posset; atqui hoc est falsum, *go. prob. m.* Imprimis conceptus voluntarij salvatur, quia voluntarium definitur: *cujus principium continet is, qui scit singula in actū.* sed homo vel Angelus purè omittens continet in se principium actūs, quem à se operabilem cognoscit. Deinde voluntarium dicitur nobis omne id, ejus nos Domini sumus, sed ejus, quod est agere vel
non

non agere, nos Domini sumus; ergo. Quod etiam conceptus liberi salvatur in pura omissione libera, prob. In volitione, per quam vult amorem voluntas, salvatur conceptus liberi, ergo etiam in ipsa pura omissione. Prob. Conf. Ideo in illa salvatur, quia est à voluntate ut proximè indifferente ad agendum & non agendum. sed similiter est pura ommissio libera. ergo. Confir. Datur Libertas contradictionis, ergo tam agere quam non agere erit liberum.

Dices contra imò. Non est dabilis actus adus alicujus potentiaë, nullo modo differens ab actu primo ejusdem; implicat enim per effectum nihil plus haberi, quam quod habetur per actum primum proximum, aliàs actus adus non esset aggregatum ex effectu, & causa; sed admittâ purâ omissione liberâ, actus adus voluntatis non differret ab actu primo ejusdem. ergo prob. m. Per puram omissionem liberam nihil ponitur in natura, nisi sola potentia completa, & indifferens ad utrumque ex oppositis, hæc autem sic sumpta est actus primus proximus. ergo R. C. M. N. m. ad hujus prob. D. M. Nihil ponitur in natura nisi sola potentia completa, & indifferens ad utrumque ex oppositis, præscindens simul ab agere, & non agere. N. M. Indifferens ad utrumque ex oppositis, excludens tamen per non agere, seu per actum negativum ipsum agere, quod posset ponere, C. M. & D. m. hæc autem sic sumpta est actus primus proximus, sumpta inquam ut præscindens ab agere, & non agere. C. m. sumpta ut excludens ipsum agere per actum ommissivum ejusdem agere, N. m. & C. Neque dicas, impossibile esse, ut potentia per actum purè ommissivum ipsius agere, excludat agere. ergo. A. prob. Potentia vitalis excludendo suum agere, ad quod indifferens erat, operatur vitaliter; sed purè omitten-

do vitaliter operari nequit; quia potentia operans vitaliter vivit in actu 2do per suam operationem, sic autem per puram omissionem vivere non potest, ergo. R. N. A. ad cuius prob. D. M. operatur positivè semper, N. M. vel positivè, vel omissivè seu negativè, C. M. & D. m. purè omittendo nequit operari vitaliter, movendo se ab intrinseco, & influendo positivè, C. m. movendo se ab intrinseco & solùm negativè seu omissivè influendo in illam, N. m. & sub hac distinct. reliqua. Ex qua distinct. patet, quòd potentia vitalis per actus suos se perficiat, ad summum tales, ad quos concurrit positivè, non verò ad quos concurrit solùm omissivè. Neque dicas iterum, ex hoc sequi, dari potentiam vitalem ad non ens, quod est contra commune Philosophorum diverbium. Item, potentiam vitalem per actum suum exercere se posse modò mortuò, & non vitali; quod implicat non minùs, quàm potentiam visivam exerceri per actum suum, non videndo. R. enim ad unum. Philosophorum diverbium solummodò esse, non dari potentiam ad non ens, ad quod influeret positivè, non verò ad quòd solùm omissivè influat; aliàs voluntas non esset potentia ad agere, & non agere. Ad 2dum. D. Assump. potentiam vitalem exercere se posse modò mortuò per actum suum positivum, ad quem concurrit positivè influendo, N. Assum. per actum suum omissivum, subd: *ly modo mortuo* sumendo in eo sensu, ac quòd potentia vitalis libera non exerceretur per actum suum positivum, dum potest sic exerceri, C. Assump. *ly modo mortuo* sumendo in eo sensu, quòd omissionem puram haberet voluntas, absque omni sua determinatione tam positiva, quàm negativa, N. Assump: Voluntas enim potens agere dum liberè non agit, determinat se omissivè ad non agendum, nihil videlicet agendo. Quod

à potentia quidem visiva, vel auditiva fieri nequit, quia hæ sunt necessariae.

Pro reliquis *Nota 1^o*. Licet pura omissio libera, dum est peccaminosa, sit mala voluntati moraliter sumptæ, non tamen est eidem mala sumptæ physicè, quia est exercitium libertatis ejusdem. *2^o*. Voluntas posita inter motiva opposita, inclinancia ad amorem & odium, vel negationem amoris; pure omittendo, resistit his motivis, & superat illa, sed solum non cedendo illis, non autem aliquid agendo. Taliter resistit lapis v. g. molaris, & superat vires impulsivas infantis; unde in hoc casu voluntas habet actualitatem exercitij omissivi, non positivi. *3^o*. Voluntas simili in casu posita, pure omittendo non adhæret affectivè motivis retrahentibus illam ab amore; sed simpliciter non adhæret ulli parti motivorum, potens adhærere. adeoque opus non est, ut voluntas pure omittendo, dicat: volo exercere, seu eligo omissionem puram præ non omissione, potens non omittere. Si enim voluntas sic diceret, jam pura omissio libera non haberet se per modum determinationis, determinantis voluntatem ad non agendum; sed per modum objecti, circa quod voluntas per actum suum positivum reflexum se determinaret. Hæc autem reflexa imperia in agendo signatè voluntas habere non debet, aliàs in infinitum deberet semper habere alia & alia. Hinc dicimus puram omissionem liberam fieri absque omni actu positivo, causante vel inferente se. *4^o*. Modus proprius operandi potentia rationalis, non est, semper operari ex motivo influente positivè, hoc enim tunc solum fieri debet, dum operatur per actus positivos. Dum verò operatur pure omissivè, sufficit quod operetur præsentente motivo, sufficiente movere ad actum positivum. Unde
interro-

interrogatâ voluntas cur purè omittat, pro ratione potest dare, quia neutra pars motivorum inclinantium in actus oppositos, me necessitat, adeòque pura omissio libera non fiet per influxum motivi, sed solùm per defectum motivi necessitantis, adeòque per non influxum.

Quæres *add.* Utrum voluntas possit exercere libertatem indifferentiæ, inter bona omninò æqualia, vel etiam inæqualia cognita ut talia? *R.* & Dico *imò.* Potest voluntas etiam propositis eadem efficacitate, & lumine duobus bonis omnino æqualibus, eligere unum præ altero. Ita communis cum *Suar.* Ratio est, si voluntati proponatur solum bonum *A.* sine *B.* voluntas est libera ad illud amandum, vel non amandum, ergo etiam si *A.* ponatur simul cum *B.* erit libera, ad eligendum *A.* vel *B.* siquidem consortium istud neque addit bonitatem ipsi *A.* neque tollit in *B.* rationem boni, neque voluntatem necessitat ad majus bonum, ergo manet in voluntate eadem libertas ad illud amandum, adeòque etiam potest illud liberè præeligere. *Confir.* Sic defacto sæpè voluntas inter duos aureos omnino æquales, liberè se determinat ad accipiendum aureum *A.* præ *B.*

Neque dicas. Ut voluntas rationabiliter operetur, debet ex parte objecti assignari ratio cur hoc præeligat, atqui quando æquale bonum æquali lumine proponitur ex parte objecti nulla relucet ratio præelectionis, ergo *R.* si Adversarius loquatur de ratione positiva *N.* sufficit enim ex parte objecti, quod illud sit in se bonum, & voluntas sit libera potentia ad amandum illud; positus enim his duobus, cur rectè eligat *A.* præ *B.* stat pro ratione voluntas.

Dico *add.* Potest voluntas eligere bonum minus præ majori, etiamsi hæc bona sint ejusdem rationis, & minus sit inclusum in excessu majoris; & etiamsi

bonum minus inefficacius, & minus vivido lumine re-
 præsentetur. Est S. Thom. & communis contra Vas-
 quez & Haunoldum. Lib. 2. Controv. 2da num. 158. Prob.
 Ille qui eligit majus bonum præ minori non solum est
 laudabilis, quod eligat bonum quod majus est, sed
 etiam ideo, quòd illud præeligat minori. Imò spe-
 cialiter laudabilis est ex eo, quòd minus bonum non
 præposuerit majori, sed non esset hæc specialis lauda-
 bilitas, nisi potuisset præponere minus bonum, ma-
 jori; nemo enim ex eo est laudabilis, quòd non fe-
 cerit aliquid ita, prout facere non potuit, ergo. Prob.
 add. Ex his bonis neutrum (supponantur enim esse purè
 creata) necessitat voluntatem ad sui amorem, ergo
 si potest non amare bonum majus, potest etiam ama-
 re minus. prob. consequentia: magis est opposita amo-
 ri, negatio majoris boni, quam sit oppositus amor
 minoris boni, atqui potentia, quæ potest plùs, po-
 test etiam minùs in eodem genere, ubi specialis non
 resultat repugnantia, hæc autem in nostro casu om-
 nino non resultat, ergo.

Dices contrà: Quamvis argumentum nostrum
 bene concludat, respectivè ad bona heterogenea, ut
 fit in peccantibus, cum omnis peccans clarè cogno-
 scat, majus esse bonum in non peccando, quàm in
 peccando, & tamen postèrius minus bonum eligit,
 adeoque quòd ex bonis, diversæ rationis, licet inæ-
 qualibus possit voluntas eligere minus bonum; nequa-
 quam tamen evincit, respectivè ad bona ejusdem ra-
 tionis; quando videlicet in bono majori, hujusque
 excessu, continetur totum minus bonum. Quod ip-
 sum experienciâ docemur: sic si indigenti ære, detur
 optio eligendi, grossum, vel aureum, si ille habet
 parem potestatem ad utrumque, & excessus, qui est
 in aureo, non proponatur habere ullum malum, quod
 abster-

absterreat eligentem, electurum semper aureum, præ grosso. ergo. Et ratio à priori videtur esse: Quòd in tali casu nihil adsit, quod eligentem deterreat ab electione aurei; præterea adest speciale motivum, ad illius electionem, præ grosso, nempe excessus valoris, ergo. *R.* N. assump. ad experientiam; Dico: Verum quidem esse, quòd indigus iste, cupidusque æris, electurus sit semper aureum, præ grosso, sed N. quòd loquendo per se non possit potentiâ physicâ eligere grossum, relicto aureo. Unde solùm sequitur, quòd à voluntate operante ex fine habendi majus bonum, non præeligatur bonum minus. Non è contrà à voluntate oprante ex fine præcisè habendi bonum. quandoquidem, quodcùnque elegerit, habebit bonum. Ad prob: à priori *R.* Quòd etsi in talè casu, nihil adsit, quod deterreat voluntatem ab electione majoris boni, imò adsit motivum speciale, nempe excessus in majori bono, quia tamen hoc majus bonum, non necessitat voluntatem ad sui electionem, adhuc voluntas manet libera, ut eligat hoc vel illud, cùm etiam in bono minori puta in grosso reperiat rationem boni. ergo.

S E C T I O VIII.

Resolvuntur cætera quasita circa intellectum & voluntatem.

QUÆR: imò. An possibile sit aliquod Ens intellectivum, quod non sit simul volitivum: *R.* Negative. ita contra *Oviedo, Linze, apud Dequiros hic Diss. 89. sect. 5. Tyrsus Gonzalez. select. quest. de DEO Diss. 22. sect. 3. Prob. imò S. Athan. Tract: de Desin: ait: Quidquid intelligit constat quod etiam voluntate duo*

catur. Prob. 2dò. Ratione. Omne intellectivum in aliquo genere cognitionis, vel abstractivo videlicet vel intuitivo, est etiam suiipsum cognoscitivum, hoc ipso cognoscet se ipsum sibi esse conveniens, & bonum, adeoque amabile. sed impossibile est, quòd quis cognoscat se esse sibi bonum; & tamen hoc bonum velle & appetere non possit per appetitum vel innatum vel elicatum; non minùs quàm impossibile sit aliquod verum, quod non possit cognosci, color qui non possit videri. ergo. Subst: sed dum quis cognoscit se esse sibi bonum & convenientem, hoc bonum quod sic repræsentatur ei, vel etiam ipsa cognitio, quàm reflexè cognosceret sibi esse bonam, non est terminus solius innati appetitùs, siquidem innatus appetitus ferri non potest in bonum solùm apparenter tale, quale bonum potest esse cognitio, ergo.

Pro object: Nota imò. Etiam si intellectio non semper in actu 2do inferat actum voluntatis, infert tamen necessariò intellectivitas potentiam volendi. primum enim contingere potest, vel propter extrinsecum aliquod impedimentum. v. g. Decretum DEI, de non concursu ad amorem; vel propter summam libertatem voluntatis ad agendum, & non agendum. quòd non pugnat pro secundo. 2dò. Intellectus sine voluntate inclinata operari potest, non tamen sine inclinabili. 3tio. Ideo anima potest etiam naturaliter esse sine materia, quia operari potest operationes non ordinatas ad corpus; Intellectivum autem nequit operari operationes non ordinatas ad volitivum. 4to. Nec potentia sensitiva, potest esse sine appetitu sensitivo, & fugitivo mali per tristitiam.

Quær. 2dò. An voluntas de absoluta DEI potentia ferri possit in Incognitum? R. Negative. Ratio est. Quia actus voluntatis quò fertur in objectum suum

suum est appetitus elicitus, ergo est formaliter inclinatio cognoscentis, atque adeò sicut implicat esse potentiam volentem actu sine volitione, ita implicabit inclinari potentiam cognoscentem sine cognitione.

Nec valet dicere Cognitionem esse solummodo requisitam titulò applicationis, ut objectum reddatur intentionaliter præsens potentiae volitivæ, adeoque sicut speciem impressam DEUS supplere potest, ita etiam Cognitionem. Contra enim est. Quòd licet cognitio requiratur solum titulo applicationis, quia tamen non requiritur titulò applicationis physicae solum, sed intentionalis, complementis in genere causæ formalis intentionalis potentiam volitivam in ordine ad suum actum, nequit à DEO suppleri, cum genus causæ formalis DEUS supplere non possit. Species autem impressæ non complent potentiam in genere causæ formalis, sed efficientis, hinc illæ à DEO suppleri possunt. Non cognitio.

Quæres 3tio. An Cognition essentialiter requisita ad actum voluntatis possit esse realiter identificata eidem? R. Negative. Ratio est, imò. Quia cognitio prærequisita in genere causæ formalis complet potentiam volitivam in ordine ad suum actum, Sic autem actus voluntatis potentiam volitivam complere non potest, aliàs daretur mutua prioritas, ergo. add. Actus voluntatis in genere causæ formalis compleret potentiam volitivam antequam existeret. 3tio. Si voluntas de se cæca sufficienter illustraretur per cognitionem identificatam amori, cur non etiam per cognitionem necessariò comitantem amorem?

Pro Solvendis Object: Nota imò. Possunt in eodem indivisibili actu identificari assensus, & dissensus respectu diversorum objectorum. Item amor & odium, quia utraqque formalitas illa spectat ad lineam

eiusdem potentiae, & non inferunt mutuam prioritatem, vel causalitatem causae formalis, antequam haec existat. oppositum autem fieret si cognitio identificaretur amori respectu cuius se habet illa ut causa formalis determinans intentionaliter voluntatem. 2dò. In DEO intellectio est realiter volitio, quia DEUS per essentiam est volens, & intelligens, adeoque omnia haec in DEO debent esse idem. Quamvis nostro modo concipiendi etiam in DEO pro priori signo intelligitur intellectio, quam volitio, maxime si sermo sit de volitione benefica beneficio speciali, seu provida providentia efficaciam. 3tò. Si cognitio identificaretur amori, voluntas non ferretur in incognitum simpliciter, ferretur tamen in non praecognitum, quod fieri nequit ob rationem mutuae prioritatis; caeterasque rationes pro Conclusionem allatas.

SECTIO ULTIMA.

De Ente Immateriali Increato.

AN DEUM dari naturali ratione sit demonstrabile. *scilicet* affirmative. Ostenditur. Tota Collectio vel quasi collectio omnium actu existentium non indiget aliquo alio extra totam Collectionem ad existendum, sed habet sufficientiam ad existendum. Sed quod habet sufficientiam ad existendum ita, ut non indigeat aliquo alio ad existendum, est à se, involvitque infinitam perfectionem. ergo In tota hac Collectione existentium Entium erit aliquid à se, & infinitae perfectionis, ergo DEUS.

Dices contra Imò. Impossibilitas DEI non est evidenter falsa, siquidem oppositio praedicatorum, & contradictio quae inter praedicata DEI apparet, non tantum

tum non est evidenter falsa, sed difficillima solutione, attentâ præcisè ratione naturali. ergo Existentia DEI demonstrabilis non est, quia deberet esse evidens, intellectum convincens, & ostendens ejus oppositum esse evidenter falsum. R. D. A. Impossibilitas DEI non est evidenter falsa quoad an sit N. A. quoad quomodo sit trans. A. & N. Consequ. In eodem sensu. Aliud est dicere: *evidenter demonstrabile esse existere DEUM.* aliud: *esse demonstrabile evidenter quomodo sit.* Imum. asserimus. De secundo Theologorum Disputationes instituuntur. Sic evidens nobis est dari tempus, locum, continuum, nec tamen nobis evidens est quomodo hæc sint, & constituentur.

Dices *add.* Demonstratio debet ita intellectum convincere, ut negare non possit veritatem demonstratam. Existentiam DEI defacto negant Athei etiam ingenio præstantes. ergo. R. D. M. ut negare non possit veritatem demonstratam dum demonstrationi attendit, & illam penetrat C. M. dum à demonstratione mentem avertit, nec illam penetrare velit nimia cupiditate præpeditus, quæ temporis hujus non paucos Politicos excæcat in Atheismum declinantes, N. M. & similiter distinctâ min: N. Consequentiam. Et hæc omnia cedant ad Majorem Gloriam ultimi vitæ nostræ.

F I N I S.



THESES
EX UNIVERSA PHILOSOPHIA.

Ex Logicis.

I.

Artificialis Logica, seu facultas, operationum intellectus directiva ut ea recta sint, est virtus intellectus. Ars vera, ac Scientia; ex fine principali simpliciter practica, ex fine verò minus principali etiam secundum quid speculativa. Docens, & Utens habitualis unus indistinctus realiter habitus. Ad actus aliarum Scientiarum concurrat solum directivè, ad quas acquirendas, etiam in statu perfecto, est solum moraliter necessaria.

II.

Objectum materiale proximum Logica sunt operationes intellectus in actuali fieri considerata; formale est earundè rectitudo formalis, seu conformitas cum præceptis. Adequatum objectum attributionis Logica est operatio recta rectitudine logicà prout complectens tres species operationum pri-

nam, secundam, & tertiam. Objectum attributionis inadæquatum est qualibet ex tribus operationibus. Inter inadæquata principale, & præcipuum est Demonstratio.

III.

Voces humane articulata significant ad placitum. Ex intentione loquentis dirigi possunt, ut primario significant res, secundario conceptus. Veritas propositionum tam contingenter, quam essentialiter, & necessario verarum est actibus partim intrinseca, partim extrinseca. Propositio contingenter vera prolata de presenti expressè determinatum instans non representans potest transire de vera in falsam, & è contra.

IV.

Propositiones de futuris contingentibus etiam liberis sunt determinate veræ, vel determinate falsæ. Syllogismus est oratio in qua quibusdam positis aliud quidpiam ex illis, quæ posita sunt, sequi necesse est, eò quod hæc sint. Constituitur essentialiter, & intrinsecè per conclusionem, & præmissas. Actus conclusionis attingit objectum præmissarum intrinsecè saltem ut quo.

V.

Intellectus posito assensu præmissarum, & penetratâ sufficienter connexionem duorum

rum extremorum cum uno tertio, necessitatur tum quoad speciem, tum quoad exercitium conclusionis. Præmissæ formales quatenus constituunt unū antecedens adequatū inferens conclusionem, nec sunt, nec esse possunt certiores vel evidentiores ipsâ conclusione formali. Implicat unus indivisibilis actus, vel etiam plures eodem tempore circa idem objectum, quorum unus sit scientiæ, alter opinionis cum formidine actuali, secus si opinio solum radicaliter sit formidas.

Ex Octo Libris Physicorum.

VI.

Physica, Scientia speculativa, habet pro objecto materiali corpus naturale specificativè sumptum; pro formali ipsam naturalitatem sumptam reduplicativè. Principia corporis naturalis in factò esse duo sunt: materia, & forma; in fieri sub conceptu mutationis sunt tria, Materia, Forma, & Privatio unienda formæ, quæ principiat per suum esse, tunc quando ultimò est.

VII.

Dari materiam primam Aristotelicam certum est. Essentia materia ab eisdem existentia non distinguitur realiter, adeoque

adeoq; habet existentiam propriam distinctam ab existentia formæ. Est ingenerabilis, & incorruptibilis. Immediate per se sine potentia realiter superaddita recipit formas. Non est possibilis specie distincta materia Aristotelica proprie talis.

VIII.

Appetit appetitu innato æqualiter formas substantiales tam nobiles, quàm minus nobiles. Pariter appetit formas corruptas. Dependet à formis substantialibus à posteriori dependentiâ solum connexionis naturalis, hinc Divinitus potest spoliari omni formâ substantiali. Actio ejus conservativa in his circumstantijs esset naturalis tam quoad substantiam, quàm quoad modum.

IX.

Formæ substantiales nec totaliter, nec partialiter præexistunt in materia, sed solum potentialiter, seu virtualiter. Nulla est tota quidditas compositi. Sustentari duæ totales in eadem numero materia nec Divinitus possunt; possunt tamen recipi per puram unionem, positâ etiam intrinsicâ materiae incapacitate ad sustentandum.

X.

Modi & possibiles sunt, & dantur de-
factò. Modus tamen ad modum in
eadem linea specifica implicat. Unica de-
factò est unio in composito substantiali utri-
que extremo realiter superaddita, & qui-
dem necessariò modalis. Distincta ab actio-
ne eductiva formæ. Subjectivè recipitur
in sola materia. Totum à partibus simul
sumptis non distinguitur.

XI.

Natura est: principium, & causa mo-
tûs & quietis ejus, in quo est, pri-
mum, & per se, & non secundum accidens.
Violentum est, quod fit ab extrinseco nul-
lam vim conferente passò. Forma operis
artefacti consistit formaliter in dispositione
partium, seu certis ubicationibus per de-
terminatas distantias partium inter se ac-
quisitis, cum carentia partium superfluarum.
Absolutè loquendo ex directione artis po-
test fieri aurum.

XII.

Causa in Communi bene definitur: Prin-
cipium dans esse terminata perfectionis.
Omnis causa causans physicè de-
bet existere actu dum causat. Omnis pa-
riter

riter est naturâ prior suo effectu. Solùm
supernaturaliter potest agere in distans nil
agendo per medium, vel in medio, aut
cum medio.

XIII.

Non solùm à duplici causa totali materi-
ali vel formali, sed etiam efficiente,
imò & finali implicat eundem effectum for-
malem, & adequatum produci. Etiam ex
suppositione possibilis duplicis actionis tota-
lis implicat, ut idem se ipsum producat quo-
ad secundum esse. Pariter mutua causali-
tas tam in eodem, quàm diverso genere
implicat.

XIV.

Actio, seu causalitas causa est realiter su-
peraddita entitas, tam causa, quàm ef-
fectui indifferenter à tali causa pendenti,
& quidem necessariò modalis. Non est di-
stincta à passione. Si sit immanens, reci-
pitur in ipso agente, si verò transiens, in
eo subjecto, in quo recipitur terminus per
illam productus; in ipso verò effectu eam
recipi sustentativè est impossibile.

XV.

Virtus adequata productiva substantie so-
lis accidentibus non inest, inest tamen
partia-

partialis. Unde defacto ad producendam substantiam concurrat etiam accidens tamquam causa partialis, sicut & substantia ad producendum accidens in extraneo subjecto simile illi, quod emanat in se tamquam proprietatem sibi debitam.

XVI.

Implicat creatura, quae naturali sua virtute, seu principaliter creare possit; pariter implicat quae creare possit instrumentaliter, seu by instrumentaliter referatur per comparationem ad instrumenta naturae, seu ad instrumenta artis. Imò nec ulla creatura elevari potest ad creandam aliam, etsi quaelibet creatura simpliciter activa habeat virtutem inchoatam ad producendam quamlibet.

XVII.

Terminus naturam suam educibilis potest creari; è contra terminus naturam suam exigens creari, nec Divinitus produci potest per actionem eductivam, sicut nec ex essentia sua educibilis poni per actionem creativam. Causa conservativa effectuum creatorum est solus DEUS; productorum potest esse etiam creatura cum DEO.

XVIII.

DEUS ut causa prima necessario concurrat immediatè ad omnes, & singulos effectus creaturæ. Ad speciem effectus causa libera se ipsas determinant. Necessaria univoce sunt ex natura sua determinata. Equivoce pariter à natura sua prout sumuntur cum respectu ad passum sic dispositum. Ad individuum tam necessaria, quàm libera determinantur à solo DEO, quando effectus omnino sunt indiscernibiles à creatura.

XIX.

Tradeterminatio physica, sinè qua voluntas creata agere non possit, quæque sit à voluntate creata inevitabilis, & essentialiter connexa cum operatione, ad complendum actum primum proximum causarum necessariarum inutilis est. Respectu liberarum manentium, & operantium liberè prorsus implicat.

XX.

Causalitas cause materialis respectu formæ est ipsa actio eductiva formæ; respectu compositi est unio. Cognitio representans bonitatem objecti est solùm conditio essentialiter requisita ex parte actus primi ad
hoc

hoc, ut bonitas objecti sit proximè expedi-
ta causare finaliter. Sola agentia rationa-
lia agunt propriè propter finem.

X XI.

Locus extrinsecus est superficies corporis
continentis immobilis. Intrinsicus est
ubicatio, per quam res indifferens affigi-
tur determinato loco; hæc est Entitas mo-
dalis distincta realiter à loco, & re loca-
ta. Ubicatio indivisibilis affigens corpus
indivisibile spatio divisibili non implicat.
E contra ubicatio indivisibilis affigens cor-
pus divisibile spatio divisibili est chymara.
Plura corpora quanta possunt divinitus pe-
netrari.

X XII.

Replicatio tam definitiva, quàm circum-
scriptiva possibilis est supernaturaliter.
Replicato corpore non omnia accidentia de-
bent necessariò cum illo replicari; imò ac-
cidentia essentialiter affixa loco determina-
to nullo modo replicari possunt. Res repli-
cata plus potest, quàm non replicata. Va-
cuum solùm supernaturaliter dari potest.
Motus in vacuo terminato non foret in-
stantaneus.

X XIII.

XXIII.

Tempus extrinsecum est numerus motus secundum prius, & posterius. Intrinsicum est duratio, per quam res indifferens affigitur certo tempori extrinseco. Implicat omnis duratio indivisibilis affigens ad tempus divisibile. Sicut impossibile est rem absolvi ab omni ubi intrinseco, ita chymericum est rem esse, & nusquam esse.

XXIV.

Infinium Categorematicum creatum in quocunque genere, seu in extensione, seu intensione, seu numero, seu perfectione implicat. Pariter implicat creatura perfectissima, & imperfectissima. Quantitas formaliter est radix impenetrationis, seu exigentia extensionis partium quoad locum; est accidens realiter distinctum ab alijs accidentibus repertis in aliquo subjecto.

XXV.

Quantum continuum constat partibus actus distinctis, & facientibus numerum, haec partes non sunt in infinitum indivisibiles actu, non puncta Zenonistica, non inflata; vel terminativa permixta, sed sunt puncta actu indivisibilia formaliter, di-

S

visi.

visibilia tamen potentiâ, seu aequivalen-
ter. Sunt in omni continuo solum finita,
quæ in continuo permanente uniuntur ad
invicem per unionem superadditam mo-
dalem.

Ex Libris de Mundo, & Cælo.

XXVI.

Mundus est compages ex cælo, & terra,
atque ex illis naturis, quæ cælo, &
terra insunt, coagmentata. Defacto
unus tantum mundus est conditus. Fide
certum est, mundum non esse conditum ab
aterno; imò probabilius est nec potuisse
produci ab aeterno categorematicè, seu quo-
ad entia successiva, seu permanentia.

XXVII.

COELI sunt compositi. Materia cælorum
probabiliter est ejusdem speciei cum ma-
teria sublunarium. Sunt incorruptibiles
incorruptibilitate proveniente ex ratione
formæ inmissibiliter unitæ materiæ cali.
Tam Planetarum, quàm stellarum fixa-
rum cælum est fluidum. Nullâ animâ,
nec quidem loco motivâ sunt animati.
Preinde solum moventur ab extrinseco.

*Influunt in sublunaria ; in animam tamen
rationalem solum indirectè influere possunt.*

Ex Libris de Ortu, & Interitu.

XXVIII.

Generatio conversiva bene definitur :
transitus totius in totum nullo sensibili
remanente ut subjecto eodem. Absolutè
loquendo ad salvandum conceptum genera-
tionis conversivæ non est necesse, ut ter-
minus formalis à quo simpliciter desinat,
vel terminus formalis ad quem simpliciter
incipiat. Absolutè tamen necessarium est
terminum totalem à quo desinere simplici-
ter, & totalem ad quem incipere simpli-
citer.

XXIX.

Adæquatum subjectum inhesionis quanti-
tatis, ut & aliorum accidentium ma-
terialium absolutorum non vitalium est so-
la materia. Subjectum verò denomina-
tionis est totum compositum. Multa acci-
dentia, quæ erant in composito corrupto,
remanent eadem numero etiam in genito ;
atque adèò in generatione conversiva non
datur resolutio usque ad materiam pri-
mam.

XXX.

Generatio alterativa est motus in passionibus, seu qualitatibus corporeis remanente eodem subjecto sensibili. Hic motus alius est qui intendit qualitatem, alius qui extendit. Intensio qualitatis non fit per majorem radicationem, vel productionem novæ totius qualitatis destructâ priori.

XXXI.

Fit igitur intensio qualitaturn physicarum per additionem gradûs ad gradum. Gradus hi inter se sunt heterogenei heterogeneitate ordinis, & perfectionis. Datur vera intensio per antyperistasim, cujus, si qualitas sit subjecto connaturalis, causa per se est ipsum subjectum, per accidens verò contrarium obstitens.

XXXII.

Simile secundum speciem, & intensionem in aliud simile non potest agere actione univocâ. Datur vera actio, & reactio secundum eandem partem subjecti, & contrarietatem. Forma denominans subjectum rarum non est quantitas. Non introsusceptio corpusculorum. Sed major subjecti extensio, qua formaliter habetur per
 enaje-

majo rem ubicationem, ut & condensatio
per minorem.

XXXIII.

Elementa sunt 4. Ignis, Aër, Aqua,
Terra. Quatuor sunt primæ qualita-
tes distinctæ ab elementis, nempe: calor,
frigus, siccitas, humiditas. Omnes qua-
tuor sunt positivæ. Cuilibet elemento con-
veniunt duæ, una in summo, altera in ex-
cellenti. Elementa Symbola facilius mu-
tantur in assymbola. Non manent forma-
liter in mixtis.

XXXIV.

Virtutes loco motiva elementorum sunt
gravitas, & levitas; hac sursum,
illa deorsum. Utraque est positivæ. Solus
tamen ignis ex 4. Elementis est positivè
levis. Gravia in locis proprijs interme-
dijs gravitant, & levia levitant. Non
omnia gravia equaliter descendunt.

XXXV.

Causa motus violenti est impetus impres-
sus. In projectis sursum motu perpen-
diculari etiam dum mobile, seu corpus pro-
jectum non impingit in aliud corpus refle-
ctens, probabilius est, quod aliquando pos-
sit dari quies positivæ in puncto reflexionis;

semper tamen non datur. In motu archali autem nunquam datur.

Ex Libris de Anima.

XXXVI.

ANima est actus primus corporis naturalis organici potentia vitam habentis. SuffICIENTER dividitur in vegetativam, sensitivam, & rationalem. In uno vivente non dantur plures anime simul, nec successivè. Nec ulla alia forma totalis, vel partialis præter animam. Sola anima rationalis est indivisibilis, immaterialis. Anima è contra brutorum tam perfectorum, quàm imperfectorum sunt divisibiles in partes homogeneas.

XXXVII.

Vita in actu secundo bene definitur: Motus ab intrinseco, seu operatio per se immanens, conveniens principio suo ex exigentia propria tunc, quando est in statu maximè naturali, & perfectò. Subjectum sustentativum actuum vitalium spiritualium, intellectuum videlicet, & volitionum est sola anima; sensationum è contra, seu actuum vitalium materialium sensiti-

vorum tam materia, quàm anima; actuum tamen vegetativorum tam in brutis, quàm plantis ac etiam homine est sola materia. Sanguis in animalibus probabilius vivit.

XXXVIII.

Nutritio est actus vitalis, quo per conversionem introsumpti alimenti in substantiam aliti deperditæ partes reparantur. Augmentatio est motus animæ à minori substantia integrali ad majorem substantiam integram. Viventia habent certum terminum magnitudinis, & parvitatis. Generatio vitalis est: Origo viventis à vivente ut à principio conjuncto in similitudinem naturæ, Sensus externi sunt 5. Visus, & auditus ordinariè percipiunt objecta sua dependenter à speciebus impressis. Reliqui tres probabilius percipiunt immediatè sinè specie. Nullus horum sensuum elevari potest ad attingendum objectum physicè non existens.

XXXIX.

Defactò omnes animæ rationales quoad entitatem suam sunt ejusdem perfectionis. Potentiæ animæ rationalis non distinguuntur realiter ab anima, nec inter

se. Intellectus ad eliciendam intellectio-
nem completur per species intelligibiles,
quæ ab intellectu simul, & phantasmate
produciuntur. Formale constitutum in-
tellectionis est tum actio, tum qualitas re-
presentans objectum, quæ duæ formalita-
tes inter se realiter non distinguuntur.
Implicat intellectivum, quod non sit voli-
tivum.

X L.

Voluntatis, prout hæc aversiva est, ob-
jectum circa quod, potest esse malum
representatum tale, ideoque possibile sunt
actus puræ fuga. Libertas in actu secundo
non est adequatè identificata soli actui.
Potest libertatem suam exercere voluntas
absque omni actu positivo; unde possibile
est pura ommissio libera. Voluntas nec de ab-
soluta DEI potentia ferri potest in objectum
non præcognitum. Non est necessarium, ut
cognitio prærequisita ad actum voluntatis
sit semper iudicativa.

Ex Quatuordecim Libris Metaphy-
ficorum.

X L I.

Sola Omnipotentia DEI non est forma
ada-

adequata denominans creaturas posibles ;
unde præter hanc debet admitti possibilitas
aliqua passiva ipsis creaturis possibilibus suo
modo intrinseca. Hanc nos dicimus esse
capacitatem prædicatorum essentialium ad
invicem non repugnantium terminandi
actionem sui productivam. Hac ab æterno
non est ens aliquod reale existens physicè ;
sed tantùm esset , si produceretur. Ideo-
que solum logicè , seu conditionatè est ab
æterno. Proportionaliter sentimus de im-
possibilitate impossibilium.

XLII.

ENS rationis chymericum duplex est :
Rigorosum, & minus rigorosum. Da-
tur utrumque. Rigorosum formaliter sum-
ptum est impossibile intrinsecè tale actu
terminans cognitionem sui ; cognitio ta-
men non est pars ejusdem constitutiva.
Minus rigorosum fieri potest ex partibus
merè realibus vel possibilibus sumptis di-
stributivè. Voluntas creata utroque mo-
do sumptum ens rationis , facere potest ;
intellectus Divinus solum minus rigoro-
sum.

XLIII.

Identitas realis pura bene definitur.

Summa communicatio eorum qua idem dicuntur, vi cuius unum se tantum communicat alteri, quantum sibi ipsi. Negatio, quam Philosophi definiunt; Non esse rei, alia est activa, alia est passiva. Passiva est ipse terminus negatus, activa verò causalis semper identificatur enti positivo; activa è contra formalis seu sit necessaria, seu contingens, seu impossibilis, est purum non esse rei.

XLIV.

Distinctio realis formaliter non est superadditum aliquid rei distinctæ. Non Relatio prædicamentalis diversitatis, Non negatio identitatis. Non hæc & illa entitas. Sed habetur formaliter, & adequatè distinctio realis positiva non mutua per rei cuiuslibet individuum entitatem. Implicat distinctio formalis ex natura rei vulgo Scotistica, sicut & virtualis intrinseca, seu Thomistica.

XLV.

Distinctio rationis ratiocinata est; cognitio, quâ cognoscitur objectum esse
quod

quod est, quin expressè cognoscatur esse
quidquid realiter est; hæc nec fit nec fie-
ri potest per cognitionem præscindentem ob-
jectivè, sed quoties fit, fit semper, & tan-
tùm per cognitionem præscindentem for-
maliter. Ens perfectè formaliter præscin-
dit à differentijs, & hæc ab illo. Hinc
respectu differentiarum suarum ens est uni-
vocosum.

XLVI.

UNiversale metaphysicum est: unum
aptum esse realiter plura per sui mul-
tiplicationem realem. Logicum: unum
aptum predicari de pluribus affirmativè,
in quibus insit per identitatem. De utri-
usque essentia est unitas, & aptitudo fieri
multa. Universale formale seu metaphysi-
cum, seu Logicum fit solùm dependenter ab
intellectu per cognitionem præscindentem
formaliter naturam à suis differentijs.

XLVII.

Natura abstracta ab uno individuo uni-
versalis non est. In actuali prædica-
tione

tione natura de suis inferioribus, si prædicatio sit ab omni Syncategoremate absoluta manet universale ex parte prædicati. Repugnat DEO facere universale; non Angelo, nec voluntati creatæ suo modo.

XLVIII.

AB omnibus 5. prædicabilibus potest abstrahi ratio communis univoca. Genus logicum est: unum aptum prædicari de pluribus specie differentibus tamquam pars determinabilis essentiæ metaphysicæ illorum. Species de pluribus numero tamquam tota essentiæ metaphysicæ illorum. Differentia tamquam pars determinativa essentiæ metaphysicæ illorum. Proprium tamquam quid per se, & necessariò consequens metaphysicam illorum. Accidens tamquam neque quid pertinens ad essentiæ metaphysicam illorum, nec eam necessariò consequens. Potest ab omnibus individuis abstrahi ratio communis univoca. Differentia nec extrahentes, nec contrahentes in suo conceptu formali involvunt genus.


XLIX.

PRadicalia sunt decem. Substantia sumpta universaliter prout complectitur completam, & incompletam bene definitur esse id, quod primario & per se intenditur à natura in aliquo supposito, estque radix reliquorum quæ sunt in illo supposito. Relatio est, cujus esse est ad aliud. Dantur vera relationes reales independentes ab intellectu.

L.

Relatio prædicamentalis in concreto constituitur formaliter, & intrinsecè per fundamentum, rationem fundandi, & terminum. Transcendentalis per solum fundamentum, & rationem fundandi. Utræque in abstracto est adequatè identificata proxima, & adequatè rationi fundandi. Idem ad se ipsum realiter referri non potest. DEUS ad creaturas possibles dicit relationem transcendentalem. Existentiæ DEI naturali ratione est evidenter demonstrabilis. Cui cedant.


O. A. M. G.





Prædicabilia sunt de re. Substantia
 per universalia prout componuntur
 completam. & incompletam sunt ad
 esse id, quod primum est per se
 in materia in aliquo hypotesi
 ratio relationum que sunt in illis
 Relatio est, cujus est ad aliam
 in utraque relatione tales indices
 ab intellectu.


Relatio prædicamentalis in conceptu
 & in re. Relatio est in re
 fundamentum rationum fundam
 minimum. Transferebat per se
 minimum. & rationem fundam
 que in abstracto est ad unum
 proxima. & ad unum rationem
 item ad se ipsam rationem
 & ad unum ad unum possibile
 relationes transferuntur. Relatio
 in abstracto ratione est subiectum
 Prædicabilia sunt de re.

DEBRECENI EGYETEMI KÖNYVTÁR
 Lelt.
 14.628-1955









751307

